D. THOMAE AQVINATIS SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS VERE ANGELICI,

Aureæ Conclusiones, Ex vniuersa ipsius Summa desumptæ;

Quibus vbique præfixæ sunt Quæstiones, suiq; item singulis Articuli.

Addita est in fine Ratio ordinis ac Methodi, quam Auctor in cunctis suæ Summæ Partibus obseruauit; quæ instar Indicis esse poterit Lectori studioso, vnde quæque rerum Capita facilè queat inuestigare.



VENETIIS,
Apud Franciscum, Gasparem Bindonum, & Fratres. 1572.

REVERENDISSIMO PATRI D. THOMAE GOLDVVELLO EPISCOPO Asſaphenſi, Anglo, Vicario Sacroſanctę Lateranenſis Eccleſiæ.

CVM in editione huius libelli, Præſul digniſſime, Mecœnatem aliquem ac Patronum (vti fieri ſolet) quærerem, ſub cuius nomine ac tutela in publicum prodirent, & cui meam in eo opellam qualemcunq; dedicare & commendare poſſem: non occurrit ſanè quiſquam, cui id uel pro rei ipſius argumento, uel pro mea obſeruãtia ac animi ſtudio melius, quàm tuæ illuſtri Dignitati & uirtuti conueniret. Quę enim ad ſacræ Theologiæ ſtudium, fideiq́ue Catholicæ explicationem ſpectant, quis ita æquo iure ſi-

bi poteſt vendicare, ac qui ex Theologis aſſumptus, ipſe eſt in partem ſolicitudinis Epiſcopus in Eccleſia conſtitutus? Cuius Ordinis cùm multi ſint nunc viri omni ſanctitate ac uirtute præditi, quos Chriſtus pro ſua clementia turbulentiſsimis his temporibus laboranti conceſsit Eccleſiæ tanquam adiutores ac ſtrenuos cooperarios ſui in terris Vicarij D. N. D. Pij Quinti: (quem nos & pro ſua in hæreticorum conatibus omni ope reprimendis ſedulitate, & in afflictis Catholicis omni uia & modo ſubleuandis pietate, decies pium verè dixerimus) tamen ex ijs omnibus tu vnus uidebaris is, qui ex noſtræ Gentis reliquiis ſuperſtes, & annos plus decē pro fide Catholica nobiſcum in exilio vnà uiuens, pro tua auctoritate Epiſcopali poteras quaſi manu aſſerere, quicquid in hoc genere à tuorum quoquā emitti in lucem contingeret. Itaque non tam uideor mihi in hoc facto Tuę quicquam conferre Dignitati, aut offerre

ferre aliquid quod quasi muneris loco sit, quàm ex officio potius id ipsum ad te mittere, ut à te prius inspici, & appro bari, quicquid est, queat. Quod quidẽ facere multò magis necesse mihi foret, siquid eiusmodi extitisset, quod ex meo potissimum studio aut ingenio fuisset profectum. Nunc verò etsi planè nihil aliud sit hic à me præstitum, præter laborem & diligentiam in his Conclusionibus corrigendis, ac sicubi discreparent (quod sæpius contigit) ad ipsius D. Thomę uerba, imò certè ex verbis omnino ipsius vbique componendis, ac quasi resarciendis: tamen & illud quoque totum Tuæ Dignitati deberi meritissimè videtur, qui & cõmuni patriæ magno ornamento ac splẽdori fuisse in toto hoc plusquam decennali exilio (non Romæ solùm, quæ vt olim Orbis, ita nunc Ecclesiæ quasi Sedes Imperialis est, sed Tridenti etiam, quò ad Concilium celebrandum ex vniuerso orbe tot sancti ac docti Patres conuenerunt) & tuis etiam ciuibus

ſimul exulantibus tùm Romæ, tùm alibi magno ſubſidio perſæpe fuiſſe, vt & nunc porrò eſſe non deſinis. Ac id quidem ad laudem tuam ſingularem uel imprimis accedit, quòd non modò ea mentis fortitudine ſis prę̨ditus, ut infracto prorſus animo calamitatem hãc noſtri fundi ipſe pertuleris, ſed alios quoque, ut æquius ferre potuerint, & conſilio, & auxilio, & re iuueris.

Ob quas animi tui uirtutes, non mirum profectò uideri debet, ſi tã charus ſemper ſummis ac Principibus viris extiteris, uti Tridenti quidem (quod & ipſe tranſiẽs uidi & aduerti) R.mo Cardinali Mantuano Herculi Gonzagę, in quo uiro Regia quædam Maieſtas præfulgebat coniuncta cùm ingenti ueræ pietatis ac Religionis zelo, vt nõ immeritò, qui Cõcilio præſideret, dignus iudicaretur: Tùm etiam Cardinali Hoſio, cuius nomen nunc per uniuerſam Eccleſiam non minori eſt Hæreticis cũctis odio & terrori, quã Catholicis omnibus ſummo gaudio & conſolationi:

Deinde

Deinde verò Romæ cumprimis Card. Morono, quem ego libentiſsimè nomino, quòd is noſtrę Nationis Patronus Illuſtriſsimus multò maiorem ex eo nobis quàm ſibi ſplẽdoris & ornamenti acceſsionem afferat: Denique quã tui curam habuerit Pius Quartus (piæ uerè memoriæ Põtifex) & illius tũ beneficia declararũt abundè, & nunc nõ minus declarant id ipſum huius Pij Quinti cõtinuata & aucta non in te ſolùm, ſed in bonos omnes merita. Cuius quidem Põtificis quoties recordamur (& recordamur quidem ſæpiſsimè) nunquam uidemur tamen neq; animis noſtris ſatis poſſe facere, qui tantam ex illius recordatione voluptatẽ & conſolationẽ capimus, tanquã ex mundi quodã ſpectaculo, aut Dei potius miraculo nunc ſuę Eccleſię & vniuerſo Orbi exhibito; neque ſummo Chriſto ſat dignas agere gratias, qui hoc manifeſto indicio oſtendit, ſe ſuæ ſemper Eccleſiæ curam gerere, & eam in ſummis his anguſtiis non deſtituere. Ex quo quidem

posſimus & ſpem nonnullam concipe re tanquã edito ſigno ex cœli ac aëris mutatione, adeſſe fortè illud tempus, aut non abeſſe procul, quo Deus poſt tantam ac tam diuturnam Eccleſiæ iactationem, redditurus ſit ſereniores ali quot ac trãquilliores dies, quales olim Maiores noſtri videntur interdum ha buiſſe, ut ſaltem ab aſsiduis Hæreticorum infeſtationibus, poſsimus uel paululum conquieſcere.

Reſtat, vt paucis dicam, quid in his Concluſionibus actum ſit, quodq; po tiſsimum fuerit in edendis illis animi noſtri conſilium. Nam cum nunc contra Hæreticos ab Eccleſiæ Catholicæ fortiſsimis Athletis ſatis uideretur luctatum ac diſputatum argumentis (utinã quoque & armis à Principibus Catholicis ſatis eſſet dimicatum) nihil præterea deſiderari uidetur, quàm ut ipſa Catholica fides non tàm rationibus cõfirmetur ampliùs, quàm vt tradatur potius, ac apertis verbis doceatur. Neque enim veriſimile eſt, tot in orbe

Chriſtianos

Christianos ex vlla re magis in hæreses & errores passim ruere, quàm ex mera fidei orthodoxæ ignorantia, quòd plerique prauis occupati Hæreticorum persuasionibus, ignorent prorsus, quid contrà Catholica veritas Christianis tenendum proponat. Quòd si intelligerent; non, opinor, multis in locis tam præcipites ac frequentes sequerentur quorundam Hæreticorum tam absurda, & ab omni sensu ac vel humana ratione tam aliena dogmata.

Itaque cum D. Thomas in hac sua Summa non vnam aliquam, sed omnes simul totius fidei Catholicæ veritates complectatur & explicet: quid magis ad institutum facere videbatur, quàm talem aliquẽ Doctorem omnibus proponere, quem sua sanctitate & virtute probatum, aliquot insuper anteactis confirmatum seculis, tutò possent de singulis velut arbitrum æquissimum consulere? Qui quoniam in eadem Summa prolixiùs agat interdum, neq; de omnibus in vniuersum scribenti nõ

potuerint non magna exurgere uolumina, à quibus inſpiciendis multi vel ipſa librorum magnitudine deterrentur: idcirco ſingulæ tantùm Concluſiones ad hunc modum ſunt excerptæ, quò & multi, quod manibus circumgeſtarent, quaſi breue quoddam haberẽt Compendium, & plures nulla iuſta occaſione à veritatis Catholicæ inquiſitione retraherentur, & omnes eam commoditatem ſequerentur, quam quiſque ſibi ſigillatim poſſet inde percipere

Neque tamen ex hoc (vt cuipiam ſortè uideatur) periculum aliquod creari poterit in auocandis ſtudioſorum animis ab ipſius D. Thomę lectione, eò quòd hoc tanquam compendio contenti, pauci deinceps ſint futuri, qui vniuerſum & integrum totius Summæ opus requirent, ſed potius contraria quadam ratione plurimum ex eo conferetur ad lectionem & ſtudium eiuſdem vel omnium doctiſſimi Authoris (cuius vt nomen, ita Libri in certis

Pro-

Prouincijs ignoti diu ac neglecti iacebant) quòd excitabuntur permulti ad ipsa volumina lubentius euoluenda, dum in hac velut breui Epitome tanquam ex riuulo quodam, Viri tanti eruditione incomparabili vel summis labris degustata, auidiore siti ac desiderio contendent ad vberrimos Orthodoxi sensus liquores ex ipso fonte plenis faucibus hauriendos.

Atque in his quidem Conclusionibus non par ubique breuitas adhibetur, sed ea quam res ipsa patiebatur: ac in illis, quæ aliquam huius temporis controuersiam attingebãt, omnino opus fuit dilucidiore aliqua & copiosiore explicatione petita ex Corpore Articuli, & nonnunquam etiam ex Argumentorum solutionibus, quo non solum Quæstionis veritas, sed Hæreticorum quoque fallacia & fraus deprehenderetur. Hoc autem in cunctis ubique est obseruatum, ut & suis Articulis directè respondeant, & nihil prorsus (ut modò dictũ est) in illis contineatur,

quod

quod non vel ad verbum in ipso habea tur Anthore. Ita enim maximè tutum fore videbatur, ut nequis facilè error alicubi contingeret aut ab ipsius Auctoris sensu & mente discrepando, aut non satis assequendo veram & plenam Articuli cuiusque propositionem sententiam: quorum vtrumque inuenietur sæpius accidisse in illis quæ vulgò eduntur unà cum ipsa Summa Conclusionibus, quas alioqui, cùm rectè satis conuenirent, omnino sumus insequuti.

Hunc igitur omnem laborem (qui sanè longè fuit maior, quàm fuisse videbitur primùm intuenti) tibi vni, venerande Præsul, asscribi ac dedicari volo: tùm quòd me inter alios tuæ Benignitati plurimum deuictum sciam, tùm quòd sperem idipsum, quidquid laboris fuerit, multò plus publico Carholicorum ac studiosorum bono profuturum, si sub tuo Episcopali nomine ac auspicio prodierit quasi consecratum. Christus Iesus te nobis & afflictę Patrię

diu sanum incolumemque conseruet. Datum Louanij, XIIII. Calend. Ianuarij, Anno 1569.

Qui tuæ dignitatis
R.mæ est obseruandiss.

Ioannes Foulerus
Bristoliensis.

Errata sic corrigito.

Pag.	Lin.	Erratum.	Correctio.
1.	26.	possunt	non possunt
6.	ultima linea tota deleatur.		

Cætera Lector studiosus per se facilè deprehendet.

D. THOMAE AQVINATIS, SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS verè Angelici.

AVREAE CONCLVSIONES, ex vniuersa summa desumptæ;

Quibus ubique præfixæ sunt Quæstiones, suiq; item singulis Articuli.

Primæ partis, Quęstio prima.

De sacra doctrina, qualis sit, & ad quæ se extendat, in decem Articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum sit necessarium, præter philosophicas disciplinas, aliam doctrinam haberi.

CONCLVSIONES.

1 Necessarium est ad humanam salutem consequendam, doctrinam quandam per reuelationem esse de multis, quæ hominis intellectum excedunt.

2 Necessarium est præter scientias lumine naturali acquisitas, esse doctrinam per reuelationem de his, quæ lumine naturali inuestigari possunt. non

ART. II. Vtrum sacra doctrina sit scientia.

Conclusio. Sacra doctrina est scientia subalternata scientiæ Dei & beatorum, cùm procedat ex principijs in illa scientia notis.

ART. III. Vtrum sacra doctrina sit una scientia.

Conclusio. Cùm omnia cōsiderata in sacra doctrina sub una formali ratione diuina reuelationis considerentur, eam unam scientiam esse sentiendum est.

ARTIC. IIII. Vtrum ſacra doctrina ſit ſcientia practica.

Concluſio. Tametſi ſacra Theologica altioris ordinis ſcientia eſt, practica & ſpeculatiua eminenter utranque continens: ſpeculatiua tamen magis eſt quàm practica.

ART. V. Vtrum ſacra doctrina ſit dignior alijs ſcientiis.

Concluſio. Sacra doctrina eſt omnibus ſciētiis ſimpliciter dignisſima, altioris exiſtens ordinis: ut ſpeculatiua tamen omnes ſpeculatiuas excedit, & omnes practicas, ut practica.

ART. VI. Vtrum hæc doctrina ſit ſapientia.

Concluſio. Sacra doctrina, cùm de Deo determinet ut eſt altisſima cauſa: inter omnes ſapientias humanas non ſolum in genere, ſed ſimpliciter eſt maximè ſapientia.

ART. VII. Vtrū Deus ſit ſubiectum huius ſcientiæ.

Concluſio. Cùm omnia, quæ tractantur in ſacra doctrina, conſiderentur ſub ratione Deitatis per reuelationem cognoſcibilis, Deus eſt illius ſubiectum.

ARTIC. VIII. Vtrum hæc doctrina ſit argumentatiua.

Cōcluſio. Licet ſacra doctrina, ſicut aliæ ſciētię ad ſua principia probanda non argumentantur: contra tamen negantes illa procedit, uel ex conceſsis illos redarguendo, uel eorū apparentes rationes diſſoluēdo, ex principiis tamen ad concluſiones argumentatur.

ART. IX. Vtrum ſacra ſcriptura debeat uti metaphoris.

Concluſio. Sacra doctrina cùm cunctis hominibus communiter proponatur, in ea metaphoris & corporalibus ſimilitudinibus diuina exponi, maximè conueniens eſt.

AR-

ART. X. Vtrum sacra scriptura sub una litera habeat plures sensus.

Conclusio. Cum sacræ scripturæ auctor Deus sit, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, ea ipsa doctrina sub una litera plures sensus habet literalē multiplicem, spiritualem triplicem, uidelicet allegoricū, moralem, & anagogicum.

QVAESTIO SECVNDA.

De Deo, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum Deum esse, sit per se notum.

Conclusio. Cum Deus sit suum esse, & quidnam sit nos lateat, hæc propositio, Deus est, per se nota secundum se est, licet non, quo ad nos.

ART. II. Vtrum Deum esse sit demonstrabile.

Cōclusio. Deum esse, quamuis non à priori, à posteriori tamen demonstrari potest ex aliquo eius notiori nobis effectu.

ART. III. Vtrum Deus sit.

Conclusio. Necesse est in rerum natura inueniri unum primum ens immobile, primum efficiens, necessarium, non ex alio, maximè ens bonum, & optimum, primum gubernans per intellectum, & omniū ultimum finem, qui Deus est.

QVAESTIO III.

De Dei simpicitate, in octo articulo diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum Deus sit corpus:

Conclusio. Cum Deus sit primum mouens immotum, ac primum ens, & omnium nobilissimum, impossibile est corpus esse.

ART. II. Vtrum in Deo sit compositio formæ & materiæ:

Conclusio. Cùm Deus sit actus purus, primum bonum & optimum, & primũ agens simpliciter, non est aliqua materia in ipso.

ART. III. Vtrum sit idem Deus quod sua essentia uel natura.

Conclusio. Cum Deus non sit ex materia & forma cõpositus, idem est quod sua essentia & natura.

ART. IIII. Vtrum in Deo sit idem essentia & esse.

Cõclusio. Deus, cùm sit primum efficiens, ac actus purus, & ens simpliciter primum, essentiam indistinctam ab esse habet.

ART. V. Vtrum Deus sit in genere aliquo.

Conclusio. Cùm Deus sit actus purus, neque in eo esse ab essentia distinguatur, ac cuiuscunque generis principiũ sit: in nullo directè uel reductiuè genere ẽ.

ART. VI. Vtrum in Deo sint aliqua accidentia.

Conclusio. Cũ Deus sit actus purus, ac ipsum esse primumq́ue ens ac prima causa, in eo nullum accidens esse potest.

ART. VII. Vtrum Deus sit omnino simplex.

Cõclusio. Cum Deus sit primum ens, prima causa, actus purus, & ipsum esse, omni prorsus simplicitate gaudet.

ART. VIII. Vtrum Deus in compositionem aliorum ueniat.

Cõclusio. Deus prima causa efficiens, ac primũ simpliciter ens & agens cùm sit: impossile est in alicuius compositionem uenire, uel ut mundi anima, uel ut forma, seu materia, ut quidam falsò existimauerunt.

QVAESTIO QVARTA.

De Dei perfectione, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum Deus sit perfectus.

Con-

Conclusio. Deus cùm sit actiuum principium, perfectissimum esse oportet.

ARTIC. II. Vtrum in Deo sint perfectiones omnium rerum.

Cōclusio. Cùm Deus sit prima causa effectiua omnium, & ipsum esse per se subsistens: eminentiori modo oportet omnium perfectiones habere.

ARTIC. III. Vtrum aliqua creatura possit esse similis Deo.

Conclusio. Cùm Deus sit uniuersale agens, & principium totius esse, non contentum in aliqua specie, uel genere: creaturæ ei similes sunt, non secundùm eādem specificam, aut genericam rationem, sed secundùm aliqualem analogiam.

QVAESTIO V.

De bono in communi, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum bonum differat secundum rem ab ente.

Conclusio. Bonum & ens idem sunt secundùm rē: distincta tamē ab inuicē secundū rationem. bonū.n. rationem appetibilis dicit, quam non importat ens.

ART. II. Vtrū bonū secūdū rationē sit prius, q̃ ens.

Cōclusio. Ens, cùm prius cadat in conceptione intellectus, quàm bonum, ipso etiam prius est secundum rationem.

ARTIC. III. Vtrum omne ens sit bonum.

Conclusio. Omne ens, inquantum ens, est bonum.

ARTIC. IIII. Vtrum bonum habeat rationem causæ finalis.

Conclusio. Bonum, cùm rationem appetibilis habeat, finalis quoque causæ rationem habere oportet.

ART. V. Vtrum ratio boni consistat in modo, specie, & ordine.

Conclusio. Bonum omne, cùm sit per suam formã, quam principiorum commensuratio præcedit, & quã sequitur inclinatio uel ad opus, uel ad finem: consistit in modo, id est, principiorum exigit debitam proportionem: specie, id est, forma per quam est: & ordine, id est, exigit inclinationem ad aliquid.

ART. VI. Vtrum conuenienter diuidatur bonum per honestum & utile, &c.

Conclusio. Bonum non solùm humanum, sed absolutè, cùm sit appetitiui motus terminus, diuiditur in honestum, utile, & delectabile.

QVAESTIO VI.

De bonitate Dei, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum esse bonum Deo conueniat.

Conclusio. Deus omnium effectiua, & appetibilis causa existens, bonus est.

ART. II Vtrum Deus sit summum bonum.

Conclusio. Bonum, cùm conueniat Deo ut primæ causæ, non uniuocè, sed æquiuocè: excellentissimo modo ei conuenire oportet.

ART. III. Vtrum esse bonum per essentiam sit proprium Dei.

Conclusio. Cùm Deus solus omnimodam perfectionem habeat, cuius esse est sua essentia, sibique omnia essentialiter conueniant, & omnium rerum sit ultimus finis: ipse solus per essentiam bonus est.

ART. IIII. Vtrũ omnia sint bona bonitate diuina.

Cõclusio. Omnia sunt bona diuina bonitate extrinsecè & causaliter: bonitatibus uerò ꝓprijs, formaliter.

& causaliter: bonitatibus uerò proprijs, formaliter.

QVAE-

QVAESTIO VII.

De infinitate Dei, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum Deus sit infinitus.

Cōclusio. Esse Dei cùm in nullo receptum sit, cùm sit ipse suum esse subsistens: infinitus & perfectus est.

ART. II. Vtrum aliquid aliud, quàm Deus possit esse infinitum per essentiam.

Conclusio. Solus Deus per essentiam & simpliciter infinitus est, alia uerò omnia finita simpliciter sunt, infinita uerò secundùm quid.

ART. III. Vtrum possit esse aliquid infinitum actu secundùm magnitudinem.

Conclusio. Nullum corpus naturale, nec mathematicum potest esse infinitum.

ART. IIII. Vtrum possit esse infinitum in rebus secuudùm multitudinem.

Conclusio. Impossibile est esse multitudinem per se, uel per accidens actu infinitam: possibile est autem eam esse iu potentia.

QVAESTIO VIII.

De existentia Dei in rebus, in 4. articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum Deus sit in omnibus rebus.

Cōclusio. Deus, cum sit ipsum esse per essentiam, est in omnibus rebus non sicut accidens, seu pars, sed intimè.

ART. II. Vtrum Deus sit ubique.

Conclusio. Deus est in omnibns locis, tanquam in rebus quibus cōfert uirtutem conseruatiuam locari: & est in omnibus locis, replens omnia loca, non sicut corpus impediens alia locari, sed causando quòd omnia alia sint in loco, & illum repleant.

ARTIC. III. Vtrum Deus sit ubique per essentiam, præsentiam, & potentiam.

Conclusio. Est Deus in omnibus per potentiam, qua ei omnia subiecta sunt. Est in omnibus per essentiam, quia omnia immediatè creauit. Et in cunctis est per pręsentiam, quia omnia cognoscit.

ARTIC. IIII. Vtrum esse ubique sit proprium Dei.

Conclusio. Deum ubique esse oportet, ac primò: id est, non secundùm partem.

QVAESTIO IX.

De Dei immutabilitate, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum Deus sit omnino immutabilis.

Conclusio. Deus, cũ sit primum ens, oĩo simplex, & per essentiam infinitus, est simpliciter immutabilis.

ART. II. Vtrum esse immutabile sit Dei proprium.

Conclusio. Solus Deus immutabilis est, omnia uerò alia aliquo modo mutabilia, uel per potentiam in alio, uel per potentiam in se, uel secundum esse substantiale & accidentale, seu secundùm esse accidentale quocunque modo

QVAESTIO X.

De Dei Aeternitate, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum conuenienter diffiniatur æternitas, quòd est interminabilis uitæ tota simul & perfecta possesio.

DEFINITIO.

AEternitas est interminabilis uitæ tota simul & perfecta possesio.

ART. II. Vtrum Deus sit æternus.

Conclusio. Deus immutabilis existens æternus non solum est, sed est sua æternitas.

ART. III. Vtrum esse æternum sit proprium Dei.

Conclusio. Solus Deus uerè, & propriè immutabilis cùm sit, æternus est: cætera uerò eò æterna sunt, quò aliquam immutabilitatem participant.

ART. IIII. Vtrum æternitas differat ab æuo & tempore.

DIFFERENTIA.

Differt ęternitas à tempore, quòd ea est tota simul, tempus uerò succeßiuum est. non autem differunt quòd æternitas principio & fine careat, tempus uerò non: nisi quo ad mensurata, uel in potentia intelligendo ea sic differre.

ART. V. De differentia æui & temporis.

Conclusio. AEuum ipsum est medium inter æternitatem & tempus, utroque participans.

ART. VI. Vtrum sit unum æuum tantùm.

Conclusio. Quò plura æuiterna sunt, æua etiam plura sunt, magis tñ unum tantùm æuum est, mensura unius primi æuiterni, quod simplicissimum est.

QVAESTIO. XI.

De unitate Dei, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum unum addat aliquid supra ens.

Conclusio. Vnum non addit supra ens aliquid reale, sed tantùm diuisionis negationem.

ART. II. Vtrum unum & multa opponantur.

Conclusio. Vnum & multa non eodem modo opponuntur. unum enim numeri principium multis opponitur, ut mensura mensurato: unum autem conuersum cum ente multis opponitur, ut indiuisum diuiso.

ART. III. Vtrum Deus sit unus.

Conclusio. Deus, cùm sit omnino simplex, & infinitæ perfectionis: est simpliciter unus, à quo est totius uniuersi ordo.

ART. IIII. Vtrum Deus sit maximè unus.

Conclusio. Cùm esse diuinum non sit determinatum ad aliquam naturam ac simplicissimum: maximè unum Deum ipsum esse oportet.

QVAESTIO DVODECIMA,

Quomodo Deus à nobis cognoscatur, in 13. articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum aliquis intellectus creatus possit Deum uidere per essentiam.

Conclusio. Cùm ultima hominis beatitudo in altissima eius operatione consistat, quæ est operatio intellectus, cumque intellectus rationalis creaturæ pertingere possit ad primã causam rerum, alioqui inane remaneret desiderium naturæ: simpliciter concedendũ est, quòd intellectus Beatorum Dei essentiam uideat.

ART. II. Vtrum essentiæ Dei ab intellectu creato per aliquam similitudinem uideatur.

Conclusio. Diuina essentia non per aliquam speciẽ ex parte diuinæ essentiæ ab intellectu creato conspicitur, sed ex parte intellectus creati, aliqua similitudine uigorati, lumine uidelicet gloriæ, apprehenditur & uidetur.

ART. III. Vtrum essentia Dei uideri possit oculis corporalibus.

Conclusio. Deus cùm sit omnino incorporeus, nullo exteriori, uel interiori sensu per se cognosci potest.

ART. IIII. Vtrum aliquis intellectus creatus per sua naturalia diuinam essentiam uidere possit.

CON-

Conclusio. Cùm diuina essentia sit supra conditionem cuiuscunque creati intellectus, non potest intellectus creatus per sua naturalia ipsam cognoscere, sed tantum per gratiam.

ART. V. Vtrum intellectus creatus ad uidendum Dei essentiam aliquo creato lumine indigeat.

Conclusio. Cùm essentia diuina naturam cuiusque creati iutellectus excedat, indiget creatus intellectus ad eam intuendum aliquo creato lumine.

ART. VI. Vtrum uidentium essentiam Dei unus alio perfectius uideat.

Conclusio. Cùm uidentium diuinam essentiam unus alio maiori gloriæ lumine illustretur, perfectius etiam unus alio ipsam uidebit.

ART. VII. Vtrum uidentes Deum per essentiam ipsum comprehendant.

Conclusio. Cùm lumen gloriæ, quo perfusi diuinam intuentur essentiam, infinitum nō sit: impossibile est, quenquam creatum intellectum illam comprehendere, & ipsam cognoscere quantum cognoscibilis est.

ART. VIII. Vtrum uidentes Deum per essentiam omnia in Deo uideant.

Conclusio. Cùm nullus intellectus creatus uidēdo Deum illum comprehendat, non potest etiam in ipso uidere omnia quæ facit, uel facere potest, sed plura, uel pauciora, secundùm quod perfectius, uel imperfectius eam uidet.

ART. IX. Vtrum ea, quæ uidentur in Deo à uidentibus diuinam essentiam, per aliquas similitudines uideantur.

Conclusio. Deum uidentes non alia uident in eo per species eorum, sed per ipsam essentiam diuinam, eorum intellectui unitam.

AR-

ARTIC. X. Vtrum uidentes Deum per essentiam, simul uideant omnia, quæ in ipsó uident.

Conclusio. Quæcunque uidentur in uerbo, non successiuè, sed simul uideri necesse est.

ARTIC. XI. Vtrum aliquis in hac uita possit uidere Deum per essentiam.

Conclusio. Non potest Deus ab homine puro in hac mortali uita per essentiam uideri.

ARTIC. XII. Vtrum per rationem naturalem Deum in hac uita cognoscere possimus.

Conclusio. Possumus Deũ in hac uita naturali lumine cognoscere secundùm quod omnium prima & eminentissima causa est, non autem secundùm quod in se est.

ARTIC. XIII. Vtrum per gratiam habeatur altior cognitio Dei quàm ea, quæ habetur per rationem naturalem.

Conclusio. Perfectior cognitio de Deo in hac uita habetur per gratiam, quàm per naturalem rationem.

QVAESTIO XIII.

De nominibus Diuinis, in duodecim articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum aliquod nomen Deo conueniat.

Conclusio. Cùm Deus in hac uita, secundũ quod in se est, minimè à nobis cognoscatur, sed secundũ quod principium omnium eminentissimum est: aliquibus nominibus hoc significantibus nominari potest. nullum est autem nomen Diuinam essentiam adæquatè repræsentans Deo ab hominibus impositum.

ARTIC. II. Vtrum aliquod nomen dicatur de Deo substantialiter.

Conclusio. Cùm diuinam substantiam imperfectè cognoscamus: nomina negatiua, uel relatiua de Deo non

non dicuntur ſubſtãtialiter, ſed ſolũ nomina poſitiua abſoluta diuinã ſubſtanciã, licet imperfectè, deſignãt.

ART. III. Vtrum aliquod nomen dicatur de Deo propriè.

Cõcluſio. Quia nomina Deo attributa modum ſignificandi creaturarum retinent; Deo propriè ex modo ipſo ſignificandi minimè competunt, ſed quo ad ſignificatum propriè de Deo dicuntur.

ART. IIII. Vtrum nomina dicta de Deo ſint nomina ſynonima.

Concluſio. Nomina, quæ propriè de Deo dicuntur, ſynonyma nequaquam ſunt.

ART. V. Vtrum ea, quæ de Deo dicuntur & creaturis, uniuocè dicantur de ipſis.

Concluſio. Nomina de Deo & creaturis dicta, nẽ uniuocè, nec purè æquiuocè, ſed analogicè dicuntur, ſecundum analogiam creaturarum ad ipſum.

ART. VI. Vtrum nomina per prius dicantur de creaturis, quàm de Deo.

Cõcluſio. Nomina, quæ metaphoricè de Deo dicũtur, cùm ſimilitudinem eius ad creaturas ſignificent, de ipſis creaturis priùs dicuntur: nomina uerò Deo & creaturis communia, de Deo eſſentialiter dicta, quo ad ſignificatum prius de Deo dicuntur, quo autem ad modum ſignificandi de creaturis prius.

ART. VII. Vtrum nomina, quæ important relationem ad creaturas, dicantur de Deo ex tempore.

Concluſio. Deus cùm ſit extra ordinem uniuerſi ſic quòd omnes creaturæ ad ipſum referantur, & nõ ecõ tra, nomina, quæ huiuſmodi relationem important, de Deo dicuntur ex tempore, & non ab æterno, niſi ſequãtur actionẽ intellectus uel uolũtatis ipſius Dei.

ART. VIII. Vtrum hoc nomen (Deus) ſit nomen naturæ.

Con

Cõclusio. Hoc nomẽ (Deus), quo ad id, ad quod deponitur, diuinam substantiam importat, operationẽ uerò quoad id, à quo nomen imponitur.

ART. IX. Vtrum hoc nomen (Deus) sit communicabile.

Conclusio. Hoc nomen (Deus) secundum rem est multis incommunicabile. Communicabile autem secundum existimationem.

ART. X. Vtrum hoc nomen (Deus) uniuocè dicatur de Deo per participationem, secundum naturam, & secundum opinionem.

Conclusio. Cum Deus participatiuè, & æstimatiuè non nisi ex ueri Dei ratione intelligatur, hoc nomen (Deus) de Deo participatiuè, opinatiuè, & uero Deo nec uniuocè, nec purè æquiuocè, sed analogicè dicit.

ART. XI. Vtrum hoc nomen (qui est) sit maximè nomen Dei proprium.

Conclusio. Hoc nomen, qui est, triplici ratione est maximè proprium nomen Dei.

ART. XII. Vtrum propositiones affirmatiuæ possint formari de Deo.

Conclusio. Cum humanus intellectus nequeat Deũ ut unus est, cognoscere, sed sub diuersis rationibus, multas de ipso propositiones affirmatiuas ueras formare potest.

QVAESTIO DECIMAQVARTA.

De scientia Dei, in sexdecim articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in Deo sit scientia.

Conclusio. Cũ Deus sit omnino immaterialis, in ipso scientia est perfectìsimo modo.

ART. II. Vtrum Deus intelligat se.

CON-

Conclusio. Deus cum sit actus purus in summo immaterialitatis, intelligit se per seipsum.

ART. III. Vtrum Deus comprehendat seipsum.

Conclusio. Deus perfectè seipsum comprehendit, cū cognoscat seipsum quantum cognoscibilis est.

ART. IIII. Vtrum ipsum intelligere Dei sit eius substantia.

Conclusio. Deus, cum nullo à se distincto perficiatur, & sit suum esse, eius intelligere non distinguitur ab ipsa eius substãntia.

ART. V. Vtrum Deus cognoscat alia à se.

Conclusio. Deus, cum perfectè seipsum intelligat, omnia alia à se non per speciem propriam, sed per essentiam suam intelligit.

ART. VI. Vtrum Deus cognoscat alia à se propria cognitione.

Conclusio. Cum Deus omnia alia à se per suam essentiam cognoscat, quæ rerum perfectiones singulas continet, omnia alia non in communi, sed propria & distincta cognitione cognoscit.

ART. VII. Vtrum scientia Dei sit discursiua.

Conclusio. Sciẽtia Dei nullo modo discursiua est, sed omnia simul perfectè intelligit.

ARTIC. VIII. Vtrum scientia Dei sit causa rerum.

Conclusio. Cum esse & intelligere in Deo indistincta sint, ipsum per suam scientiam causare res oportet, adiuncta tamen uoluntate.

ARTIC. IX. Vtrum Deus habeat scientiam non entium.

Conclusio. Cognoscit Deus nōn entia secundum quid, quomodocunque non sint, scientia uisionis: non entia uerò simpliciter, notitia simplicis intelligentiæ.

AR-

ART.X. Vtrum Deus cognoſcat mala.

Concluſio.Deum,cùm quæcunq; bona cognoſcat, mala etiam per bona ſcire oportet, quæ bonis accidunt.

ART. XI. Vtrum Deus cognoſcat ſingularia.

Concluſio.Cùm cognoſcere ſingularia ad creaturarum perfectionem ſpectet, & ſi non ſecundum eandem potentiam: Deum ipſum cognoſcere ſingularia oportet,non quidem uniuerſales illorum cauſas ſciẽdo, ſeu per applicationẽ uniuerſalium principiorũ, ſed per eſſentiam ſuam ſingulis propria intuendo, cùm non tantùm formæ, ſed materiæ cauſa ſit.

ART. XII. Vtrum Deus poſſit cognoſcere infinita.

Cõcluſio.Cùm Deus ſciat omnia quæ ſunt in actu, & in potentia tam ſua, quàm creaturæ: ſcire infinita etiam ſcientia uiſionis neceſſarium eſt.

ART. XIII. Vtrum ſcientia Dei ſit futurorum contingentium.

Concluſio.Cùm Deus ſciat omnia quæ non ſolùm actu,ſed potentia ſunt,tã ſua,quàm creaturæ: futura omnia contingentia,ut in ſeipſis ſunt, ſecundùm ſtatum,quo actu ſunt & ab æterno,ſimul & infallibiliter cognoſcit.

ARTIC. XIIII. Vtrum Deus cognoſcat enuntiabilia.

Concluſio. Cùm ſciat Deus quæcunque in ſua & creaturæ poteſtate ſunt, enuntiabilia omnia ei nota eſſe neceſſe eſt, non quidem per aliquam compoſitionem,uel diuiſionem,ſed per ſimplicem intuitum ſuę eſſentię.

ART. V. Vtrum ſcientia Dei ſit uariabilis.

Concluſio.Scientia Dei,cùm non diſtinguatur ab ipſa eius immutabili ſubſtantia, uariabilis nullo modo eſt.

ART. XVI. Vtrum Deus de rebus habeat scientiam speculatiuam.

Conclusio. Deus, cùm non sit quoddam operabile, cætera uerò omnia, quorum scientiam habet, per se uel per accidens, operabilia ab ipso sint, seipsum sciẽtia tãtum speculatiua cognoscit, alia uerò à se, & practica, & speculatiua scientia scit.

QVAESTIO XV,

De Ideis, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum ideæ sint.

Conclusio. Cùm omnia sint à Deo, nõ à casu facta: necessariũ est in eius mentę omniũ ideas præexistere obiectiuè, ad quarũ similitudinẽ omnia cõdita sunt.

ART. II. Vtrum sint plures ideæ.

Conclusio. Cùm in mente diuina sint omnium rerum propriè rationes, plures ideas in eius mente esse necesse est, ut intellectas tamen.

ART. III. Vtrũ omniũ, quę cognoscit Deus sint ideæ.

Conclusio. Omnium eorum, quæ secundum quodcunque tempus fiunt, sunt ideæ in Deo, quò exemplaria sunt: ut uerò rationes cognoscẽdi omnium ab ipso factibilium, in ipso ideæ sunt tam speculatiuè, quàm practicè.

QVAESTIO XVI.

De ueritate, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum ueritas sit tantum in intellectu.

Conclusio. Verum, cùm sit terminus intellectus, sicut bonum appetitus, ueritatem omnẽ in intellectu esse oportet principaliter, secundariò autem in rebus

ſecundum ordinem ad intellectum, à quo dependēt.

ARTICVLVS II. Vtrum ueritas ſit in intellectu cō ponente & diuidentę.

Concluſio. Verum eſt tantum in intellectu componente, uel diuidente, non autem in ſenſu, uel intellectu quid eſt rei concipiente.

ART. III. Vtrum uerum & ens conuertantur.

Concluſio. Cùm quodcunque ſit cognoſcibile & uerum, inquantum ens: uerum ipſum cum ente conuerti neceſſe eſt, ſicut & bonum: addit tamen uerum ipſi enti ordinem ad intellectum.

AR. IIII. Vtrum bonū ſecundum rationem ſit prius quam uerum.

Concluſio. Verum cùm propinquius ſit enti quàm bonum, & ipſam cognitionem reſpiciat, quæ prior eſt appetitione, quàm reſpicit bonum: eſt prius ſecūdùm ſuam rationem, quàm bonum.

ART. V. Vtrum Deus ſit ueritas.

Concluſio. Deus, cùm ſit ſuum eſſe, & intelligere & menſura omnis eſſe, & intellectus: in ipſo non ſolum eſt ueritas, ſed ipſe ſumma & prima ueritas eſt.

ART. VI. Vtrum ſit una ſola ueritas, ſecundum quā omnia ſunt uera.

Concluſio. Veritas relata ad intellectum, in quo prius eſt quam in rebus, multiplicatur ſecundum intellectuum multiplicationem: relata uerò ad res, non niſi una eſt & prima, cuius ratione omnia uera dicuntur.

ART. VII. Vtrum ueritas creata ſit æterna.

Concluſio. Nulla creata ueritas eſt æterna, ſed ſola ueritas Diuini intellectus, qui ſolus eſt æternus, & à quo ipſa eius ueritas indiſtincta eſt.

AR-

ART. VIII. Vtrum ueritas sit immutabilis.

Conclusio. Sola diuini intellectus ueritas immutabilis est, nostri uerò mutabilis, in quo est opinionum alternatio, & quem res multæ latent; ueritas autem rerum naturalium immutabilis est.

QVAESTIO XVII.

De Falsitate, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum falsitas sit in rebus.

Conclusio. In rebus ad diuinum intellectum relatis non est falsitas simpliciter, nisi fortè in uoluntarijs, in quorum potestate est, subducere se à regula diuina; in rebus uerò ad nostrum intellectum relatis est secundùm quid falsitas, & significatiuè, & causaliter.

ART. II. Vtrum in sensu sit falsitas.

Conclusio. Sensus, cùm in propriū sensibile per se primò feratur, in communia autem per accidens & nō per se primò respectu proprij sensibilis: nunquam falsus est, nisi ex organi indispositione: aliorum sensibilium uerò nonnunquam falsus est.

ART. III. Vtrum faltas sit intellectu.

Conclusio. In intellectu quod quid est rei concipiente non est falsitas, nisi per accidens, sed in intellectu componente uel diuidente.

ARTIC. IIII. Vtrum uerum & falsum sint contraria.

Conclusio, Verum & falsum, cùm subiectum sibi determinet, & in eo aliquid ponat, contrariè tantùm opponuntur.

QVAESTIO XVIII.

De uita Dei, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum omnium naturalium rerum sit uiuere.

Conclusio. Cùm motu uiuentia à non uiuentibus cognoscantur, ea propriè uiuere dicentur, quæ seipsa secundùm aliquam speciem motus mouent.

ART. II. Vtrum uita sit quædam operatio.

Conclusio. Vitæ nomen, substantiam & esse propriè illius naturæ, cui conuenit se mouere, significat: nonnunquam uerò & minus propriè, uitalem operationem.

ART. III. Vtrum Deo conueniat uita.

Conclusio. Dei natura, cùm sit ipsum esse & intelligere, ei maxima uita conuenit.

ART. IIII. Vtrum omnia sint uita in Deo.

Cõclusio. Viuere Dei, cũ sit eius intelligere: quæcũque sunt in ipso, ut per se intellecta, uita in ipso sunt.

QVAESTIO XIX.

De uoluntate Dei, in duodecim articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum in Deo sit uoluntas.

Conclusio. Cùm in Deo sit ita intellectus, quòd suum intelligere idem est quod suum esse: ita & in eo uoluntas sic est, quòd eius uelle est suum esse. uoluntas enim intellectum consequitur.

ART. II. Vtrum Deus uelit alia à se.

Conclusio. Cũ ad perfectionem uolũtatis spectet, ut bonum, quod quis habet, alijs communicet: hoc diuinam præcipuè uoluntatem decet, ut se & alia uelit: se, ut finem, cætera uerò, ut ad finem ordinata, id est, propter se, quò cõdecet eius summam bonitatem alia participare.

AR-

ARTIC. III. Vtrum quicquid Deus uult, ex necesſitate uelit.

Concluſio. Cùm bonitas diuina ſit proprium diuinæ uoluntatis obiectum, & ſufficiens bonum, ad quã alia ordinantur ut ad finem, non neceſſariò, ſed quia illa Deus uult: bonitatem ipſam ſuam Deus abſolutè & neceſſariò uult, alia uerò à ſe, non neceſſariò, niſi ex ſuppoſitione: ſcilicet, ſuppoſito quòd uelit, non poteſt non uelle.

ARTIC. IIII. Vtrum uoluntas Dei ſit cauſa rerum.

Concluſio. Deus cùm ſit primum agens, per intellectum & uoluntatem cuncta cauſare, dicendum eſt.

ART. V. Vtrum uoluntatis diuinæ ſit aſsignare aliquam cauſam.

Concluſio. Cùm Deus unico & ſimplicisſimo actu uelit omnia in ſua bonitate, eius uoluntatis nulla prorſus cauſa eſt.

ARTIC. VI. Vtrum uoluntas Dei ſemper impleatur.

Cõcluſio. Cùm diuina uoluntas ſit uniuerſalisſima omnium cauſa, ipſam ſemper impleri oportet.

ARTIC. VII. Vtrum uoluntas Dei ſit mutabilis.

Concluſio. Subſtantia diuina, & eius ſcientia cùm ſint inuariabilia, uoluntatem quoque eius immutabilem eſſe neceſſe eſt.

ART. VIII. Vtrum uoluntas Dei necesſitatem rebus uolitis imponat.

Cõcluſio. Diuina uoluntas non omnibus, ſed quibuſdam necesſitatem imponit, quibus ſcilicet cauſas neceſſarias aptauit: contingentibus autem aptauit contingentes cauſas.

ART. IX. Vtrum uoluntas Dei ſit malorum.

Conclusio. Cùm nil magis Deus uelit, quã bonitatem suã, cui culpæ malum oppositum est, & ex aliis bonis unum alio magis uelit: culpæ malum nullo modo uult, malum uero naturalis defectus, ac pęnę non nunquam ipsum uelle, non dedecet.

ART. X. Vtrum Deus habeat liberum arbitrium.

Cõclusio. Deus liberum arbitrium habet respectu aliorum à se, quæ non necessariò uult: respectu sui uerò nullam libertatem habet, cùm se necessariò uelit.

ART. XI. Vtrum sit distinguenda in Deo uoluntas signi.

Conclusio. Distinguitur in Deo uolũtas signi à uoluntate simpliciter, & propriè dicta, quæ uolũtas beneplaciti uocatur, uolũtas autẽ signi dicta est metaphoricè, eò quòd ipsum signum uoluntatis uoluntas dicitur.

ART. XII. Vtrum conuenienter circa diuinam uolũtatem ponantur quinque signa.

Conclusio. Quinque signis diuina dignoscitur uoluntas, quæ & uolũtas signi denoĩatur: scilicet 1. prohibitio, & 2. permissio, respectu mali: 3. præceptum, 4. consilium, & 5. operatio, respectu boni.

QVAESTIO XX.

De amore Dei, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS

VTrum amor sit in Deo.

Conclusio. Cùm in Deo sit uoluntas, in eo amorẽ ponere necesse est, causam nempe & radicem cuiusq; motus appetitiuæ uirtutis.

ART. II. Vtrum Deus omnia amet.

Conclusio. Cùm oĩa existentia sint bona, & à Deo ab illo amari credendum est: sed secus quàm nos, qui à rerum bonitate ad amorem impellimur, ipse uerò cuncta diligit creando & infundendo illis bonitatem

ART.

ART. III. Vtrum Deus æqualiter diligat omnia.

Conclusio. Ex parte actus uoluntatis Deus æqualiter omnia amat, cum simplici & eodem modo se habente actu uoluntatis amet: ex parte uerò boni uoliti ab ipso non omnia æqualiter amat, sed uni maius bonum uult, quàm alij.

ART. IIII. An Deus semper magis diligat meliora.

Conclusio. Cùm ex eo aliqua alijs meliora sint, quòd eis maius bonum Deus uult: ipsum meliora diligere dicendum est.

QVAESTIO XXI.

De Iustitia, & Misericordia Dei, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum in Deo sit iustitia.

Conclusio. Cùm omnia nostra ex Deo sint, nec quisquam quippiam dederit, pro quo sibi à Deo retribuatur: iure in ipso iustitia commutatiua non est, sed distributiua, qua singulis, quòd sibi ad sui complementum spectat, tribuere dicitur, ut inde uniuersi ordo seruetur,

ART. II. Vtrum iustitia Dei sit ueritas.

Cõclusio. Iustitia in Deo reperta cõuenienter ueritas nominatur, secũdũ quã res ĩtellectui cõformãtur.

ART. III. Vtrum misericordia competat Deo.

Conclusio. Cùm de aliorũ miseria tristari minimè Deo cõueniat, sed magis eam repellere: misericordia non secundum passionis affectum, sed effectum maximè ei conuenire dicitur.

ART. IIII. Vtrum in omnibus operibus Dei sit misericordia & iustitia.

Conclusio. Cũ in cũctis Dei operibus, quod sibi & creaturæ debetur, nullo prorsus modo à Deo præter mitti oporteat, & debitum omne in aliquid ex diuina bonitate collatum reducatur: necesse est in quouis illius opere iustitiam & misericordiam inueniri.

QVAESTIO XXII.

De Prouidentia Dei, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum prouidentia Deo conueniat.

Cõclusio. Cùm in mente diuina præexistant omnium rerum rationes, prout in finem, & præcipuè ultimum ordinantur: in eo prouidentiam esse necesse est, quæ est ratio ordinis rerum in finem.

ART. II. Vtrũ oĩa sint subiecta diuinæ prouidentiæ.

Cõclusio. Deus, cùm omnium sit prima causa omnia etiam in particulari cognoscens; quæuis subiecta esse diuinæ prouidentiæ, non tantùm in uniuersali, sed etiam in singulari necessarium est.

ART. III. Vtrũ Deus ĩmediatè omnibus prouideat.

Cõclusio. Immediatè Deus omnibus prouidet, quo ad ordinis rationem; quo uerò ad executionem ordinis, per aliqua media prouidet.

ART. IIII. Vtrum prouidentia rebus prouisis necessitatem imponat.

Conclusio. Cum ad diuinam prouidentiam propter uniuersi perfectionẽ spectet, quoscunque essendi gradus in ipso producere: non omnibus rebus à se prouisis necessitatem imponit, sed quibusdam, quibus præparauit causas necessarias.

QVAESTIO XXIII.

De Prædestinatione, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum homines prædestinentur à Deo.

Con-

Conclusio. Prædestinantur homines à Deo, prout omnium ordinatio, ratioque transmissionis rationalis creaturæ in ultimum finem, in ipso præexistit.

ART. II. Vtrum prædestinatio aliquid ponat in prædestinato.

Cõclusio. sicut prouidẽtia est ratio ordinis rerum in finem in mente prouisoris existens, & non in rebus prouisis: ita prædestinatio tantùm in mente diuina ponit rationem ordinis electorum.

ART. III. Vtrum Deus aliquem hominem reprobet.

Conclusio. Cùm ad diuinam prouidentiam pertineat, aliquos permittere à uita æterna deficere, ad eum pertinet etiam aliquos consequenter reprobare.

ART. IIII. Vtrum prædestinati eligantur à Deo.

Conclusio. Omnes à Deo prædestinati sunt electi & dilecti, cùm prædestinatio electionem, & ea dilectionem sequatur.

ART. V. Vtrum præscientia meritorum, sit causa prædestinationis.

Conclusio. Prædestinatio cùm sit ęterna, nulla ex parte actus prædestinantis causam habet, sed ex parte effectus: ita tamen quòd particularis effectus inuicem causatur, ut meritum & præmium, gratia & gloria: totus tamen prædestinationis effectus nullam causam habet pręter diuinam bonitatem.

ART. VI. Vtrum prædestinatio sit certa.

Conclusio. Prædestinatio non ita certa est, quòd prædestinatis necessitatem imponat. sed sicut, stante infallibili prouidentiæ ordine, multa contingenter eueniunt: ita certus est prædestinationis ordo, quòd iuxta arbitrij libertatem prædestinationis effectus contingenter eueniunt.

ART.

ART. VII. Vtrum numer⁹ prædestinatorũ sit certus.

Conclusio. Numerus prædestinatorũ soli Deo certus est, non solum formaliter, sed materialiter, non solum ut cognitus, sed ut electus & prædiffinitus non sic autem certus est numerus reproborum.

ART. VIII. Vtrum prædestinatio possit iuuari precibus Sanctorum.

Conclusio. Prædestinatio, quò ad ipsam præordinationem, nullo iuuari potest: quo uerò ad effectum, iuuari Sanctorum precibus potest, ac multis alijs pijs operibus.

QVAESTIO XXIIII.

De Libro uitæ, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum liber uitæ sit idem quod prædestinatio.

Conclusio. Liber uitæ in Deo metaphoricè dictus est firma notitia significatiua prædestinatorum

ART. II. Vtrum liber uitę sit solum respectu uitæ gloriæ prædestinatorum.

Conclusio. Liber uitæ propriè uitam gloriæ respicit, cùm in eo conscripti sint qui à Deo eligunt.

ART. III. Vtrum aliquis deleatur de libro uitæ.

Conclusio. Cùm liber uitæ conscriptio sit ordinatorum ad uitam æternam ex prædestinatione & præsenti gratia, deleri aliquos de libro uitæ, non solùm secundum hominum opinionem, sed secundum rei ueritatem, asserendum est.

QVAESTIO XXV.

De Diuina potentia, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Deo sit potentia.

CON-

Conclusio. Cùm Deus sit maximè in actu, ac simpliciter perfectus: maximè ei conuenit esse principiũ actiuum, ac potentia actiua, non autem passiua.

ART. II. Vtrum potentia Dei sit infinita.

Conclusio. Cùm esse Dei sit infinitum, eius potentia actiua est infinita.

ART. III. Vtrum Deus sit omnipotens.

Conclusio. Cùm possit Deus omnia efficere quæ esse possunt, non autem ea, quæ contradictionem implicant: omnipotens meritò dicitur.

ART. IIII. Vtrum Deus possit facere quòd præterita non fuerint.

Conclusio. Quòd præterita non fuerint cùm cõtradictionem implicet, non subiacet diuinæ potestati.

ART. V. Vtrum Deus possit facere quæ non facit.

Conclusio. Cùm Deus propter bonitatẽ suã agat (q̃ improportionabiliter omnia à se facta excedit) nec ex natura, seu quouis in ipso habitu in existente limitatur ad certum ordinem rerum: plura & maiora facere potest, quàm quæ facit.

ART. VI. Vtrum Deus possit meliora facere ea, quæ facit.

Conclusio. Non potest à Deo res eadẽ meliori fieri substantialiter, sed accidentaliter: potest tamen Deus quauis re à se facta meliorem simpliciter facere.

QVAESTIO XXVI.

De Diuina Beatitudine, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum Beatitudo Deo competat.

Conclusio. Cùm Deus sit perfectissimo modo, & secũdum omnem gradum perfectionis intellectualis naturæ

naturæ simpliciter perfectus; beatitudo sibi quàm maximè conuenit.

ART. II. Vtrum Deus dicatur beatus secundùm intellectum.

Conclusio. Cùm beatitudo sit bonum perfectum secundùm intellectum: ipsa intellectus operatione Deus beatus dicitur.

ART. III. Vtrum Deus sit beatitudo cuiuslibet beati.

Conclusio. Deus est ipsa omnium beatornm obiecta beatitudo, non formalis, nisi suiipsius.

ARTIC. IIII. Vtrum in Dei beatitudine omnis beatitudo includatur.

Cōclusio. Quicquid desiderabile est in quacunque fœlicitate, id omne eminenter in diuina felicitate continetur.

QVAESTIO XXVII.

De processione diuinarum Personarum, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum processio sit in diuinis.

Conclusio. Cùm Deus sit super omnia intellectualis naturæ existens: nulla in eo processio est, nisi sequens intelligibilem eius operationem, secundùm quàm in ipso aliquid procedit.

ART. II. Vtrum aliqua processio in diuinis generatio dici possit.

Conclusio. Processio secundùm quam uerbum in diuinis procedit, est generatio, non quidem communiter, sed propriè, quæ origo uiuentis à principio uiuente coniuncto secundùm similitudinem eiusdem naturæ est.

ART. III. Vtrum sit in diuinis alia processio à generatione uerbi.

Con-

Conclusio. Præter uerbi diuini processioné sequentem intelligibilem eius operationem, alia quædam amoris processio est sequens actionem uoluntatis.

ART. IIII. Vtrum processio amoris in diuinis sit generatio.

Conclusio. Cùm processio amoris non sit secundum rationem similitudinis ea minimè generatio est; & quod procedit in ea, non genitus seu filius, sed spiritus est.

ART. V. Vtrum sint plures processionas in diuinis, quàm duæ.

Conclusio. Cùm processiones in diuinis sequantur actiones immanétes, quæ in natura intellectuali sunt tantùm duæ, intelligere & uelle: duæ duntaxat processiones sunt in diuinis: uerbi scilicet, & amoris.

QVAESTIO XXVIII.

De relationibus Diuinis, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum in Deo sint aliquæ relationes reales.

Conclusio. Relationes in diuinis. cùm sint secundũ processiones in identitate naturæ, reales quidem esse relationes necessarium est.

ART. II. Vtrũ relatio in Deo sit idé quod sua essétia.

Conclusio. Relatio realiter in Deo existens, idé est essentiæ secundum rem: non differt autem nisi secundum rationem, eò quod relatio importat respectũ ad oppositum, essentia autem non.

ART. III. Vtrum relationes quæ sunt in Deo, realiter adinuicem distinguantur.

Conclusio. Distinguuntur reales relationes in Deo realiter: nõ quidem secundũ absolutũ, sed respectiuũ.

ART. IIII. Vtrum in Deo sint tantum quatuor relationes reales: scilicet, 1. paternitas, 2. filiatio, 3. spiratio & 4. processio.

ART.II. Vtrum in Deo sint plures personæ, q̃ tres.

Conclusio, Tres tantùm in diuinis personæ sunt, Pater, Filius, & Spiritussanctus.

ART.III. Vtrum termini numerales ponant aliquid in diuinis.

Conclusio, Termini numerales in diuinis significãt ea, de quibus dicũtur, sola negatiõe superaddita.

ART.IIII. Vtrum hoc nomen (persona) possit esse commune tribus personis.

Conclusio. Personæ nomẽ commune est tribus personis, non secundum rem, sed secundùm rationem: non quidem sicut genus, uel species, sed ut indiuiduum uagum.

QVAESTIO XXXI.

De his quæ ad unitatem uel pluralitatem pertinent in diuinis, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum sit trinitas in diuinis.

Conclusio. In Diuinis, Trinitatis nomine utẽdum est, ad significandum hoc idem determinare, quod pluralitas inde terminatè.

ART.II. Vtrum filius sit alius à patre.

Conclusio. Cùm nomen (Alius) masculinè acceptum non nisi distinctionem suppositi in natura significet: Filius, alius à Patre conuenienter dicitur.

ART.II. Vtrum dictio exclusiua (Solus) sit addenda termino essentiali in diuinis.

Cõclusio. Dictio exclusiua non cathegorematicè, sed syncathegorematicè termino essentiali in diuinis addenda est: id est, non quatenus solitudinem, sed ut aliorum exclusionem significat.

A R-

ARTICVLVS III. Vtrum dictio exclusiua posſit adiungi termino perſonali.

Concluſio. Dictio excluſiua non adiungitur terminis perſonalibus, reſpectu prædicati communis.

QVAESTIO XXXI,

De diuinarum perſonarum cognitione, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum trinitas diuinarum perſonarum posſit per naturalem rationem cognoſci.

Concluſio Imposſibile eſt per rationem naturalẽ ad diuinarum perſonarum cognitionem peruenire.

ART. II. Vtrum ſint ponendæ notiones in diuinis.

Concluſio. Notiones quaſdam in diuinis neceſſe eſt poni, inquantum eſſentialia nomine ſignificare oportet in abſtracto & in concreto, quod nullatenus diuinæ ſimplicitati obſtat.

ART. III. Vtrum ſint quinque notiones.

Concluſio. Quinque tantùm notiones ſunt in diuinis 1. innaſcibilitas, 2. paternitas, 3. filiatio, 4. communis ſpiratio, & 5. procesſio.

ART. IIII. Vtrũ liceat cõtrariè opinari de notionibꝰ.

Concluſio. Cúm notiones ad fidem non niſi indirectè ſpectent: cõtrariè opinari de ipſis licet, ſi nihil adſit, uel cõſideretur cõſequi, qđ fidei eſt cõtrarium.

QVAESTIO XXXIIII,

De perſona Patris, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum competat Patri eſſe principium.

Concluſio. Cùm Pater ſit à quo eſt Filius, & Spiritus ſanctus: conuenienter ſibi eſſe principiũ conue-

AR-

ART. II. Vtrum hoc nomen (Pater) sit nomen propriè diuinæ personæ.

Conclusio. Cùm ipsa paternitate Pater in diuinis distinguatur ab omnibus alijs personis, conueniēter sibi patris nomen conuenit.

ART. III. Vtrum hoc nomen (Pater) dicatur in diuinis per priùs, secundum quod personaliter sumitur.

Conclusio. Cùm in Deo patre perfecta paternitatis ratio inueniatur respectu filij, in Deo autē & creatura non nisi secundùm aliqualem similitudinem: prius nomē patris in diuinis dicitur personaliter, quàm essentialiter.

ART. IIII. Vtrum esse ingenitum, sit patri proprium.

Conclusio. Ingenitum esse est proprium patri, inquantum sibi proprium est non ab alio esse.

QVAESTIO XXXIIII.

De persona filij, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum uerbum in diuinis sit nomen personale.

Conclusio. Verbum in diuinis cùm procedens ab alio importet: non essentialiter, sed personaliter tantum sumitur.

ART. II. Vtrum uerbum sit proprium nomen filij,

Conclusio. Verbum in diuinis, cùm dicatur personaliter, & secundùm quid est procedens emanatione intellectus: Filij personæ proprium nomen est.

ART. III. Vtrum in nomine uerbi importetur respectus ad creaturam.

Conclusio. Cùm Deus intelligēdo se in productione uerbi, intelligat creaturas: in uerbi nomine intelligitur respectus ad creaturas.

QVAESTIO XXXV.

De Imagine, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum imago in diuinis dicatur personaliter.

Conclusio. Cúm imaginis nomen originem in diuinis importet, personaliter in diuinis dicitur.

ART. II. Vtrum nomen imaginis sit proprium filio.

Conclusio. Cùm filius in diuinis procedat ut uerbum, Spiritus autem Sanctus ut amor: nomen imaginis proprium est filio, non autem Spiritui Sancto.

QVAESTIO XXXVI.

De persona Spiritus Sancti, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum hoc nomen (Spiritus Sanctus) sit proprium nomen alicuius diuinæ personæ.

Cōclusio. Spiritus Sancti nomen proprium est personæ diuinæ procedentis, ut amor.

ART. II. Vtrum Spiritus Sanctus procedat à filio.

Cōclusio. Spiritus Sanctus ita necessariò procedit à filio, quòd si non procederet, non distingueretur ab eo personaliter.

ART. III. Vtrum Spiritus Sanctus procedat à patra per filium.

Conclusio. Cùm filius à patre habeat, quòd ab eo Spiritus Sanctus procedat; pater per ipsum filium spirare Spiritum Sanctum dicitur.

ART. IIII. Vtrum pater & filius sint unum principium Spiritus Sancti.

Conclusio. Pater & Filius ad Spiritum Sanctum relati, cùm nulla relatiua oppositione distinguantur, unum principium sunt Spiritussancti.

QVAE-

QVAESTIO XXXVII.

De nomine Spiritus Sancti, quod est amor, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum amor sit proprium nomen Spiritussancti.

Conclusio. Amor personaliter acceptus proprium nomen est Spiritussancti.

AR. II. Vtrũ pater, & filius diligãt se Spiritussancto.

Conclusio. Pater & filius non diligũt se Spiritussancto prout diligere essentialiter sumitur: diligunt autem se, si diligere notionaliter accipiatur.

QVAESTIO XXXVIII.

De nomine Spiritus Sancti, quod est donum, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum donum sit nomen personale.

Conclusio. Cùm personæ diuinæ conueniat alicuius esse per originem, & haberi à creatura rationali, non ex propria uirtute competit necessariò personæ diuinæ donum esse, & dari.

AR. II. Vtrũ donũ sit propriũ nomen Spiritussancti.

Cõclusio Cũ Spiritussanctus procedat in diuinis, ut amor; donum est ei proprium nomen & personale.

QVAESTIO XXXIX,

De personis ad essentiam relatis, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum in diuinis essentia sit idem quod persona.

Conclusio. Cùm persona sit relatio subsistens in diuina natura, idem realiter est quod diuina essentia; distinguuntur tamen personæ diuinæ inter se realiter, ratione oppositæ realis relationis.

ART. II. Vtrum ſit dicendum, tres perſonas eſſe unius eſſentiæ.

Concluſio. Eſſentia diuina, cùm in diuinis ſignificetur ut forma: erit una trium perſonarum, quæ tres erunt unius eſſentiæ.

ART. III. Vtrum nomina eſſentialia prædicentur ſingulariter de tribus perſonis.

Concluſio. Nomina eſſentialia ſubſtantiua in diuinis in ſingulari tantùm prædicantur de perſonis: nomina uerò adiectiua in plurali tantùm.

ART. IIII. Vtrum nomina eſſentialia concreta posſint ſupponere pro perſona.

Concluſio. Nomina eſſentialia in diuinis concreta nonnumquam pro eſſentia, aliquādo pro una perſona; nonnumquam etiam pro tribus ſupponunt perſonis, ſecundùm quod adiungitur nomen ad eſſentiam ſeu perſonam ſpectans.

ART. V. Vtrum nomina eſſentialia in abſtracto ſignificata posſint ſupponere pro perſona.

Concluſio. Eſſentialia nomina in abſtracto minimè pro perſona ſupponere poſſunt.

ART. VI. Vtrum perſonæ posſint prædicari de nominibus eſſentialibus.

Concluſio. Nomina tam perſonalia, quàm notionalia, ſi ſunt adiectiua, non prædicantur de eſſentia: ſi uerò ſint ſubſtantiua, de ea prædicantur.

ART. VIII. Vtrum nomina eſſentialia ſint appropríanda perſonis.

Concluſio. Decuit ad fidei manifeſtationem eſſentialia nomina perſonis diuinis appropriari & accommodari, uel per uiam ſimilitudinis, uel diſſimilitudinis.

ART. VII. Vtrum conuenienter à ſacris doctoribus ſint eſſentialia perſonis attributa.

Con-

Cõclusio. In consideratione Dei qua Deus absolutè secundum esse suum consideratur, Patri æternitas, Filio species, usus uerò Spirituisancto: in consideratione uerò Dei, qua unus consideratur, Patri unitas, Filio æqualitas, Spirituisancto concordia, uel connexiō, in consideratione uerò Dei secundum rationem causalitatis, Patri potētia, Filio sapientia, Spirituis. bonitas attribuitur: in consideratione uero Dei, ut suos respicit effectus, appropriatur Patri à quo, Filio per quem Spirituisancto in quo.

QVAESTIO XL.

De personis in comparatione ad relationes & proprietates, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum relatio sit idem quod persona

Conclusio. Relationes ac proprietates in personis & personæ ipsæ sunt.

ART. II. Vtrum personæ distinguãtur per relatiões.

Conclusio. Relationibus potius, quàm per originē diuinæ personæ seu hypostases distinguuntur

ART. III. Vtrum abstractis per intellectum relationibus à personis, adhuc remaneant hypostases.

Conclusio. Abstractis totali abstractione proprietatibus, sola essentia, & nō personæ remanent; formali uerò abstractione abstractis proprietatibus nō personalibus, remanent personæ: sed abstractis formali abstractione personalibus proprietatibus, non remanent hypostases.

ART. IIII. Vtrum actus notionales præintelligãtur proprietatibus.

Conclusio. Origo passiuè præcedit proprietates personarum præcedentium etiam personales, actiuè uerò præcedit originantis relationem, non personalē.

QVAESTIO XLI,

De personis in comparatione ad actus notional in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum actus notionales, sint atribuendi personis.

Conclusio. Actus notionales propter ordinem originis conuenienter attribuuntur diuinis personis.

ART. II. Vtrum actus notionales sint uoluntarij.

Conclusio. Actus notionales non nisi comitanter uoluntarii esse dicuntur.

ART. III. Vtrum actus notionales sint de aliquo.

Conclusio. Filius Dei propriè & uerè filius, non ex nihilo, sed ex tota substantia patris genitus cum sit, actus notionales de aliquo necessario sunt.

ART. IIII. Vtrũ in diuinis sit potentia respectu actuum notionalium.

Cõclusio. Cum in diuinis sint actus notionales: potentiam quoque ibi horum actuum ponere oportet, ut in Patre, potentiam generandi Filium, in Patre & in Filio, spirandi Spiritum Sanctum potentiam.

ART. V. Vtrum potentia generandi significet relationem, & non essentiam.

Cõclusio. Potentia generandi principaliter diuinã significat essentiam, & in recto, paternitatem uerò ac relationem, non nisi in obliquo.

ART. VI. Vtrum actus notionalis ad plures personas termiminari possit.

Conclusio. In diuinis unus tantum est pater, unus filius, unus Spiritussanctus.

Quę-

QVAESTIO XLII.

De Equalitate & ſimilitudine diuinarum perſonarum ad inuicem, in ſex articulos diuiſa-

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum æqualitas locum habeat in diuinis.

Concluſio. Cum in diuinis ſit una eſſentia; æqualitatem quoque ibi ponere, neceſſarium eſt.

ART. II. Vtrum perſona procedens ſit coæterna ſuo principio, ut filius patri.

Concluſio. Cum pater non uoluntate, ſed natura ab æterno perfecta, abſque ſucceſsiua actione filium generet; eundem ipſum ſibi coæternum habet.

ART. III. Vtrum in diuinis perſonis ſit ordo naturæ.

Concluſio. Quendam in diuinis naturæ ordinem neceſſe eſt eſſe, ſecundum quod ibi quoddam originis principium eſſe abſque prioritate.

ART. IIII. Vtrum filius ſit æqualis patri ſecundum magnitudinem.

Concluſio. In diuinis neceſſe eſt filium eſſe æqualē patri in magnitudine, accipiendo totam naturæ patris perfectionem.

ART. V. Vtrum filius ſit in patre: & econuerſo.

Concluſio. In diuinis pater eſt in filio, & econtra ſecundum eſſentiam, relationem, & originem.

ART. VI. Vtrum filius ſit æqualis patri ſecundum potentiam.

Concluſio. Cum filius æqualis ſit patri in perfectio

QVAESTO XLIII.

De Missione diuinarum personarum in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum alicui personæ diuinæ conueniat mitti.

Conclusio. Diuinæ personæ conueniat mitti, inquãtum originatur ab alia. Et nouo modo essendi incipit esse, ut filius à patre missus est in mundum per assumptam carnem, ubi semper fuit secũdum diuinitatem.

ART. II. Vtrum misio sit æterna, uel temporalis tantum.

Conclusio. Missio contra generationem & spirationem distincta, temporalis est.

ART. III. Vtrum misio inuisibilis diuinæ personæ, sit solũ secundũ donum gratiæ gratum facientis.

Conclusio. Non mittitur diuina persona inuisibiliter, nisi secundum solam gratiam gratum facientem, quo simul datur, ac mittitur.

ART. IIII. Vtrum patri conueniat mitti.

Conclusio. Cum Pater in diuinis ab alio non sit, mitti minimè dicitur, sed solum Filius & Spiritus sanctus, qui ab alio sunt.

ART. V. Vtrum filio conueniat inuisibiliter mitti.

Conclusio. Cũ filio & Spirituisancto rationalis naturæ mentem per gratiam inhabitare conueniat, & ab alio esse, eis quoque conuenire necesse est inuisibiliter mitti: non autem patri, cui ut & toti Trinitati cõuenit per gratiam inhabitare. sed non ab alio esse, & per consequens nec mitti.

ART. VI. Vtrum misio inuisibilis fiat ad omnes, qui sunt participes gratiæ.

Conclusio. Ad omnes participes gratiæ conuenit: ut inuisibilis misio fiat.

AR-

ART. VII. Vtrum Spiritui sancto conueniat uisibiliter mitti.

Conclusio. Filium & Spiritum sanctum decuit uisibiliter mitti: Filium, ut sanctificationis auctorem, Spiritum sanctum, indicium sanctificationis.

ART. VIII. Vtrum aliqua persona diuina mittatur, nisi ab ea à qua procedit, æternaliter.

1 Conclusio. Secundum missionem, ut processio est, non mittitur persona, nisi ab ea, à qua æternaliter procedit: ut Filius à Patre, Spiritus sanct⁹ à Patre & Filio.

QVAESTIO XLIIII.

De processione creaturarum à Deo, & de omnium entium prima causa: in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum sit necessarium omne ens esse creatum à Deo.

Conclusio. Cum Deus sit ipsum subsistens esse, qđ unum tantum est; necesse est omne ens, quocunque modo est, à Deo esse.

ART. II. Vtrum materia prima sit creata à Deo.

Conclusio. Necessarium est primam materiã creatam esse ab uniuersali entium causa, quæ Deus est.

ART. III. Vtrum causa exemplaris sit aliquid præter Deum.

Conclusio. Cum ex diuina sapientia determinatæ naturales formæ procedant: Deum ipsum exemplar primum rerum omnium esse, asserendum est.

ART. IIII. Vtrum Deus sit causa finalis omnium.

Conclusio. Cum Deus sit primum agens, primus quoque finis omnium necessariò est.

QVAESTIO XLV.

De Modo emanationis rerum à primo principio, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum creare sit ex nihilo aliquid facere.

Conclusio. Creare est ex nihilo aliquid facere.

ART.II. Vtrum Deus posit aliquid creare.

Conclusio. Cum nihil in uniuersitate entium sit nõ causatum ab ipso, non solum posibile, sed necessariũ est, omnia à Deo creata esse.

ART.III. Vtrum creatio sit aliquid in creatura.

Conclusio. Creatio in creatura non est nisi relatio quędam ad creatorem, ut ad principium.

ART. IIII. Vtrum creari sit proprium compositorũ & subsistentium.

Conclusio. Creari propriè subsistentibus in suo esse conuenit, aliis uerò concreari.

ART.V. Vtrum solius Dei sit creare.

Conclusio. Cum ipsum esse, quod inter omnes effectus uniuersalisimum est, terminus sit creationis, solum Dei est, qui prima & uniuersalisima causa est.

ART.VI. Vtrum creare sit propriũ alicuius personæ.

Conclusio. Creare commune est toti Trinitati, & personis diuinis, non nisi ut essentialia attributa includunt, scientiam scilicet & uoluntatem, conuenire potest.

ART.VII. Vtrum in creaturis sit necesse inueniri uestigium Trinitatis.

Conclusio. In rationalibus creaturis est imago Trinitatis: in cæteris uerò creaturis est uestigium Trinitatis: quatenus in eis inueniuntur aliqua: quæ reducuntur in diuinas personas:

ART. Vtrum creatio admisceatur in operibus naturæ & artis.

CON-

Conclusio. Creatio non admiscet operibus naturæ & artis, sed ad eorũ operationẽ aliquid præsupponitur.

QVAESTIO XLVI.

De Principio durationis rerum creatarum, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum uniuersitas creaturarum semper fuerit.

Conclusio. Non est necessarium mundum semper fuisse, cùm ex uolũtate diuina processit. quamuis possibile hoc fuerit, si Deus uoluisset nec, demonstratiuè hoc probari ab aliquo unquam potuit.

ART. II. Vtrum mũdum incœpisse sit articulus fidei.

Conclusio. Mundum incœpisse sola fide tenetur, nec demonstratiuè hoc sciri potest, sed id credere maximè expedit.

ART. III. Vtrũ creatio rerum fuerit in principio tpis.

Conclusio. In principio tẽporis omnia à Deo creata sunt, & in principio, id est, in filio, & in principio, id est, ante omnia.

QVAESTIO XLVII.

De rerum distinctione in communi, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum rerum multitudo & distinctio sit à Deo.

Conclusio. Cùm propter bonitatem suam communicandam condiderit Deus creaturas, & per illas repræsẽtandã nõ ex materia, uel ex agẽte & materia, aut ex secundis causis, sed ex intentione primi agentis & Dei, multæ & diuersæ creaturæ processerunt.

ART. II. Vtrum inæqualitas rerum sit à Deo.

Cõclusio. Sicut ex diuina sapiẽtia multæ & diuersę creaturæ ĩ esse pcesserũt, ita eadẽ ex causa rerũ ĩæqualitas pcessit, & ñ ex meritis seu dẽ meritis creaturarũ.

ART. II. Vtrum sit unus mundus tantum.

Conclusio. Cùm uniuersas creaturas ad se, & inuicem mirabili quodam ordine instituerit Deus, unũ tantũ mundum, & non plures ponere, conueniẽs est.

QVAESTIO XLVIII,

De rerum distinctione in speciali, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum malum sit natura quædam.

Conclusio. Non existens aliquid, uel natura aliqua, sed ipsa boni absentia, malum est.

ART. II. Vtrum malum inueniatur in rebus.

Conclusio. Sicut ad uniuersi perfectionẽ oportuit non tantum incorruptibilia & indefectibilia à bono esse, ita necesse est in rebus inueniri malum, sicut defectus & corruptio boni, nõ quidem positiuè, sed formaliter remotiuè.

ART. III. Vtrum malum sit in bono sicut in subiecto.

Conclusio. Cùm malũ sit priuatio boni, & in eodẽ subiecto sint, malum in bono, nõ negatiuè, sed priuatiuè est, ut in suo subiecto.

ART. IIII. Vtrum malum corrumpat totum bonum.

Conclusio. Malũ corrumpit totum sibi oppositum bonum: nunquã autem bonum, quod est subiectum, nec bonum totum, quod est habilitas subiecti ad actũ corrumpere potest.

ART. V. Vtrum malũ sufficienter diuidatur in pœnam & culpam.

Conclusio. Quoduis malum cùm bono oppositũ sit, in rebus uoluntariis est pœna, uel culpa.

ART. VI. Vtrum habeat plus de ratione mali pœna, quàm culpa.

Concluſio. Culpæ malum cum ſit quo mali ſumus, & à noſtra ſit tantùm uoluntate, non autem malum pœnæ: malum culpæ longè maius malum eſt, quàm ipſa pœna.

QVAESTIO XLIX.

De cauſa mali, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum bonum poſſit eſſe cauſa mali.

Concluſio. Bonũ nonniſi materialiter, ut uidelicet ſubiectum mali, & per accidens, eſt cauſa mali: non autem ut eſt forma, uel finis, uel per ſe agens.

ART. II. Vtrum ſummum bonum, quod eſt Deus, ſit cauſa mali.

Cõcluſio. Cùm ſummum bonum perfectiſſimum ſit, mali cauſa eſſe non poteſt, niſi per accidens.

ART. III. Vtrum ſit unum ſummum malum, quod ſit cauſa omnis mali.

Concluſio. Cùm nullum ſit per eſſentiam malum, non datur in rebus aliquod ſummum malum omniũ malorum cauſa, ſicut datur ſummum bonum, omnium bonorum cauſa.

QVAESTIO L.

De Subſtantia Angelorum abſolutè, in quinque articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum Angelus ſit omnino corporeus.

Concluſio. Cùm neceſſarium ſit uniuerſum aſſimilari Deo, qui eſt agens per intellectum & uoluntatẽ: opportuit inter creaturas reperiri aliquas purè intellectuales & incorporeas.

ART. II. Vtrum Angelus ſit compoſitus ex materia & forma.

Con-

Conclusio. Errant, qui angelos ex materia & forma compositos esse affirmant.

ART. III. Vtrum Angeli sint in aliquo magno numero.

Conclusio. Angeli, cùm longè perfectiores sint corporalibus creaturis: in quadã maxima multitudine sunt, omnẽ materialẽ multitudinem excedentes.

ART. IIII. Vtrum Angeli differant specie.

Cóclusio. Cùm omnes spirituales substantiæ ex materia & forma compositæ non sint, eiusdem non sunt speciei,

ART. V. Vtrum Angeli sint incorruptibiles.

Conclusio. Quæuis substantia intellectualis, & Angeli cùm simplices sint: incorruptibiles sunt secundum suam naturam.

QVAESTIO LI.

De Comparatione Angelorum ad corpora, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrũ Angeli habeãt corpora naturaliter sibi unita.

Conclusio. Substantiæ intellectuales & Angeli, cũ non suscipiant scientiam à sensibilibus: non habent corpora sibi naturaliter unita.

ART. II. Vtrum Angeli assumant corpora.

Cóclusio. Cũ Angeli corpora non sint, nec ea naturaliter unita habeant, interdũ in corporib⁹ uisa sint: nonnumquam corpora assumere illos non dedecet.

ART. III. Vtrum Angeli in corporibus assumptis opera uitę exerceant.

Conclusio. Angeli in corporibus assumptis opera quædam uitæ exercere ualent, quò ad id in quo communicant cum corporibus non uitalibus, non autem quo ad illud, quod proprium uiuentium est.

Quæ

QVAESTIO LII.

De comparatione Angelorum ad loca, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum Angelus sit in loco.

Conclusio. Angelus non est in loco, nisi secundùm contactum uirtualem, nec commensuratur, nec continetur à loco.

ART. II. Vtrũ Angelus possit eẽ in plurib. locis simul.

Conclusio. Cùm uirtus Angeli finita sit & particularis, Dei uerò infinita: non ubique Angelus est, sicut Deus, sed in uno particulari loco diffinitiuè.

ART. III. Vtrum plures angeli possint simul esse in eodem loco.

Conclusio. Cùm angeli sint in loco secundùm suã uirtutem contingentem locum per modum continentis perfecti: impossibile est, plures angelos esse in eodem loco, sed unus angelus in uno tantum loco est.

QVAESTIO LIII.

De Motu locali Angelorum in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum angelus possit moueri localiter.

Conclusio. Sicut angelus non est in loco ut cõtētũ à loco, quemadmodum corpora, sed ut continens: ita nec in loco mouetur motu continuo, nisi per accidẽs.

ART. II. Vtrum angelus transeat per medium.

Cõclusio. Angelus, cùm mouetur motu continuo, necessariò transit per media: motu uerò non cõtinuo, potest non per omnia media pertransire.

ART. III. Vtrum motus Angeli sit in instanti.

Conclusio. Angelus cùm propriè moueatur motu continuo, uel discreto: non in instanti, sed in tempore continuo, uel discreto moueri necesse est.

QVAESTIO LIIII.

De cognitione Angelorum, in quinque articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum intelligere Angeli ſit eius ſubſtantia.

Concluſio. Cùm ſolus Deus actus purus exiſtẽs, ſit ſuum intelligere: nulla cuiuſuis creaturæ actio eſt idẽ quod ſubſtantia eius, nec etiam ipſum intelligere Angelorum idem eſt ſubſtantia ipſorum.

ART. II. Vtrum intelligere Angeli ſit eius eſſe.

Cõcluſio. Cũ ſolius Dei eſſe ſit infinitũ, actio uerò cuiuſuis creatæ ſubſtãtiæ finita aliquo pacto ſit. Angeli actionẽ ab ipſo ſuo eſſe diuersã affirmare neceſſe ẽ, ſicut cuiuslibet creaturę opatio diſtinguitur ab eſſe.

ART. III. An potentia intellectiua Angeli ſit eius eſſentia.

Concluſio. Cùm eſſe cuiuslibet creaturæ diſtinctũ ſit ab ipſa operatione: omnis quoque creaturæ ſubſtã tiæ potentiam ab eſſentia diſtinctam eſſe, neceſſe eſt.

ART. IIII. Vtrum in Angelo ſit intellectus agens & poſſibilis.

Concluſio. Cùm non ſint Angeli in potentia quandoque ad ſua intelligibilia, ſed in actu, quæ ex ſe ſunt ab ipſis primo intelligibilia: nullum in illis intellectum agentem, uel poſsibilem ponere oportet, niſi æquiuocè.

ART. V. Vtrum in Angelis ſit ſola intellectiua cognitio.

Concluſio. Angeli cùm ſint immateriales, à corpore penitus abſtracti, ac non habeant corpora naturaliter ſibi unita: in eis ſolùm intellectus, & uoluntas ex potentijs cognoſcitiuis dicitur, ac ex hoc uocantur intellectus & mentes.

QVAESTIO LV.

De medio cognitionis Angelicæ, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum Angeli cognoſcant omnia per ſuam ſubſtantiam.

Concluſio. Angelus non cognoſcit omnia per eſſentiam ſuam, ſicut Deus, ſed per ſimilitudines ſuper additas.

ART. II. Vtrum Angeli intelligant per ſpecies à rebus acceptas.

Cõcluſio. Angeli, cùm à corporibus ſint abſtracti, non intelligunt per ſpecies à rebus acceptas, ſed per ſpecies ſibi naturaliter congenitas.

ART. III. Vtrum ſuperiores Angeli intelligant per ſpecies magis uniuerſales, quàm inferiores.

Cõcluſio. Angeli quantò ſuperiores ſunt, tãtò per ſpecies uniuerſaliores intelligunt.

QVAESTIO. LVI.

De cognitione Angelorum reſpectu immaterialium, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum Angelus cognoſcat ſeipſum.

Concluſio. Cùm Angelus ſit intelligibile ſubſiſtens, ſeipſum per ſubſtantiam ſuam intelligit.

ART. II. Vtrum Vnus Angelus alium cognoſcat.

Concluſio. Quilibet Angelus cognoſcit alios per inditas omnium rerum rationes in eo.

ART. III. Vtrum Angeli per ſua naturalia Deum cognoſcere poſſint.

Concluſio. Poſſunt Angeli per ſuas naturales uires Deum aliqualiter cognoſcere.

QVAESTIO LVII.

De Angelorum cognitione, reſpectu rerum materialium, in quinque articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum Angeli cognoſcant res materiales.

Cōcluſio. Angeli, cùm ſuperiores rebus materialibus & corporalibus ſint, materialia omnia cognoſcūt per ſpecies intelligibiles exiſtentes in eis, inquantum in illis ſunt intelligibiliter.

ART. II. Vtrum Angelus cognoſcat ſingularia.

Concluſio. Angeli cognoſcunt ſingularia non in cauſis uniuerſalibus, ſed ut ſunt in ſeipſis per ſpecies influxas à Deo.

ART. III. Vtrum Angeli cognoſcant futura.

Cōcluſio. Futura neceſſaria in ſuis cauſis per certitudinem ab Angelis cognoſcuntur: futura uerò ut in pluribus, per coniecturam: futura uerò ut in paucioribus, penitus incognita ſunt: omnia uerò futura in ſeipſis à ſolo Deo cognoſcuntur.

ART. IIII. Vtrum Angeli cognoſcant cogitationes cordium.

Concluſio. Cognoſcunt Angeli cordium cogitationes in ſuis effectibus: ut autem in ſeipſis ſunt, Deo tantùm ſunt naturaliter cognitæ.

ART. V. Vtrum Angeli cognoſcant myſteria gratiæ.

Concluſio. Myſteria gratiæ, cùm ex ſola diuina uoluntate dependeant, non poſſunt naturali cognitione ab Angelis cognoſci, ſed tantùm ſupernaturali, & beatifica cognitione in uerbo ab Angelis cognoſcuntur.

QVAESTIO LVIII.

De modo cognitionis Angelicæ, in septem articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum intellectus Angeli quandoque sit in potentia, quandoque in actu.

Conclusio. Angeli, quæ naturaliter cognoscunt, nõ semper sunt in actu considerantes: sed quò ad cognitionem in Verbo, semper sunt actu considerantes.

AR. II. Vtrũ Angelus simul posit multa intelligere.

Cõclusio. Cognoscunt Angeli omnia simul in uerbo, & quęcunque per unam speciem repræsentari possunt: nõ possunt autem simul omnia cognoscere, quæ per diuersas species innatas representantur.

ART. III. Vtrum Angelus cognoscat discurrendo.

Conclusio. Angeli quæcunque cognoscunt, sine discursu apprehendunt.

A R T. IIII. Vtrum Angeli intelligant componendo, & diuidendo.

Conclusio. Angeli non cognoscunt componendo & diuidendo.

A R T. V. Vtrum in intellectu Angeli posit esse falsitas.

Conclusio. Nõ est aliqua in intellectu angelico falsitas per se, sed per accidẽs; cùm quicquid attingant, prima operatione intellectus cognoscant.

ART. V I. Vtrum in Angelis sit cognitio matutina & uespertina.

Conclusio. Distinguitur in Angelis cognitio matutina, qua res cognoscunt in prima causa, à uespertina qua cognoscunt res ut sunt in seipsis.

A R T. V I I. Vtrum una sit cognitio matutina & uespertina.

Concluſio. Cognitio ueſpertina, ut remittatur ad creaturas ſolum ut medium talis cognitionis, eſſentialiter à matutina diuerſa eſt; ut autem ſimul ad creaturas & ad uerbum terminatur, idem eſt cum illa, diſtincta tantum ex cognitorum diſtinctione.

QVAESTIO LIX.

De uoluntate Angelorum, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum in Angelis ſit uoluntas.

Concluſio. Cùm Angeli per intellectum uniuerſalem boni rationem attingant, eſt in eis uoluntas.

ART. II. Vtrum in Angelis uoluntas differat ab intellectu.

Concluſio. Voluntas Angelorum neque eſt intellectus, neque natura eorum.

ART. III. Vtrum in Angelis ſit liberum arbitrium.

Concluſio. Cùm Angeli ſint naturę intellectualis, in eis eſt liberum arbitrium.

ART. IIII. Vtrum in Angelis ſit iraſcibilis & concupiſcibilis.

Concluſio. Cùm in Angelis ſit ſolus appetitus intellectiuus, nõ diſtinguitur in eis aliqua uirtus iraſcibilis, uel cõcupiſcibilis, ſed indiuiſus in eis appetitus, qui dicitur uoluntas, manet.

QVAESTIO LX.

De Amore & dilectione Angelorum in quinque articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum in Angelo ſit amor ſeu dilectio naturalis.

Cõcluſio. In Angelis eſt naturalis dilectio, cùm ſint natura intellectuales.

ART.

ART. II. Vtrum in angelis sit dilectio electiua.

Cõclusio. Distinguitur in angelis duplex dilectio, naturalis & electiua, naturalis autẽ dilectio electiuæ principium est.

ART. III. Vtrum Angelus diligat seipsum dilectione naturali & electiua.

Conclusio. Diligit angelus seipsum naturali & electiua dilectione.

ART. IIII. Vtrum unus angelus naturali dilectione diligat alium sicut seipsum.

Conclusio. Cum omnes angeli conueniant in natura, unus alium sicut seipsum diligit naturali dilectione: quò ad aliquid uerò, non diligit dilectione naturali.

ART. V. Vtrum angelus naturali dilectione diligat Deum plus quàm seipsum.

Conclusio. Deus cum sit uniuersale bonum omnis creaturæ, Angelus ipsum plus quàm se diligit naturali dilectione, non autem amore concupiscentiæ.

QVAESTIO LXI.

De productione Angelorum in esse natura, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum angeli habeant causam sui esse.

Conclusio. Cum solus Deus sit ipsum esse subsistẽs non solum angelus, sed omnia ab ipso creata esse, necessarium est.

ART. II. Vtrum angelus sit productus à Deo ab æterno.

Conclusio. Solus Deus Pater, Filius, & Spiritussanctus ab æterno fuerunt, cætera uerò ex nihilo facta sunt, id est, postquam nihil fuerant.

ART. III. Vtrum angeli sint creati ante mundum corporeum.

Conclusio. Cum angeli ad uniuersi perfectionē creati fuerint, probabilius est, illos fuisse à Deo creatos cum ipso uniuerso, quàm antè.

ART. IIII. Vtrum angeli sint creati in cęlo empyreo.

Conclusio. Angelos nobiliores uniuersi partes docuit, in supremo loco, & cęlo empyreo creari.

QVAESTIO LXII.

De perfectione Angelorum in esse gratia & gloria, in nouem articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum angeli fuerint in sua creatione beati.

Conclusio. Angeli fuerunt à Deo creati beati beatitudine naturali, non autem beatitudine supernaturali, quæ in uisione diuinæ essentiæ consistit.

ART. II. Vtrum angelus indiguerit gratia ad hoc ꝙ conuerteretur in Deum.

Conclusio. Non potuit Angelus in Deum conuerti, nisi diuinæ gratiæ auxilio.

ART. III. Vtrum angeli sint creati in gratia.

Conclusio. Probabilius est angelos in gratia fuisse creatos, quàm sine gratia.

ART. IIII. Vtrum angelus creatus suam beatitudinē meruerit.

Conclusio. Cum solus Deus sit naturaliter ab æterno beatus, oportuit angelos, fuisse Deo creatos ut suā supernaturalem beatitudinem mererentur.

ART. V. Vtrum angelus statim post unum actum meriti, beatitudinem habuit.

CON-

Conclusio. Angelus post primum charitatis actum beatitudinem consecutus est.

ART. VI. Vtrum angeli sint consecuti gratiam & gloriam secundum quantitatem suorum naturaliũ.

Conclusio. Consecuti sunt angeli gratiam & gloriam secundum naturalium uirium quantitatem, ꝙ meliores & excellentiores maiorem gratiam & gloriam consequerentur.

ART. VII. Vtrum in angelis beatis remaneat cognitio & dilectio naturalis.

Conclusio. Remanet in angelis beatis naturalis cognitio, & dilectio.

ART. VIII. Vtrum angelus beatus peccare possit.

Conclusio. Cum non possit angelus beatus quicquam uelle, uel agere, nisi Deum attendés, qui est ipsa bonitas, non potest aliquo pacto peccare.

ART. IX. Vtrum angeli beati in beatitudine possint proficere.

Conclusio. Cum angeli moueantur à Deo in beatitudinem, non ualent amplius in ea proficere.

QVAESTIO LXIII.

De Angelorum malitia quo ad culpam, in nouem articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum malum culpæ possit esse in angelis.

Cõclusio. Quæuis creatura rationalis in puris naturalibus constituta errare ac peccare potest: Deus uerò nec errare, neque peccare potest, cum solus sui actus regula sit.

ART. II. Vtrum in angelis possit esse tantum peccatum superbiæ & inuidiæ.

Conclusio. Quæuis peccata in angelis esse possunt secundum reatum, secundum affectum autem primum peccatum aliud esse non potuit, quam superbia quod cõsequi potuit in illis aliquod inuidiæ peccatũ.

ART. III. Vtrum diabolus appetierit esse ut Deus.

Cõclusio. Peccauit angelus appetẽdo esse ut Deus, non quidem per æqualitatem, sed appetendo ut ultimum finem, quod uirtute suæ naturæ consequi poterat, uel appetendo assequi beatitudinem propriis uiribus absque diuinæ gratiæ auxilio.

ART. IIII. Vtrum aliqui dęmones sint naturaliter mali.

Conclusio. Dæmones aliqui, cum ad uniuersale bonum inclinentur, non sunt naturaliter mali.

ART. V. Vtrum diabolus fuerit malus in primo instãti suæ creationis per culpam propriæ uolũtatis.

Conclusio. Angelus cum fuerit à Deo productus, in primo instanti sui esse non peccauit, nec peccare potuit per inordinatum suæ uoluntatis actum.

ART. VI. Vtrum aliqua mora fuerit inter creationem & lapsum angeli.

Conclusio. Probabilius est & Sanctorum dictis magis consonum, angelum statim post primum instans suæ creationis peccasse, præcipuè si fuit in gratia creatus, non inconuenit autem, si non fuit in gratia creatus, moram aliquam fuisse inter creationem & lapsum.

ART. VII. Vtrum angelus supremus inter peccantes, fuerit supremus inter omnes.

Conclusio. Cum peccatum angeli ex arbitrii libertate præcesserit, consonum magis est, supremum angelum inter peccantes fuisse supremum inter omnes.

ART. VIII. Vtrum peccatum primi angeli fuerit aliis causa peccandi.

CON-

Conclusio. Primi angeli peccatum fuit aliis causa peccandi, non quidem cogens, sed quadam quasi exhortatione inducens.

ART. IX. Vtrũ tot peccauerunt, quot permanserunt.

Conclusio. Plures Angeli permanserunt in gratia quàm peccauerunt.

QVAESTIO LXIIII.

De pœna dæmonum, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum intellectus dæmonis sit obtenebratus per priuationem cognitionis omnis ueritatis.

Cõclusio. Cognitio naturalis in angelis peccãtibus nõ est ab illis ablata, uel diminuta, gratuita uerò speculatiua quorundam secretorum Dei, est diminuta, gratuita uerò, qua ferebantur in Dei amorem, est totaliter ablata.

ART. II. Vtrum uoluntas dæmonum sit obstinata in malo.

Conclusio. Quia hoc est angelis casus, quod hominibus mors, Angeli boni diuinæ iustitiæ adhærentes confirmati sunt in bono, angeli uerò mali, & dæmones obstinati remanserunt in malo.

ART. III. Vtrum dolor sit in Dæmonibus.

Conclusio. Dolor, nõ ut passio quædam, sed ut simplex uoluntatis actus in dæmonibus est, prout multa quæ sunt, esse non uellent, & quæ nõ sunt, esse uellẽt.

ART. IIII. Vtrũ aer iste sit locus pœnalis dæmonum.

Conclusio. Angelis malis duplex pœnalis conuenit locus, infernus, pro ipsorum culpa, aer iste caliginosus usque ad diem iudicii, ad bonorum exercitiũ.

QVAESTIO LXV,

De Opere creationis creaturæ corporalis, in quatuor articulos diuisa.

ART.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum creatura corporalis sit à Deo.

Conclusio. Cum corporalia & omnia conueniant in esse, necesse est ut omnia effectiuè in esse à Deo dependeant.

ART. II. Vtrum creatura corporalis sit facta propter Dei bonitatem.

Conclusio. Visibilia omnia corporalia sunt effectiuè à Deo producta, non pœnam spiritualium substã tiarum, sed ex ipsa Dei intentione propter diuinam bonitatem repræsentandam.

ART. III. Vtrum cratura corporis sit producta à Deo mediantibus angelis.

Conclusio. Creaturæ corporales sunt effectiuè & immediatè à Deo productæ, & non media aliqua angelorum operatione.

ART. IIII. Vtrum formæ corporum sint ab Angelis.

Conclusio. Cũ formæ sensibiles & corporales sint ex quibus composita sunt & fiunt, non producuntur à formis separatis, nisi ut motoribus ad formas: & à Deo ut prima cã, & à compositis agentibus corporalibus, ut propinquis agentibus educentibus illa.

QVAESTIO LXVI.

De ordine creationis ad distinctionem, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum informitas materiæ tempore præcesserit formationem ipsius.

Conclusio. Informitas materiæ non præcessit duratione eius formationem, aut distinctionem, sed natura, præcessit autem informitas materiæ eius formationem, id est, pulchritudinem & ornatum.

ART. II. Vtrum una sit materia in formis omniũ corporalium. CON-

Concluſio. Non eſt una omniū corporum corruptibilium & incorruptibilium materia.

ART. III. Vtrum cœlum empyreum ſit concreatū materiæ informi.

Conclusio. Cōueniens fuit in principio mundi corpus totaliter lucidum fuiſſe creatum, ubi inchoaretur beatorum gloria ſecundum corpus, quod cęlum empyreum eſt appellatum.

ART. IIII. Vtrum tempus ſit concreatum materiæ informi.

Concluſio, in prima mundi prigine fuit tempus informi materiæ concreatum.

QVAESTIO LXVII,

De opere diſtinctionis ſecundum ſe, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum lux propriè in ſpiritualibus dicatur.

Concluſio. Lumen, quo ad uſū, aſſumitur ad ſignificandum, quodcunque manifeſtationem & cognitionem facit, quo ad uerò primam impoſitionem, ut ſcilicet importet manifeſtationem in ſenſu uiſus, non niſi metaphoricè in ſpiritualibus aſſumitur.

ART. II. Vtrum lux ſit corpus.

Concluſió. Cū illuminatio fiat in inſtanti, & in omnem partem, lumen ipſum non eſt corpus.

ART. III. Vtrum lux ſit qualitas.

Concluſio. Cū lumen non ſit ſubſtantia, neque intētio, neceſſe eſt eſſe quandam actiuam qualitatem cōſequentem per ſe corpus lucens.

ART. IIII. Vtrum conuenienter lucis productio in prima die ponatur.

Concluſio. Decuit diuinæ ſapientiæ ordinē, ut primo die lux fieret.

QVAESTIO LXVIII,
De opere secundæ diei, in quatuor articulos diuisa:

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum firmamentum sit factum secunda die.

Conclusio. Secundum temporis ordinem, firmamẽtum, id est, cœlum sydereum, secundo die factũ fuisse, conueniens est secundum substantiam : est autem factum secunda die cœlum sydereum, id est, corpus ex elementis cõpositum, uel corpus simplex, uel prima pars aeris, si naturæ ordo attendatur in dierũ successione, quocunque modo acceptum.

ART. II. Vtrum aquæ sint supra firmamentum.

Conclusio. Fuerunt aquæ elementares supra firmamentum, id est, cœlum sydereum de natura quatuor elementorum, uel fuerũt aquæ super firmamentũ, id est, cœlum aliquod aqueum & diaphanum, & fuerũt aquæ super firmamentum supra aeris regionem, id est, aquæ pluuiales.

ART. III. Vtrum firmamentum diuidat aquas ab aquis.

Conclusio. Factum est firmamentum in medio aquarum, diuidens aquas superiores ab aquis inferioribus.

ART. IIII. Vtrum sit unum cœlum tantum.

Conclusio. Quod supra terram est, cœlum unum tantum est, multi autem sunt cœli ſm similitudinem ex sacris eloquiis acceptam.

QVAESTIO LXIX.
De Opere tertia diei, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum aquarum congregatio conuenientes dicatur facta tertia die.

CON-

Conclusio. Congruit, ut quarto die congregarentur aquæ quæ sub cœlo sunt, & appareret arida.

ART. II. Vtrum plantarum productio conuenienter tertia die facta legatur.

Conclusio. Cùm plantarum productio ad terram spectet: congruit, ut tertio die plantarum productionem factam fuisse in sacris describeretur eloquijs.

QVAESTIO LXX.

De Opere ornatus quantum ad quartam diem, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum luminaria debuerint produci quarta die.

Conclusio. Congruit in ornatu seculi, ut luminaria describerentur facta quarta die.

ART. II. Vtrum conuenienter causa productionis luminarium describatur.

Conclusio. Decuit, ut luminaria describerentur facta in signa, tempora, dies & annos.

ART. III. Vtrum luminaria cœli sint animata.

Cõclusio. Corpora cælestia non nisi æquiuocè animata dicuntur: scilicet diuerso modo ab ijs inferioribus, quibus coniungitur anima ut forma: illis uerò, ut motor tantùm.

QVAESTIO LXXI.

De opere quintæ diei.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrum conuenienter opus quintæ diei describatur.

Cõclusio. Cõueniẽs fuit, ut quĩta die describeretur, aquas produxisse reptile animæ uiuentis, & uolatilia.

QVAESTIO LXXII.

De opere sextæ diei.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrum conuenienter describatur opus sextæ diei.

Con-

Concluſio. Decuit ſexta die deſcribi terram produxiſſe terreſtria animalia.

QVAESTIO LXXIII.

De ijs quæ attinent ad ſeptimum diem, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum completio diuinorum operum debeat ſeptimo diei aſcribi.

Concluſio. Completam fuiſſe omnem creaturam, quantum decuit uniuerſi integritatem & naturalem perfectionem, ſeptima die conueniens fuit.

ART. II. Vtrum Deus ſeptima die requieuit ab omni opere ſuo.

Concluſio. Requieuit Deus die ſeptima ab omni opere, in quantum ceſſauit à nouis cōdendis, & quia in ſeipſo quieuit, dum ſibi ſufficiens, & ſeipſo beatus eſt, in ſuo deſiderio quieſcens.

ART. III. Vtrum benedictio & ſanctificatio debeatur diei ſeptimæ.

Concluſio. Congruit, ut die ſeptimo benediceret Deus omnibus à ſe conditis creaturis, & diem illum ſanctificaret.

QVAESTIO LXXIIII.

De omnibus ſeptem diebus in communi, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum ſufficienter iſti dies enumerentur.

Concluſio. Septem diebus conditam fuiſſe omnem creaturam, & ornatum tam corporalem, quam ſpiritualem, conueniens fuit.

ART. II. Vtrum omnes iſti dies ſint unus dies.

Concluſio. Non uno, ſed ſeptē diebus condita fuit omnis creatura.

ART.

ART. III. Vtrum ſcriptura utatur conuenientibus uerbis ad exprimendum opera ſex dierum.

Concluſio. Scriptura Sacra conuenientibus utitur uerbis ad exprimendum opera ſex dierum.

QVAESTIO LXXV.

De Homine, & primò de his, quæ pertinent ad eſſentiam animæ, in ſeptem articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum anima ſit corpus.

Concluſio. Anima, cùm ſit primum principiū uitæ in his quæ apud nos ſunt: impoſſibile eſt, ipſam eſſe corpus, ſed corporis actum.

ART. II. Vtrum anima humana ſit aliquid ſubſiſtens.

Concluſio. Anima humana, cùm ſit omnium corporum cognoſcitiua, eſt incorporea & ſubſiſtens.

ART. III. Vtrum animæ brutorum animalium ſint ſubſiſtentes.

Concluſio. Cùm animæ brutorum per ſeipſas minimè operentur, ſubſiſtentes non ſunt.

ART. IIII. Vtrum anima ſit homo.

Concluſio. Homo anima tantùm non eſt, ſed compoſitum ex anima & corpore.

ART. V. Vtrum anima ſit compoſita ex materia & forma.

Cōcluſio. Anima, & præcipuè intellectiua, cùm ſit forma corporis, & formarum cognoſcitiua: non eſt compoſita ex materia & forma.

ART. VI. Vtrum anima humana ſit corruptibilis.

Cōcluſio. Cùm anima humana ſit forma per ſe ſubſiſtens, expers omnis contrarietatis: non eſt corruptibilis per ſe, nec per accidens.

ART.

ART. VII. Vtrum anima & Angelus ſint unius ſpeciei.

Concluſio. Anima & Angelus non ſunt eiuſdem ſpeciei, ſed diuerſarum.

QVAESTIO LXXVI.

De unione animæ ad corpus, in octo articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum intellectiuum principium uniatur corpori ut forma.

Concluſio. Cùm anima intellectiua ſit qua primò homo, & hic homo intelligit: neceſſe eſt, ipſam eſſe corporis formam.

ART. II. Vtrum intellectiuum principium multiplicetur ſecundùm multiplicationem corporum.

Cõcluſio. Intellectiuum principium unum in omnibus eſſe eſt impoſsibile, ſed multiplicatur ad corporum multiplicationem.

ART. III. Vtrum præter animam intellectiuam ſint in homine aliæ animæ per eſſentiam differentes.

Cõcluſio. Cùm anima non ut motor, ſed ut forma uniatur corpori: impoſsibile eſt, in homine eſſe plures animas, ſed una tantùm eſt anima intellectiua, quæ ſenſitiuæ, & uegetatiuæ, & intellectiuæ officio fungitur.

ART. IIII. Vtrum in homine ſit alia forma præter animam intellectiuam.

Concluſio. Cùm anima humana uniatur corpori ut forma, dãs illi eſſe ſimpliciter; impoſsibile eſt, eſſe in homine aliam formam præter animam intellectiuã.

ART. VI. Vtrum anima intellectiua conuenienter tali corpori uniatur.

Con-

Conclusio. Cum anima intellectiua sit etiam uirtute sensitiua secundum gradum perfectissimum, decuit corpus, cui unitur, mixtũ esse, & inter omnia alia corpora magis reductũ ad cõplexionis æqualitatẽ.

ART. VI. Vtrum anima intellectiua uniatur corpori mediantibus dispositionibus accidentalibus.

Conclusio. Cum anima intellectiua det homini esse substantiale & simpliciter impossibile est uniri ipsam corpori mediis accidentibus.

ART. VII. Vtrum anima uniatur corpori animalis mediante aliquo corpore.

Conclusio. Cum anima uniatur corpori, nõ ut motor, sed ut forma impossibile est uniri corpori mediãte aliquo corpore.

ART. VIII. Vtrum anima sit tota in qualibet parte corporis.

Conclusio. Anima, cum uniatur corpori ex diuersis partibus constituto, ut forma substantialis est essentialiter, & non uirtualiter, tota in toto, & tota in qualibet parte corporis.

QVAESTIO LXXVII.

De his, quæ pertinent ad potentias animæ in generali, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ipsa essentia animæ sit eius potentia.

Conclusio. Cum nulla animæ operatio sit substantia, & quoduis animam habens non semper operetur potentiam animæ ab ipsa animæ essentia & substantia diuersam esse, necessarium est.

ART. II. Vtrum sint plures potentiæ animæ.

Cõclusio. Cũ homo ad summũ beatitudinis bonũ pluribus motibus consequendũ, ut infima creatura ordinetur, necesse est, in anima plures potẽtias esse.

QVAESTIO LXXVII.

De potentijs animæ in speciali, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum quinque genera potentiarum animæ sint distinguenda.

Conclusio. Quinque sunt animæ potentiarum genera, 1. uegetatiuũ, 2, sensitiuum, 3. appetitiuũ, 4. motiuum secundum locum, & 5. intellectiuum, tres animæ, 1. negetatiua, 2. sensitiua, & 3. intellectiua, & quatuor modi uidendi, 1. negetatiuum, 2. sensitiuũ, 3. motiuum secundum in locum, &. 4. intellectiuum

ART. II. Vtrũ couenienter partes uegetatiuæ assignẽtur, scilicet nutritiuũ, augmentatiuũ, & generatiuũ.

Cõclusio. Tres sunt animæ uegetatiuæ partes, 1. nutritiua, 2. augmentatiua, & 3. generatiua.

ART. III. Vtrum conuenienter distinguantur quinq; sensus exteriores.

Conclusio. Quinque sunt exteriores sensus, 1. uisus 2. auditus, 3. ofactus, 4. gustus, & 5. tactus.

ART. IIII. Vtrum interiores sensus conuenienter distinguantur.

Conclusio. Quatuor tantum sunt animæ sensitiuæ interiores uires, 1. sensus communis, 2. phantasia, seu imaginatiua: 3. æstimatiua, seu cogitatiua, & 4. memoratiua.

QVAESTIO LXXIX.

De potentijs intellectiuis, in tredecim articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum intellectus sit aliqua potentia animæ.

Conclusio. In solo Deo intellectus est idem essentiæ eius: in aliis uerò distinguitur ab essentia, cuius est potentia.

ART. II. Vtrum intellectus sit potentia passiua.

Conclusio. Cùm intelligere sit quoddam pati, intellectus est potentia passiua.

ART. III. An sit ponere intellectum agentem.

Cõclusio. Præter intellectum possibilem qui est omnia fieri, necesse est, ponere in animas intellectum agentem, qui facit intelligibilia in potentia, intelligibilia in actu.

ART. IIII. Vtrum intellectus agens sit aliquid animæ.

Conclusio. Cũ anima sit natura perfecta in ordine intellectualium naturarum, necesse est in anima esse intrinsecè intellectum agentem, quo sicut quodam intrinseco lumine intelligibilia in potẽtia fiunt intelligibilia in actu.

ART. V. Vtrum intellectus agens sit unus in omnibus.

Conclusio. Cùm intellectus agẽs sit uirtus animæ: necesse est non unum in omnibus esse, sed multiplicari ad multiplicationem animarum.

ART. VI. Vtrum memoria sit in parte intellectiua animæ.

Conclusio. Memoria, ut uirtus conseruatiua specierum intelligibilium est, ad partem spectat intellectiuam, ut uerò ad præterita, ut præterita sunt, respectũ habet, magis ad animæ sensitiuam partem attinet.

ART. VII. Vtrum alia potentia sit memoria intellectiua, & alia intellectus

Cõclusio. Non est in homine memoria distincta potentia ab intellectu; sed una potẽtia sunt, cum idẽ obiectum habeant.

ART. VIII. Vtrum ratio sit alia potentia ab intellectu.

Conclusio. Intellectus & ratio non sunt diuersæ potenti

tentiæ in nomine, sed una potentia, cui est intelligere simpliciter, ut intellectus est, & ei succurrendo ueritatem attingere, ut ratio est.

ART. IX. Vtrum ratio superior & inferior sint diuersæ potentiæ.

Concusio. Vua & eadem sunt in homine ratio, superior & inferior: distinctæ tamen actibus & habitibus diuersis, dum superior ratio ipso sapieutiæ habitu æternis conspiciendis & consulendis intendit, inferior uerò temporalibus per scientiam ad æterna disponitur.

ART. X. Vtrum intelligentia sit alia potentia ab intellectu.

Conclusio. Intelligentia & intellectus non distinguuntur ut duæ potentiæ, sed ut actus à potentia.

ART. XI. Vtrum intellectus speculatiuus & practicus sint diuersæ potentiæ.

Conclusio. Cùm ea, quæ intelliguntur per accidēs, ordinentur ad opus; non duæ, sed una potentia sunt in homine, intellectus practicus, & speculatiuus.

ART. XII. Vtrum synderesis sit quædam specialis potentia ab alijs distincta.

Cōclusio. Synderesis non quædam specialis potentia est ratione altior, uelut natura, sed est habitus quidam naturalis principiorum operabilium: sicut intellectus habitus est principiorum speculabilium, & nō potentia aliqua.

ART. XIII. Vtrum conscientia sit quædam potentia.

Cōclusio. Conscientia non est potentia, si propriè sumatur: sed actus, quo scientiam nostram diuersis quæ agimus, applicamus uarijs actibus conscientiæ, testificationis scilicet, uel ligationis, seu excusationis.

QVAESTIO LXXX.

De potentijs appetitiuis in communi,

ARTICVLVS I.

Vtrum appetitus ſit aliqua ſpecialis animæ potentia.

Cõcluſio. Neceſſe eſt cognitionem habentes ſequi potentiam quandam appetitiuam, uidelicet, qua ad aliorum perfectiones inclinentur, quas apprehẽdũt.

ART. II. Vtrum appetitus ſenſitiuus & intellectiuus ſint diuerſæ potentiæ.

Concluſio. Cùm illud quod intellectu apprehenditur, diuerſi ſit generis ab eo, quod à ſenſu apprehẽditur: neceſſe eſt, appetitum ſenſitiuum, & intellectiuum ad diuerſas potentias pertinere.

QVAESTIO LXXXI.

De ſenſualitale, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum ſenſualitas ſolùm ſit appetitiua.

Concluſio Senſualitas non aliquam cognoſcitiuã uirtutem importat, ſed animæ uim appetitiuam.

AR. II. Vtrũ appetitus ſenſitiuus diſtinguatur in iraſcibilem & cõcupiſcibilẽ, ſicut in potentias diuerſas.

Concluſio. Iraſcibilis & concupiſcibilis nõ diuerſę potentiæ ſunt, ſed ad unam potentiam ſenſitiuam & appetitiuam ſpectant, qua animalia, quæ uitæ conducunt, inſequuntur, & nociua propellunt.

ART. III. Vtrum iraſcibilis & concupiſcibilis obediant rationi.

Concluſio. Iraſcibilis & concupiſcibilis obediunt rationi & uoluntati, ſed non eadem ratione.

QVAESTIO LXXXII.

De uoluntate, in quinque articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum uoluntas aliquid ex necesſitate appetat.

Cóclusio. Volũtas nihil uelle poteſt coactionis necesſitate; poteſt autem aliquid uelle necesſitate finis, ſeu ſuppoſitionis. naturali etiam necesſitate aliquid uult, beatitudinem uidelicet.

ART. II. Vtrum uoluntas ex necesſitate omnia uelit quæcunque uult.

Concluſio. Voluntas nõ quæcunque uult, de necesſitate uult, cũ beatitudinẽ neceſſariò uelit, & ea quæ neceſſariam cum beatitudine connexionem habent.

ART. III. Vtrum uoluntas ſit altior potentia, quàm intellectus.

Cóclusio. Cùm obiectum intellectus ſit ſimpliciter nobilius obiecto uoluntatis; intellectus ſimpliciter altior eſt potentia, quàm uoluntas, quæ aliquo modo & interdum nobilior eſt intellectu, quando ſcilicet illius obiectum in altiori natura inuentum fuerit.

ART. IIII. Vtrum uoluntas moueat intellectum.

Concluſio. Intellectus mouet uoluntatem ut finis; uoluntas autem mouet intellectum & omnes inferiores poteſtates animæ effectiuè.

ART. V. Vtrum iraſcibilis, & concupiſcibilis diſtingui debeant in appetitu ſuperiori.

Concluſio. In ſuperiori appetitu hominis, uoluntate ſcilicet, non diſtinguitur concupiſcibilis, & iraſcibilis.

QVAESTIO LXXXIII.

De libero arbitrio, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum homo ſit liberi arbitrij.

Conclusio. Cum homo sit rationalis, liberi etiam arbitrij necessariò est.

ART. II. Vtrum liberum arbitrium sit potentia.

Conclusio. Cum liberum arbitrium sit, quo indifferenter se habent homines ad benè uel malè eligendũ: impossibile est, esse habitum quendam uel potentiã cum habitu, sed necessariò potentia quædam animæ naturalis est.

ART. III. Vtrum liberum arbitrium sit potentia appetitiua.

Conclusio. Cum proprius actus liberi arbitrii sit ipsa electio in parte animi appetitiua: necesse est, arbitrium liberum esse.

ART. IIII. Vtrum liberum arbitrium sit alia potentia à uoluntate.

Conclusio. Sicut ratio & intellectus non duæ, sed una potentia sunt, ita uoluntas & liberum arbitrium non duæ, sed una tantum potentia sunt.

QVAESTIO LXXXIIII.

De Animæ cognitione respectu corporalium, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum anima cognoscat corpora per intellectum.

Conclusio. Anima per intellectum cognoscit corpora immateriali, uniuersali, & necessaria cognitiõe.

ART. II. Vtrum anima per essentiam suam corporalia intelligat.

Conclusio. Solus Deus cum sit uirtualiter & eminẽter omnia, cognoscit per essentiam suam omnia: anima autem non, ut neque corporalia.

ART. III. Vtrum anima intelligat omnia per species sibi naturaliter inditas.

Conclusio. Anima cum sit quãdoq; intelligẽs, & cognoscens

gnoſcens in potentia, & quandoque in actu, impoſsibile eſt, ut corporalia p ſpecies ſibi inditas cognoſcat.

ART. IIII. Vtrum ſpecies intelligibiles effluant in animam ab aliquibus formis ſeparatis.

Concluſio. Species intelligibiles, quibus anima intelligit, non effluunt à formis ſeparatis.

ART. V. Vtrum anima intellectiua cognoſcat res immateriales in rationibus æternis.

Concluſio In rationibus æternis anima non cognoſcit omnia obiectiuè in præſenti ſtatu, ſed cauſaliter.

ART. VI. Vtrum intellectiua cognitio accipiatur à rebus ſenſibilibus.

Concluſio. Intellectiua cognitio fit à ſenſibili, non ſicut à perfecta & totali cauſa, ſed potius ſicut à materia cauſæ.

ART. VII. Vtrum intellectus poſsit actu intelligere per ſpecies intelligibiles, quas penes ſe habet, non cõuertendo ſe ad phantaſmata.

Concluſio. Intellectus humanus corpori paſsibili coniunctus, non poteſt quippiam intelligere ſine phãtaſmate.

ART. VIII. Vtrum iudicium intellectus impediatur per ligamentum ſenſus.

Concluſio. Cum omnia, quæ in præſenti ſtatu cognoſcimus, per comparationem ad ſenſibilia nobis nota fiant, neceſſe eſt per ligamentum ſenſus impediri rationis iudicium.

QVAESTIO LXXXV.

De modo & ordine intelligendi, in octo articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum intellectus noſter intelligat res corporeas, & materiales per abſtractionem à phantaſmatibus.

Con-

Concluſio. Intellectus humanus cùm non ſit actus alicuius organi corporalis, & tamen eſt animæ, quæ eſt forma corporis, poteſtas: neceſſe eſt, ut intelligat materialia & ſenſibilia abſtrahendo à phantaſmatibus, & per ea in immaterialium cognitionem eleuetur.

A R T. II. Vtrum ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus abſtractæ ſe habeant ad intellectum noſtrũ, ſicut id quod intelligitur.

Concluſio. Species intelligibilis eſt qua intellectus intelligit, & non niſi ſecũdariò eſt quod intelligitur: res uerò, cuius ſpecies intelligibilis eſt ſimilitudo, illud eſt, quod primò intellectus intelligit.

A R T. III. Vtrum magis uniuerſalia ſint priora in noſtra cognitione intellectuali.

Concluſio. Magis uniuerſalia & cõmunia ſunt priora in noſtra intellectuali & ſenſitiua cognitione.

A R T. IIII. Vtrum poſſumus multa ſimul intelligere.

Concluſio. Non poteſt intellectus humanus multa per modum multorum intelligere, ſed per modũ unius, ſcilicet per unam ſpeciem.

A R T. V. Vtrum intellectus noſter intelligat componendo & diuidendo.

Concluſio. Intellectus humanus intelligit neceſſariò componendo & diuidendo, quum omnia ſimplici apprehendantur actu ab angelico & diuino intellectu.

A R T. VI. Vtrum intellectus posſit eſſe falſus.

Concluſio. Cùm quid eſt rei ſit proprium obiectũ intellectus: nunquam contingit circa ipſum falli niſi per accidens, prout ipſi compoſitio, uel diuiſio, ſeu diſcurſus admiſcetur, quibus fallitur quandoque.

A R T. VII. Vtrum unam & eandem rem unus alio melius intelligere posſit.

CON-

Concluſio. Eandem rem unum altero melius intelligere contingit, non obiectiuè quidem, ſed ex parte potentiæ intelligentis, quæ diſpoſitionem animæ & corporis ſequitur.

ART. VIII. Vtrum intellectus per prius intelligat indiuiſibile, quàm diuiſibile.

Concluſio. Indiuiſibile tam ſecundùm continuitatem, quàm ſecundùm rationem eſt prius notũ, quàm oppoſita diuiſio: ſed indiuiſibile omnino actu & potentia, eſt poſterius notum, quia opponitur rei corporali, cuius quidditatem primò & per ſe intellectus accipit.

QVAESTIO LXXXVI.

Quid intellectus noſter in rebus materialibus cognoſcat, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum intellectus noſter cognoſcat ſingularia.

Cõcluſio. Cùm non contingat intelligere niſi ſecundùm abſtractionem à materia: impoſſibile eſt, ſingularia ab intellectu apprehendi directè, ſed tantùm indirectè ſecundùm quandam reflexionem.

ART. II. Vtrum intellectus noſter poſſit cognoſcere infinita.

Concluſio. Intellectus humanus non poteſt actu uel habitu intelligere infinitũ, ſed in potẽtia tãtùm.

ART. III. Vtrum intellectus ſit cognoſcitiuus contingentium.

Concluſio. Contingentia, ut contingentia ſunt, à ſenſu directè, ab intellectu indirectè cognoſcuntur: ut uerò cõtingẽtia neceſſitatis & uniuerſalitatis cõditionẽ induunt, directè ab intellectu apprehendũtur.

ART.

ART. IIII. Vtrum intellectus noster cognoſcat futura.

Cõcluſio. Futura contingentia, ut ſunt in ſeipſis, non niſi reflexè cognoſcuntur ab intellectu, & à ſolo Deo directè propter æternitatis eius intuitum: ſed futura contingentia in cauſis neceſſarijs certa cognitione cognoſcuntur, in cauſis uerò ut in pluribus cauſantibus, per coniecturam.

QVAESTIO LXXXVII.

Quomodo anima intellectiua ſeipſam, & ea, quæ ſunt in ipſa, cognoſcat, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum anima intellectiua ſeipſam cognoſcat per ſuam eſſentiam.

Cõcluſio. Intellectus noſter cum ſit pura potentia in genere intelligibilium: non poteſt ſeipſum per eſſentiam ſuam intelligere, ſed per actum ſuum, per ſuperiorum ſcilicet participationem.

ART. II. Vtrum intellectus noſter cognoſcat habitus animæ per eſſentiam eorum.

Concluſio. Cùm habitus, non actus, ſed medium inter potentiam & habitum ſit: non per ſeipſum, ſed per actum ſuum cognoſci oportet.

ART. III. Vtrum intellectus cognoſcat propriũ actũ.

Concluſio. Cũ ipſum intelligere in actu ſit propria intellectus operatio, primum, quod intelligitur ab intellectu, eſt proprium obiectum, ſcilicet natura rei materialis, & ſecundariò cognoſcitur ipſe actus quo cognoſcitur obiectum: & per actum cognoſcitur ipſe intellectus, cuius perfectio eſt ipſum intelligere.

ART. IIII. Vtrũ intellectus intelligat actũ uolũtatis.

Con-

Conclusio. Actus uolūtatis, cum sit in ratione intelligibiliter necessariò cognoscitur ab intellectu.

QVAESTIO LXXXVIII.

Quomodo anima humana cognoscat ea, quæ supra se sunt, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum anima humana secundum statum uitæ præsentis, possit intelligere substantias immateriales per seipsas.

Conclusio. Anima humana secundum statum præsentis uitæ, non potest intelligere substantias separatas per seipsas, neq; per intellectum possibilem, neq; per intellectum agentem.

ART. II. Vtrum intellectus noster per cognitionem rerum materialium possit peruenire ad intelligendum substantias immateriales.

Cōclusio. Per rerum materialium notitiam non possumus ad perfectam cognitionem substantiarum separatarum peruenire, sed ad aliqualem possumus.

ART. III. Vtrum Deus sit primum quod à mente humana cognoscitur.

Conclusio. Cùm Deus cognoscatur à uobis per creaturas, nō est primum quod à nobis cognoscitur.

QVAESTIO LXXXIX,

De Cognitione animæ separatæ, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

V Trum anima separata aliquid intelligere possit.

Conclusio. Animæ separatæ à corpore conuenit intelligere, licet non secundum conuersionem ad phantasmate, sed per conuersionem ad superiora.

ART. II. Vtrum anima separata intelligat substantias separatas

Con-

Conclusio. Anima separata de aliis animabus habet perfectam naturalem cognitionem, de angelis uerò imperfectam & deficientem.

ART. III. Vtrum anima separata omnia naturalia cognoscat.

Conclusio. Anima separata de rebus naturalibus cognitionem habet, non certam & propriam, sed communem & confusam.

ART. III. Vtrũ anima separata cognoscat singularia.

Conclusio. Anima separata cognoscit quædam singularia, sed non omnia præsentia, secundum quod determinantur per species influxas, uel per præuiam actionem, uel aliquam effectionem, uel naturalem habitudinem, uel diuinam ordinationem.

ART. V. Vtrum habitus scientiæ hic acquisitæ remaneat in anima separata.

Conclusio. Habitus scientiæ hic acquisitæ remanet in anima separata secundum quod est in intellectu.

ART. VI. Vtrum actus scientiæ hic acquisitæ maneat in anima separata.

Conclusio. Actus scientiæ hic acquisitę manet in anima separata, sed non eodem modo.

ART. VIII. Vtrum distantia localis impediat cognitionem animę separatæ.

Conclusio. Distantia localis nullo modo impedit animæ separatæ cognitionem.

ART. VIII. Vtrum animæ separatæ cognoscant ea quæ hic aguntur.

Conclusio. Aïæ mortuorũ nesciunt natura r quæ hic aguntur, sed si sciunt, hoc eis ex gratia collatũ est.

QVAESTIO XC.

De Prima hominis productione quantum ad animam, in quatuor articulos diuisa.

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum anima sit facta, uel sit de substantia Dei.

Conclusio. Cum anima humana sit in potentia intelligens, & à rebus scientiam accipiens, impossibile est esse de substantia Dei.

ART. II. Vtrũ anima sit producta in esse p creationẽ

Conclusio. Cũ anima rationalis sit forma subsistẽs cui propriè competit esse & fieri, cũq; fieri n possit ex materia præiacente, neque corporali, quia sic esset naturæ corporeæ, neque spirituali quia sic substantiæ spirituales inuicem transmutarentur, necesse est dicere quòd non fiat nisi per creationem.

ART. IIII Vtrum anima rationalis, sit producta à Deo immediatè.

Conclusio. Cum anima rationalis per nullã alicuius materiæ transmutationẽ producatur, sed solum per creationẽ, à solo Deo immediatè creari, necesse est.

ART. IIII. Vtrum anima humana fuerit producta ante corpus.

Cõclusio. Cũ anima humana sit proprius corporis actus & forma, necessariò simul cum corpore producta est.

QVAESTIO XCI.

De productione corporis primi hominis, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum corpus primi hominis sit de limo terræ.

Cõclusio. Cõgruit hominẽ in principio ẽm substãtiam fieri de limo terræ, id est, terra aquæ permixta.

ART. II. Vtrum corpus humanum sit immediatè à Deo productum.

Cõclusio. Cũ in prima rerum formatione nullus præcesserit homo, è quo humanum immediatè produceretur

duceretur corpus, oportuit immediatè à Deo produci, qui solus creare materiam potuit.

ART. III. Vtrum corpus hominis habuerit conuenientem dispositionem.

Conclusio. Corpus humanum factum & formatũ fuit à Deo iu optima dispositione, non simpliciter, sed secundum quod congruit animæ rationali & eius operibus.

ART. IIII. Vtrum conuenienter corporis humani productio in Scriptura describatur.

Conclusio. Quamuis omnia à Deo sint facta, decuit tamen, ut hominẽ ad ipsius imaginem factum, & in illius faciem uitæ spiraculum inspirasse, diuina traderetur scriptura.

QVAESTIO XCII,

De Productione mulieris, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum mulier debuerit produci in prima rerum productione.

Conclusio. Cum oportuerit in prima rerũ formatione dari homini adiutorium ad opus generationis explendum debuit tunc mulier produci.

ART. II. Vtrum mulier debuerit fieri ex uiro.

Conclusio. Decuit mulierem ex uiro formari in principio formationis rerum.

ART. III. Vtrum mulier debuerit formari de costa uiri.

Conclusio. Conueniens, fuit ut mulier in prima mũdi creatione ex costa uiri formaretur.

ART. IIII. Vtrum mulier fuerit immediatè formata à Deo.

Conclusio. Solus Deus mulierem de costa uiri formare potuit.

QVAE-

QVAESTIO XCIII,

De fine, siue termino productionis hominis, in nouem articulos diuisa,

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum imago Dei sit in homine.

Conclusio. Cum in homine non sit similitudo Dei secundum æqualitatem, dicitur potius ad imaginem Dei factus, quàm imago Dei.

ART. II. Vtrum imago Dei inueniatur in irrationali bus creaturis.

Conclusio. Cũ omnes intellectuales creaturæ assimilentur Deo, ut intelligit & sapit, eæ solæ ad imaginem Dei esse dicuntur, non autem irrationales.

ART. III. Vtrum Angelus sit magis ad imaginem Dei, quàm homo.

Conclusio. Angeli intellectualis naturæ perfectius homine existentes, magis ad imaginem Dei sunt simpliciter, quàm homo.

ART. IIII. Vtrum imago Dei inueniatur in quolibet homine.

Cõclusio. Imago creationis in omnibus inuenitur hominibus, sed recreationis in iustis tantum, similitudinis uerò beatis communicatur:

ART. V. Vtrum in homine sit imago Dei quantum ad Trinitatem personarum.

Conclusio: In Deo cum natura diuina in tribus existat personis, dicitur homo factus ad imaginem diuinæ non tantum naturæ, sed etiam diuinarum personarum.

ART. VI. Vtrum imago Dei sit in homine solum secundum mentem.

Conclusio. Communicatur homini Dei simitudo per modum imaginis secundum mentem: secundum

uerò alias eius parte, per modum uestigii, sicut & cæteris irrationalibus creaturis.

ART. VII. Vtrum imago Dei inueniatur in anima secundum actus.

Conclusio. Trinitatis imago attenditur primò in rationali creatura secundum actus uerbi & amoris, secundariò autem, secundum potentias, & præcipuè habitus.

ART. VIII. Vtrum imago diuinæ Trinitatis sit in anima solũ per comparationẽ ad obiectũ, quod est Deus.

Conclusio. Est anima rationalis ad imaginẽ Dei & diuinæ Trinitatis, secundum quod apta nata est ferri in Deum notitia & amore.

ART. IX. Vtrum similitudo ab imagine conuenienter distinguatur.

Conclusio. Non idem est, esse ad imaginem & similitudinem Dei, sed distincta sunt, ut sit ipsa similitudo & præcedens, & sequens imaginem.

QVAESTIO XCIIII,

De statu & conditione primi hominis quantum ad intellectum, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum primus homo per essentiam Deum uiderit.

Conclusio. Primus homo cùm peccauerit, non uidit Deum per essentiam secundum communem statum illius uitæ, sed ipsum cognoscens per intelligibiles effectus, altiori cognitione illum cognoscebat, q̃ nos cognoscamus, qui per sensibiles effectus illum nouimus.

ART. II. Vtrum Adam in statu innocentiæ Angelos per essentiam uiderit.

Conclusio. Tametsi primus homo habebat de Angelis

gelis & substantiis separatis certiorem cognitionis modum, quam nos habeamus, non potuit tamen illos per essentiam uidere, seu quidditatiuè intelligere in aliquo intelligibilitatis gradu.

AR.III. Vtrũ primus homo habuerit scientiã oĩum.

Conclusio. Sicut hõ, quò ad corporis bona, sic perfectus à Deo institutus est ad opus generationis explendum, quòd ei necessaria dedit, superflua dimisit: ita quò ad animam perfectus, & ad aliorum instructionẽ factus fuit, ut ei naturaliter scibilia nota essent supernaturalia uerò quantũ fuerat opus. alia uerò p̃ter hęc, parũ aut nihil prorsus ei cognita remanerẽt.

AR.IIII. Vtrũ homo in primo statu decipi potuisset.

Conclusio. Cùm homo in primo statu ſm intellectum sic à Deo fuerit institutus, ꝙ nullũ malũ in ipso inerat, & omnia inferiora superioribus subdebantur, nullo modo decipi potuit, nec quo ad ea quæ sciuit, nec quo ad ea, quæ nesciuit.

QVAESTIO XCV,

De his, quæ attinent ad uoluntatem primi hominis, gratia scilicet & iustitia, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum primus homo fuerit creatus in gratia.

Conclusio. Cum primus homo sic factus fuerit, ut ratio Deo subderetur, rationi uerò inferiores uires, animæ uerò corpus, conueniens est, illum in gratia fuisse creatum.

AR.II. Vtrũ in primo hoĩe fuerint animæ posiones.

Conclusio. Pasiones quæ malum respiciunt, ut timor, & dolor, nullo modo erant in statu innocentiæ, nec pasiones circa bonum non habitum, ut nunc tamen habendum, ut cupiditas æstuans: sed

pasſiones circa bonum habitum, uel tẽpore ſuo habendum, ut amor, gaudium, deſiderium, & ſpes in illo fuerunt.

ART. III. Vtrum Adam habuerit omnes uirtutes.

Concluſio. Cum in ſtatu innocentiæ ratio Deo, rationi inferiores uires ſubditæ fuerint neceſſe fuit, in ipſo eſſe omnes uirtutes, & quo ad actum & habitũ ut illæ, quæ nullam imperfectionem includunt, ut fides, ſpes, charitas, &c. quò ad habitum uero tantum, ut illæ, quæ aliquam imperfectionem claudunt, ut pęnitentia & miſericordia.

ART. IIII. Vtrum opera primi hominis fuerint minus efficacia ad merendum, quàm opera noſtra.

Concluſio. Opera primi hominis efficaciora erant ex parte gratiæ, & operis quantitate abſoluta, minus uerò efficacia, ex proportionali operum quantitate.

QVAESTIO XCVI.

De Dominio, quod homini in ſtatu innocentiæ competebat, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Adam in ſtatu innocentiæ animalibus dominaretur.

Concluſio. Adam in ſtatu innocentiæ cunctis dominabatur animalibus, quia ei omnia animalia ſubiecta naturaliter erant.

ART. II. Vtrum homo habuiſſet dominium ſuper omnes alias craturas.

Concluſio. Homo non dominabatur Angelis, ſed animalibus quidem, imperando: plantis uerò, & inanimatis, utendo abſque ullo impedimento.

ART. III. Vtrum homines in ſtatu innocentiæ fuiſſent æquales.

Con-

Concluſio. Neceſſe eſt in ſtatu innocētiæ aliquā diſparitatem fuiſſe, ſaltē quo ad ſexum; potuit tamē in anima & corpore eſſe etiam aliqua inæqualitas.

ART. IIII. Vtrum homo in ſtatu innocentiæ homini dominabatur.

Concluſio. Non dominabatur homo homini in ſtatu innocentiæ domino tyrānico, ſed politico & ciuili.

QVAESTIO XCVII.

De his, quæ pertinent ad ſtatum primi hominis quantum ad indiuidui conſeruationem, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum homo in ſtatu innocentię eſſet immortalis.

Concluſio. Homo in ſtatu innocentiæ, non natura, uel gratia, ſed ſic immortalis fuiſſet, ut ſibi immortalitatem non peccando præſtare potuerit.

ART. II. Vtrum homo in ſtatu innocentiæ fuiſſet paſſibilis.

Concluſio. Homo in ſtatu innocentiæ impaſſibilis fuit paſſionibus, quæ ſecundum corruptionem ſunt: paſſibilis autem ſecundum paſſiones perfectiuas.

ART. III. Vtrum homo in ſtatu innocentiæ indigebat cibis.

Cōcluſio. Homo in ſtatu innocentiæ, cùm uitæ animalis fuerit, in reſurrectione uero futurus ſit uitæ ſpiritualis; indiguit in illo ſtatu cibis & alimētis, quibus in futuro non utetur.

ART. IIII. Vtrum homo in ſtatu innocentiæ per lignum uitæ immortalitatem conſecutus fuiſſet.

Concluſio. In ſtatu innocentiæ per lignum uitæ cōſecutus fuiſſet homo immortalitatem, nō ſimpliciter, ſed ſecundùm quid.

QVAESTIO XCVIII.

De pertinentibus ad conseruationem speciei, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum in statu innocentiæ fuisset generatio.

Conclusio. Ad humani generis multiplicationem in statu innocentiæ actum generationis fuisse, conueniens fuit.

ART. II. Vtrum in statu innocentiæ fuisset generatio per coitum.

Conclusio. In statu innocentiæ consummatum fuisset generationis opus, non uirtute diuina, sed per coitum coniunctione maris & fœminæ: sed nulla in actu illo adfuisset immoderata concupiscentia.

QVAESTIO XCIX.

De conditione prolis generandæ quo ad corpus, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum pueri in statu innocentiæ mox nati uirtutem perfectam habuissent ad motum membrorum.

Conclusio. In statu innocentiæ pueri mox nati non habuissent perfectam uirtutem ad motum membrorum omnium, sed ad mouendum membra ad actus pueritiæ conuenientes.

ART. II. Vtrũ in primo statu fœminæ natæ fuissent.

Conclusio. In statu innocentiæ non omnes mares, sed fœminæ etiam natæ fuissent.

QVAESTIO C.

De conditione prolis generandæ quantum ad iustitiam, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum homines fuissent nati cum iustitia.

Con-

Conclusio. Quoscunque generasset Adam in statu innocẽtiæ filios originali iustitia præditos genuisset.

ART. II. Vtrum pueri in statu innocentiæ nati fuissent in iustitia confirmati.

Cõclusio. Pueri in statu innocentiæ nati, non fuissent in iustitia confirmati.

QVAESTIO CI.

De conditione prolis generandæ quantum ad scientiam, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum in statu innocentiæ pueri nati fuissent in scientia perfecti.

Conclusio. Pueri in statu innocentiæ nati non fuissent perfecti in scientia, sed eam processu temporis facilè acquisiuissent.

ART. II. Vtrum pueri mox nati habuissent perfectũ usum rationis.

Conclusio. Pueri in statu innocentiæ mox nati nõ habuissent perfectũ rationis usum, sed ad opera puerilia idoneum, ex nimia cerebri illorum humiditate.

QVAESTIO CII.

De loco hominis qui est paradisus, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum paradisus sit locus corporeus.

Conclusio. Paradisus est locus in parte Orientis cõuenienter à Deo institutus.

ART. III. Vtrum paradisus fuerit locus conueniẽs habitationi humanę.

Conclusio. Paradisus est locus conueniens humanæ habitationi secundum primum primæ immortalitatis statum.

ART. III. Vtrum homo ſit poſitus in paradiſo, ut operaretur, & cuſtodiret illum.

Concluſio. Congruit ut Deus, cùm feciſſet hominem, poneret in paradiſo illum, ut ibi operaretur, & cuſtodiret illum.

ART. IIII. Vtrum homo factus fuerit in paradiſo.

Cõcluſio. Factus eſt homo extra paradiſum, deinde in ipſum gratia Dei tranſlatus eſt transferendus inde poſt uitam animalem in cœlum.

QVAESTIO CIII.

De Gubernatione rerum in communi, in octo articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum mundus gubernetur ab aliquo.

Cõcluſio. Cùm omnia, quæ ſunt in mundo, certos & determinatos fines conſequantur, à diuina ſapientia regantur neceſſe eſt.

ART. II. Vtrum finis gubernationis mundi ſit aliquid extra mundum.

Concluſio. Finis gubernationis mundi bonum eſt extrinſecum à toto uniuerſo.

ART. III. Vtrum mundus gubernetur ab uno.

Cõcluſio. Cùm finis gubernationis mundi ſit optimum bonum: neceſſe eſt, ipſum ab uno gubernari.

ART. IIII. Vtrum effectus gubernationis ſit unus tantum, & non plures.

Concluſio. Principalis finis gubernationis unus eſt, generales fines ſunt duo, & particulariter innumerabiles.

ARTIC. V. Vtrum omnia diuinæ gubernationi ſubdantur.

Conclusio. Cùm Deus sit effectiua causa omniũ: necesse est, ut omnia diuinæ prouidentiæ subdantur, non solùm superiora, sed omnia humana & inferiora.

ART. VI. Vtrum omnia immediatè gubernentur à Deo.

Conclusio. Gubernantur omnia immediatè à Deo secundùm rationem gubernationis: quò ad executionem uerò, quædam mediantibus alijs gubernantur.

ART. VII. Vtrum aliquid præter ordinem diuinæ gubernationis contingere possit.

Conclusio. Cùm diuina prouidentia sit uniuersalis causa, non unius tantùm generis, sed totius entis: nihil potest præter illius ordinem in uniuerso euenire.

ART. III. Vtrum aliquid possit reniti contra ordinẽ gubernationis diuinæ.

Conclusio. Nihil contranititur diuinæ sapientiæ in generali, sed in speciali.

QVAESTIO CIIII.

De effectibus diuinæ gubernationis in speciali, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum creaturæ indigeant, ut à Deo conseruentur.

Conclusio. Cùm Deus sit prima omnium causa in fieri & esse: necesse est, ut omnia etiam ab ipso conseruentur.

ART. II. Vtrum Deus immediatè omnem creaturam conseruet.

Conclusio. Deus non omnia immediatè cõseruat in esse, sed quasdam immediatè, & aliquas mediantibus alijs.

ART. III. Vtrum Deus possit aliquid in nihilum redigere.

Con-

Concluſio. Cum Deus non de neceſsitate naturæ, ſed liberè res in eſſe produxerit, antequam eſſent: ita pro ſua uoluntate illas in nihilum redigere poteſt.

ART. IIII. Vtrum aliquid in nihilum redigatur.

Concluſio. Diuinam dedecet bonitatem, ut aliquid eorum quæ produxit ut eſſent, quandoque in nihilũ redigatur.

QVAESTIO CV.

De mutatione creaturarum à Deo, in octo articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum Deus poſsit immediatè mouere materiam ad formam.

Concluſio. Cum Deus poteſtate ſua, quam produxit materiam, contineat: eam formam etiam mouere poteſt immediatè.

ART. II. Vtrum Deus poſsit immediatè mouere aliquod corpus.

Concluſio. Cum creaturarum aliquæ mouere poſſint corpora: Deus multò magis, qui materiæ formã imprimere ualet, poterat corpora mouere immediatè ſecundum quamuis ſpeciem motus.

ART. III. Vtrum Deus moueat immediatè intellectum creatum.

Concluſio. Cum Deus ſit primus intellectus, & in ipſo omnia ſint intelligibiliter: mouet intellectũ, & dando intellectum, & miniſtrando intelligibiles ſpecies, quibus neceſſariò intellectus omnis intelligit.

ART. IIII. Vtrum Deus poſsit mouere uoluntatem creatam.

Concluſio. Proprium eſt Dei uoluntatem mouere, ipſam in uolente cauſando obiectiuè, & interius efficaciter illam inclinando.

ART. V. Vtrum Deus operetur in omni operante.

Conclusio: Deus non sic in omnibus operatur agẽtibus, ut & ipsa non operentur: sed operatur in quolibet finaliter, effectiuè, & formaliter, ut tamen & ipsa etiam agant.

ART. VI. Vtrum Deus possit facere aliquid præter ordinem rebus inditum.

Conclusio. Nõ potest Deus contra ordinem rerum facere, prout dependent à prima causa: sed præter rerum ordinem facere potest, ut dependent ex causis secundis.

ART. VII. Vtrum omnia quæ Deus facit præter ordinem naturalem rerum, sint miracula.

Cõclusio. Quæ Deus operatur in rebus præter causas nobis notas, miracula dicuntur.

ART. VIII. Vtrum unum miraculum sit maius alio.

Conclusio. Miraculorum unum alio maius esse contingit, non secundùm comparationem ad diuinam potentiam, sed ad facultatem naturæ, quam secundùm quosdam gradus excedit in operando uirtus Diuina.

QVAESTIO. CVI.

Quomodo una creatura aliam moueat, & de Angelorum illuminatione, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum unus Angelus illuminet alium.

Conclusio. Vnus Angelus alium illuminat, uel confortãdo ipsius intellectum, uel ex parte similitudinis rei intelligendæ.

ART. II. An unus Angelus moueat uoluntatem alterius.

Con-

Conclusio. Non potest unus Angelus sufficienter mouere alterius uoluntatem obiectiuè, potest tamen inclinare uolūtatem inferioris Angeli persuasiuè: sed solus Deus utrumque potest, qui etiam uoluntatem quippiam uolendi tribuit quibusque uoluntatem habentibus.

ART. III. An Angelus inferior superiorem illuminet.

Conclusio. Nunquam inferiores Angeli illuminãt superiores, sed illuminantur ab illis.

ART. IIII. Vtrum Angelus superior illuminet inferiorem.

Conclusio. Superiores Angeli semper inferiores illuminant de omnibus, quæ nouerunt: sic tamen quòd semper remanent in superiori ordine, perfectiorem scientiam habentes.

QVAESTIO CVII.

De Locutionibus Angelorum, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum unus Angelus alteri loquatur.

Conclusio. Loquitur unus Angelus alteri, manifestando illi conceptum suum, uel ordinando cōceptus ad talem manifestationem per uoluntatem.

ART. II. Vtrum inferior Angelus superiori loquatur.

Conclusio. Angeli inferiores superioribus loqui possunt, non autem ipsos illuminare.

ART. III. Vtrum Angelus Deo loquatur.

Conclusio. Angeli nō loquūtur Deo ut illi quippiã manifestēt sed illi loqui dicũtur, uel consultãdo illius uolūtatem de agēdis, uel illius excellētiã admirãdo.

ART. IIII. Vtrum localis distantia operetur aliquid in locutione angelica.

Con-

Conclusio. In locutione Angelorũ, cum in intellectuali opere consistat, nullum impedimentum præstat localis distantia.

ART. V. Vtrum locutionem unius angeli ad alterum omnes cognoscant.

Conclusio. Locutionẽ unius angeli est alium non omnes percipiunt, cum uoluntariè fiat.

QVAESTIO CVIII,

De Ordinatione angelorum secundum hierarchias & ordines, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

trum omnes angeli sint unius hierarchiæ.

Conclusio. Omnes angeli & rationales creaturæ, quarum Deus princeps est, ut sic unius sunt hierarchiæ, sed hec angeli cũ hominibus, nec inter se, quo ad multitudinis cõsiderationẽ sunt unius hierarchiæ, sed ipsi inter se angeli tres constituunt hierarchias.

ART. II. Vtrũ in una hierarchia sint plures ordines.

Conclusio. In omni hierarchia distinguuntur tres ordines diuersi, summus, medius, & infimus, secundũ uaria angelorum officia.

ART. II. Vtrum in uno ordine sint plures angeli.

Cõclusio.. Multi angeli sunt in uno ordine nobis no to, sed quilibet angelus proprium habet ordinem nobis incognitum.

ART. IIII. Vtrum distinctio hierarchiarum & ordinum sit à natura in angelis.

Conclusio. Distinguuntur angelici ordines secundum finem naturalem per ipsa naturalia: secundum supernaturalem uero finem, distinguuntur secundũ gratuita dona, in angelis tamen completiuè à gratia, dispositiuè autem à natura, in hominibus tantum à gratia.

ART.

ART.V. Vtrum ordines angelorum conuenienter nominentur.

Conclusio. Distinguuntur in angelicis hierarchiis nouem ordines Angelorũ: 1. Cherubim, 2. Seraphim 3. Throni, 4. Dominationes, 5. Principatus, 6. Potestates, 7. Virtutes, 8. Archangeli, & 9. Angeli. Quamuis interdum ex his quædam nomina, quæ certorum Ordinum propria sunt (vt Angeli, Virtutes, & Potestates,) generali quadam ratione uniuersis, aut pluribus simul Ordinibus cœlestibus attributa reperiuntur.

ART. VI. Vtrum conuenienter gradus Ordinum assignentur.

Conclusio. Angelicorum spirituum in prima Hierarchia sic ordinantur ordines, 1. Seraphimi, 2. Cherubimi, & 3. Throni, in secunda, 1. Dominationes, 2. Virtutes, & 3: Potestates, in tertia, 1. Principatus, 2. Archangeli, & 3 Angeli. Et quia Deus est finis non solum Angelicorum ministeriorum, sed etiam totius creaturæ, ad primam Hierarchiam pertinet consideratio finis, ad mediam uero dispositio uniuersalis de agendis, ad ultimam autem applicatio dispositionis ad effectum, quæ est operis executio. Hæc enim tria manifestum est in qualibet operatione inueniri.

ART.VII. Vtrum Ordines remanebunt post diem iudicij.

Conclusio. Remanebunt Angelici Ordines post diem iudicii, quo ad graduum distinctionem, quò ad executionem uerò suorum officiorum, non remanebunt nisi sicut in fine, uidelicet secundum quod cõuenit in ultima finis consecutione. Sicut etiam alia sunt officia militarium ordinum in pugna, & in triumpho.

ART.

ART.VIII. Vtrum homines assumantur ad Ordines Angelorum.

Conclusio. Nullo modo assumi possunt homines ad Ordines Angelorum, quantum ad gradum naturæ, quia semper remanebit naturarum distinctio. Illud autem quod est ex parte naturæ, se habet ut materiale in ratione ordinis. Completiuum uerò est quod est ex dono gratiæ, quæ dependet ex liberalitate Dei, non ex ordine naturæ. Et ideo per donum gratiæ homines mereri possunt tantam gloriam, ut angelis æquentur secundum singulos angelorum gradus, quod est homines ad ordines angelorum assumi.

QVAESTIO CIX,

De ordinatione malorum Angelorum, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Ordines sint in dæmonibus.

Conclusio. Dæmones neque sunt, neque fuerunt in ordinibus Angelorum secundum statum gloriæ, fuerunt autem secundum statum gratiæ meritoriæ, & perseuerant in ordinibus secundnm statum & conditionem naturæ.

ART. II. Vtrum in dæmonibus sit prælatio.

Conclusio. Cùm dæmonũ actiones sint ordinatæ, necesse est, ut in illorum ordinibus quidam aliis præferantur & dominentur. Hæc uerò prælatio dæmonum non fundatur super eorum iustitia, sed super iustitia Dei cuncta ordinantis

ART.III. Vtrum in dæmonibus ſit illuminatio.

Concluſio. Quamuis per aliquam ueritatis manifeſtationem ſubiinuicem lumen præſtare uideantur dæmones, non tamen illuminant propriè, cum omnia à Deo auertere ſtudeant.

ART.IIII. Vtrum boni angeli habeāt prælationem ſuper malos.

Concluſio. Angeli boni malis præferuntur.

QVAESTIO CX.

De præſidentia Angelorum ſuper creaturam corporalem, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum creatura corporalis adminiſtretur per Angelos.

Concluſio. Præſident angeli ſuper natura corporea cui eſt uis particularis, cum illorum poteſtas ſi uniuerſalis.

ART.II. Vtrum materia corporalis obediat angelis ad nutum.

Concluſio. Materia corporalis non obedit angelis immediatè ad tranſmutationem formalem.

ART.III. Vtrum corpora obediant angelis ad motū localem.

Concluſio. Natura corporalis apta nata eſt moueri & à natura ſpirituali, & ab angelis, quò ad motum localem.

ART.IIII. Vtrum angeli poſsint facere miracula.

Concluſio. Solus Deus, & non angeli, propria uirtute miracula facere poteſt, cum ſolus præter ordinē uniuerſa creaturæ facere poſſit.

QVAESTIO XCI,

De actione Angelorum in homines, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Angelus poſsit illuminare hominem.

Concluſio. Cũ homines inferiores ſint natura angelis, per ipſos illuminantur.

ART. II. Vtrum angeli posſint immutare uoluntatem hominis.

Concluſio. Angeli non niſi ſuadendo, ſeu concitãdo, hominis uoluntatem immutare poſſunt, non tamen cogendo: quam tamen ab intrinſeco, & extrinſeco Deus mouerè efficacisſimè poteſt.

ART. III. Vtrũ angelus posſit immutare imaginationem hominis.

Concuſio. Poteſt tam angelus malus, q̃ bonus, naturalibus ſuis uiribus ipſam hominis imaginationẽ immutare.

ART. IIII. Vtrum angelus posſit immutare ſenſum humanum.

Concluſio. Poteſt angelus ſenſum hominis mouere, uel opponendo aliquod ſenſibile exterius, uel intus humores cõcitãdo ad uarias ſenſus apparitiões.

QVAESTIO CXII,

De Misſione Angelorum, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Angeli in miniſterium mittantur.

Concluſio. Aliqui angeli ſpeciali quodam modo mittũtur à Deo in miniſteriũ creaturę corporalis in Deum dirigendæ, uel ducendæ.

ART. II. Vtrum omnes angeli in miniſterium mittantur.

ART. V. Vtrum angelus deputetur homini ad cuſtodiam à ſua natiuitate.

Concluſio. Homini ſtatim ab ipſa ſua natiuitate deputatur ad cuſtodiam angelus.

ART. VI. Vtrum angelus cuſtos quandoque deſerat hominem.

Concluſio. Angelus homini ad cuſtodiam deputatus, nunquam ex toto ipſum dimittit, ſed permittit quandoque in malum tam culpæ, q̃ pœnæ cadere, ex lege permisſionis diuinæ ad tempus propter hominis maius bonum.

ART. VII. Vtrum angeli doleant de malis eorum, quos cuſtodiunt.

Concluſio. Cum nihil in mundo angelis ſimpliciter inuoluntarium fiat, de hominum, quos cuſtodiũt malis minimè dolent.

ART. VIII. Vtrum inter angelos posſit eſſe pugna ſeu diſcordia.

Concluſio. Inter angelos pugna quidem eſſe põt, non diſcordia uoluntatum, ſed meritorum cõtrarietate eorum, pro quibus pugnare dicuntur.

QVAESTIO CXIIII,

De Dæmonum impugnatione, in quinq; articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum homines impugnentur à dæmonibus.

Concluſio. Impugnantur homines à dæmonibus ex ipſa illorum malitia, ordo autem impugnationis ab ipſo Deo eſt.

ART. II. Vtrum tentare ſit proprium diaboli.

Concluſio. Tentare, id eſt, ad malum culpæ homines inducere, peccatum eſt, & proprium diaboli officium.

ART. III. Vtrum omnia peccata procedant ex tẽtatione diaboli.

Conclusio. Omnia hominũ peccata à dæmone indirectè causantur, directè autem arbitrii libertate.

ART. IIII. Vtrum dæmones possint homines seducere.

Cõclusio. Quamuis dæmones nõ possint propriè miracula facere, possunt tamen per miracula communiter homines seducere.

ART. V. Vtrum dæmon, qui superatur ab aliquo, propter hoc ab impugnatione arceatur.

Cõclusio. Dæmon superatus uacat à tẽtatione eiusdem, non semper, sed usque ad tempus.

QVAESTIO CXV.

De actione corporalis creaturæ, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum aliquod corpus sit actiuum.

Conclusio. Corpus secundum quod est actu, agit in corpus secundum quod est in potentia.

ART. II. Vtrum in materia corporali sint aliquæ rationes seminales.

Conclusio. Rationes seminales, quæ actiua & passiua principia generationis naturalis sunt, in materia corporali multis modis reperiuntur.

ART. III. Vtrum corpora cœlestia sint causa eorũ, quæ hic in inferioribus fiunt.

Conclusio. Corpora cœlestia cum tantum mobilia secundum lationis motum, causa sunt omnium eorum, quæ in his corporibus inferioribus cæteris motibus aguntur.

ART. IIII. Vtrum corpora cœlestia sint causa humanorum actuum.

Conclusio. Cùm intellectus & uoluntas, quæ humanorum actuum principia sunt, uires sint corporeis organis minimè alligatæ: non possunt corpora ipsa cœlestia humanorum actuum causæ directè esse, sed indirectè, agendo per se in corpora, quæ ad utriusque potentię opera conducunt.

ART. V. Vtrum corpora cœlestia possint imprimere in ipsos dæmones.

Conclusio. Cùm dæmones substantię sint intellectuales corporibus non unitæ, corporibus cœlestibus nullo modo subduntur.

ART. VI. Vtrũ corpora cœlestia imponant necessitatem his, quæ eorum actioni subduntur.

Conclusio. Non omnia, quæ in his inferioribus à corporibus cœlestibus fiunt, de necessitate eueniunt.

QVAESTIO CXVI.

De Fato, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum fatum sit aliquid.

Conclusio. Fatum pro diuina ponitur prouidentia omnia præloquente.

ART. II. Vtrum fatum sit in rebus creatis.

Conclusio. Fatum est in causis creatis, ut per diuinam disponuntur prouidentiam ad uarios effectus producendos.

ART. III. Vtrum fatum sit immobile.

Conclusio. Fatum, ut in secundis causis, absolutè est mobile: ut autem à diuina prouidentia, immobile, non necessitate absoluta, sed conditionali.

ART. IIII. Vtrum omnia fato subdantur.

Conclusio. Fato non subduntur omnia, sed quæ tantùm legibus secundarum causarum subijciuntur.

QVAESTIO CXVII.

De Pertinentibus ad hominis actionem, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum unus homo posit alium docere.

Conclusio. Potest unus homo alium docere, deducendo ipsum ex potentia ad actum scientiæ primum.

ART. II. Vtrum homines posint docere angelos.

Conclusio. Homines uiatores non possunt superiores se Angelos docere, & illuminare: sed tantùm illis loqui possunt.

ART. III. Vtrum homo per uirtutem animæ posit corporalem materiam immutare.

Conclusio. Non potest homo animæ suæ naturali uirtute materiam corporalē immutare, nisi alicuius corporis media actione.

AR. IIII. Vtrum anima hominis separata posit corpora saltem localiter mouere.

Conclusio. Non potest anima mouere corpus ad nutum sua naturali uirtute, sed tantùm corpus à se uiuificatum.

QVAESTIO CXVIII.

De Traductione hominis ex homine quantum ad animam, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum anima sensitiua traducatur cum semine.

Conclusio. Anima sensitiua causatur à generante tan-

tanquam principali agente: à ſemine uerò, tanquam ab inſtrumento, & non producitur per creationem.

A R T. II. Vtrum anima intellectiua cauſetur ex ſemine.

Concluſio. Anima intellectiua cùm habeat operationem uitæ, ſine corpore eſt ſubſiſtens, & ita ſibi debetur eſſe & fieri. Et cùm ſit immaterialis ſubſtantia: non poteſt cauſari per generationem, ſed ſolùm per creationem à Deo.

ART. III. Vtrum animæ humanæ fuerint creatæ ſimul à principio mundi.

Cõcluſio. Animæ humanæ non ante corpora creatæ, ſed ſimul creantur, cùm corporibus infunduntur.

QVAESTIO CXIX.

De Propagatione hominis quantum ad corpus, in duos articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum aliquid de alimento conuertatur in ueritatẽ humanæ naturæ.

Concluſio. Alimentum uerè conuertitur in ueritatem humanæ naturæ, inquantnm uerè accipit ſpeciẽ carnis & oſſis, & aliarum corporearum partium.

A R T. II. Vtrum ſemen ſit de ſuperfluo alimenti.

Concluſio. Semen deciſum à generante eſt de alimenti ſuperfluo.

QVAESTIONVM OMNIVM AC CONCLVSIONVM PRIMAE

Partis Summæ Theologiæ S. Thomæ Aquinatis,

Finis.

PRIMA SECVNDAE ANGELICI DOCTORIS SANCTI THOMAE AQVINATIS.

QVAESTIO PRIMA.

De ultimo fine hominis, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTRVM homini conueniat agere propter finem.

CONCLVSIO.

Cùm hominis proprium sit per rationem & uolũtatem agere: etiam necessariò eidem conuenit, agere propter finem.

ART. II. Vtrum agere propter finem sit proprium rationalis naturæ.

Conclusio. Quanquam omne agens agat propter finem: proprium tamen est rationalis creaturæ, ut propter finem agat, quasi se agens & ducens in finem.

ART. III. Vtrum actus hominis recipiant speciem ex fine.

Conclusio. Actus omnes humani ex fine speciem sortiuntur.

AR. IIII. Vtrũ sit aliquis ultimus finis humanæ uitæ.

Cõclusio. In finibus & his quæ propteer finẽ sunt, non est processus in infinitum, sed sicut est unus ultimus finis, ita est aliquid primũ, à quo incipit motus

ad

ad finem:non eſt autem inconueniens, in his, quę ad finem ſunt per accidens ordinata,eſſe infinitatem.

ART. V. Vtrum unius hominis posſint eſſe plures ultimi fines.

Cõcluſio. Cùm ultimus finis hominis,primum,& perfectum,& naturale bonum ſit,eius omnes uoluntarias actiones ſpecificans: imposſibile eſt, ſimul eſſe unius plures ultimos fines ſimpliciter.

ART. VI. Vtrum homo omnia quæ uult, uelit propter ultimum finem.

Concluſio.Quæcunque homo appetit, neceſſe eſt propter ultimum finem appetere.

ART. VII. Vtrum ſit unus ultimus finis omnium hominum.

Concluſio.Tametſi unus eſt ultimus finis formaliter omnium hominum; multiplicantur tamen per ea uaria ſtudia quæ homines ut ultimos fines aſſequi conantur.

ART.VIII.Vtrum illo ultimo fine aliæ creaturæ cõueniant.

Concluſio. Quamuis Deus ſit ultimus finis omniũ rerum;non eſt tamen hominis & aliarum creaturarũ ratione carentium idem ultimus finis, quò ad illius conſecutionem & adeptionem.

QVAESTIO II.

De his, in quibus hominis beatitudo conſiſtit, in octo articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum beatitudo hominis conſiſtat in diuitijs.

Concluſio. Cùm beatitudo ſit ultimus finis hominis,diuitias autem ex arte homines quærant propter naturales diuitias, quæ propter ipſum hominẽ ſunt, imposſibile eſt,in his beatitudinem conſiſtere.

AR.II.Vtrũ beatitudo hominis cõſiſtat in honorib⁹.

Con

Concluſio. Cum ſecundum beatitudinem homo conſtituatur in excellentia, cuius ſignum eſt honor & reuerentia; non niſi conſecutiuè in honoribus beatitudo conſiſtit.

ART. III. Vtrum beatitudo hominis conſiſtat in fama ſiue gloria.

Concluſio. Impoſſibile eſt, in fama ſeu gloria conſiſtere hominis conſummatam felicitatem.

ART. IIII. Vtrum beatitudo hominis conſiſtat in poteſtate.

Concluſio. Poteſtas, cum principium ſit malum & bonum reſpiciens: minimè dicendum eſt, conſiſtere hominis beatitudinem in ulla poteſtate.

ART. V. Vtrum beatitudo hominis conſiſtat in aliquo corporis bono.

Concluſio. Corporalia bona, cum ad alia ordinentur impoſſibile eſt, in aliquo corporis bono beatitudinē conſiſtere, ſecundū quam animalia cuncta excellit.

ART. VI. Vtrum beatitudo hominis conſiſtat in uoluptate.

Concluſio. Non ſunt corporales uoluptates, quæ imperfectum hominis bonum cōſequuntur, ipſa beatitudo, nec ipſam ſequuntur ut aliquod per ſe accidēs beatitudinis.

ART. VII. Vtrum beatitudo hominis conſiſtat in aliquo bono animæ.

Cōcluſio. Beatitudo, ut eſt res ipſa quæ appetitur ut finis, eſt id, in quo Beatitudo conſiſtit, & quod beatū facit, & ſic eſt aliquid prorſus extra animam: ut uerò huius rei adeptio ſeu poſſeſſio uocatur beatitudo, eſt quidem aliquid animæ, quia homo per animam beatitudinem conſequitur.

ART. VIII. Vtrum beatitudo hominis conſiſtat in aliquo bono creato.

Con-

Conclusio. Cum nullum creatum sit uniuersale, sed particulare bonum; impossibile est, ipsam beatitudinem esse aliquod bonum creatum.

QVAESTIO III.

Quid sit beatitudo, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Beatitudo sit aliquid increatum.

Conclusio. Tametsi beatitudo obiectiuè sit aliquid increatum, Deus scilicet; essentialiter tamen est aliquid creatum, fruitio uidelicet ultimi finis in ipso existens.

ART. II. Vtrum beatitudo sit operatio.

Conclusio. Cum beatitudo consistat in ultimo hominis actu; necesse est, ipsam esse aliquam hominis operationem.

ART. III. Vtrum beatitudo sit operatio sensitiuæ partis, aut intellectiuæ tantum.

Conclusio. Cùm non ualeat homo per aliquam sensus apprehensionem summo bono coniungi, nisi antecedenter, uel consequenter; sensus operatio ad ipsam beatitudinem non requiritur essentialiter.

AR. IIII. Vtrum si beatitudo est intellectiuæ partis, sit operatio intellectus, an uoluntatis.

Conclusio. Quia summum bonum consequi homo non potest, nisi per intellectum, unde delectari postea possit ipsa uolũtas: idcirco intellectiuæ partis est beatitudo, quantum ad eius essentiam attinet, licet, quantum ad accidentalem delectationem inde naturaliter consequentem, sit uoluntatis.

A R T. V. Vtrum beatitudo sit operatio intellectus speculatiui, an practici.

Cõclusio. Principaliter in speculatiui intellectus operatione, ut in optima, & maximè propter seipsam quæsita, & qua maximè homo cum Deo Angelisque communicat, beatitudo nostra reperitur, licet consequenter in practici intellectus operatione consistat.

ART. VI. Vtrum beatitudo consistat in consideratione scientiarum speculatiuarum.

Cõclusio. Cùm consideratio scientiarum speculatiuarum non possit ultrà extendi quàm sensibilium cognitio, quæ est earum principium: ducere possit, idcirco in speculatiuis sciẽtijs uera perfectaq; beatitudo non inuenitur, sed tantùm eius participatio quædã.

ART. VII. Vtrum beatitudo consistat in cognitione substantiarum separatarum, scilicet Angelorum.

Conclusio. Quia substantiæ separatæ omnes post Deum, per participationem quandam essentiam suã habent; idcirco, neque uerissima obiecta humani intellectus esse possunt, neque in earum contemplatione potest humana beatitudo consistere.

ART. VIII. Vtrum beatitudo hominis sit in uisione diuinæ essentiæ.

Cõclusio. Cùm Deus sit omnium prima causa: non nisi in eius essentiæ contemplatione poterit homo beari.

QVAESTIO IIII.

De his quæ ad beatitudinem exiguntur, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum delectatio requiratur ad beatitudinem.

Cõclusio. Cùm beatitudo sit summa boni adeptio: ipsam semper cõcomitari delectationẽ, necessariũ est.

ART. II. Vtrum in beatitudine sit principalius uisio, quàm delectatio.

Con-

Cõclusio. Principalius bonum est ipsa uisio in beatitudine, quàm delectatio ipsam concomitans.

ART. III. Vtrum ad beatitudinem requiratur comprehensio.

Conclusio. Ad beatitudinẽ non solum requiritur uisio, quæ perfecta est ultimi & intelligilis finis cognitio, sed etiam comprehensio, quæ finis præsentiã respicit, & fruitionẽ, quæ rei amãtis in amato quietationem importat.

ART. IIII. Vtrum ad beatitudinem requiratur rectitudo uoluntatis.

Conclusio. Rectam uoluntatem sic exigit beatitudo, ut sine ea quisquam beatus esse nõ ualeat, & quã, quicunque beatus est, necessariò habet.

ART. V. Vtrum ad beatitudinem hominis requiratur corpus.

Conclusio. Cũ perfecta hominis beatitudo in diuinæ essentiæ uisione consistat, ad ipsam non necessariò corpus requiritur, quasi illius essentiã constituẽs: beatitudo tamẽ, quæ in hac uita possibilis nobis est, cũ in speculatione cõsistat, necessariò corpus exigit.

ART. VI. Vtrum ad beatitudinem requiratur aliqua perfectio corporis.

Conclusio. Ad omnem beatitudinẽ quocunque modo sumptãm conueniens corporis humani antecedit & sequtur dispositio, ut illi⁹ decor & perfectio.

ART. VII. Vtrum ad beatitudinem requirantur aliqua exteriora bona.

Conclusio. Ad beatitudinem quæ in diuinæ essentiæ uisione consistit, nullo mõ exteriora bona requiruntur, necessaria tñ sũt ad eã beatitudinẽ, quæ in uitæ actiuę ac cõtẽplatiuæ opib⁹ pficiẽ, ut instrumẽta.

ART. VIII. Vtrum ad beatitudinem requiratur societas amicorum.

Con-

Cõclusio. Sic ad beatitudinem huius uitæ humanæ amicorũ societas opportuna est, ut illis ad opera uitæ actiuæ, & cõtemplatiuæ ſm uirtutes perfectas iuuetur & exerceatur homo, quæ tamen non necessaria est ad beatitudinem patriæ, quamuis ad bene esse illius faciat.

QVAESTIO V.

De adeptione beatitudinis, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum homo possit consequi beatitudinem.

Cõclusio. Cũ sit homo uniuersalis boni per intellectũ capax, quod & uoluntate appetere potest, possibile est, hominem adipisci beatitudinem.

ART. II. Vtrũ unus homo possit esse beatior altero.

Cõclusio. Nõ potest beatitudo, ex parte obiecti, una alia maior esse, sed secundum fruitionem unus alio beatior est secundum meliorem dispositionem, quæ in luminis gloriæ uaria participatione cõsistit.

ART. III. Vtrũ aliquis in hac uita possit esse beatus.

Cõclusio. Non potest quis in hanc uitæ perfectam consequi beatitudinem, quæ in diuinæ essentiæ uisione perficitur.

ART. IIII. Vtrum beatitudo habita possit amitti.

Conclusio. Possibile est, quemuis ab imperfecta beatitudine, qualis in hac uita haberi põt, deficere, non autem à perfecta, quæ in uisione diuinæ essentiæ consistit.

ART. V. Vtrum homo per sua naturalia possit acquirere beatitudinem.

Cõclusio. Nõ põt hõ suis naturalibus uiribus beatitudinẽ illã, q̃ in uisione diuinæ essentiæ consistit, adipisci, sicut illam, quæ in hac uita haberi potest.

Con-

ART. VI. Vtrum homo conſequatur beatitudinem per actionem alicuius ſuperioris creaturæ.

Concluſio. Cum beatitudo ſit quoddam bonũ excedens naturam creatam, impoſſibile eſt, homini eã conferri actione alicuius naturæ creatæ: ſed fit ſolo Deo agente homo beatus.

ART. VII. Vtrum requirãtur aliqua opera bona ad hoc, ꝙ homo beatitudinem conſequatur à Deo.

Concluſio. Solus Deus natura beatus eſt, Angeli uerò diuinæ naturæ proximiores unico motu beatitudinem ſunt cõſecuti, quam pluribus motibus ſeu actionibus meritoriis Deus uoluit ùt homines conſequerentur.

ART. VIII. Vtrum omnis homo appetat beatitudinem.

Concluſio. Quanquam nõ omnes id appetant, in quo beatitudo conſiſtere creditur à nonnullis: oẽs tamen uniuerſale perfectum bonum naturaliter appetere certum eſt, in quo uera conſiſtit communis ratio beatitudinis.

QVAESTIO VI.

De uoluntario & inuoluntario, in octo articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum in humanis actibus inueniatur uoluntariũ.

Concluſio. Cum omnium agentium ſolus homo ſui operis finem cognoſcat, & ſeipſum ad illum moueat, neceſſarium eſt in illius actibus uoluntarium maximè inueniri.

ART. II Vtrum uoluntarium inueniatur in animalibus brutis.

Conclusio. In solis hominibus (finis cognitionem perfectam habētibus) uoluntarium simpliciter inuenitur, in ceteris uerò non nisi secundum imperfectā rationem.

ART. II. Vtrum uoluntarium possit esse absque omni actu.

Conclusio. Potest nonnunquam uoluntarium esse sine exteriori actu cum interiori, ut quando uult nō agere, quandoque uerò & absque interiori actu, ut cum non uult.

ART. IIII. Vtrum uiolētia uoluntati possit inferri.

Conclusio. Impossibile est uoluntati, quò ad eius proprium elicitum actum, uiolentiam inferri, sicut contingit, ꝙ ad actus imperatos, nonnunquam uiolētari, & impediri.

ART. V. Vtrum uiolentia causet inuoluntarium.

Conclusio. Cum uiolentia sit à principio extrinseco, uoluntariū uerò, sicut & naturale, à principio intrinseco, necessariū est, uiolētiā causare inuolūtariū.

AR. VI. Vtrū metus causet inuolūtariū simpliciter.

Conclusio. Quod per metū fit, simpliciter uoluntarium est, secundum quid autem inuoluntarium.

ART. VII. Vtrum concupiscentia causet inuoluntarium.

Conclusio. Concupiscentia magis aliquid uoluntarium facit; non autem inuoluntarium.

ART. VIII. Vtrū ignorantia causet inuoluntarium.

Conclusio. Ignorantiæ eorum quæ quis scire tenetur uoluntarium simpliciter causat, non aūt inuolūtarium, ignorantia uerò quæ concomitatur uoluntatis actum, ut illius quod agitur; quod, etiam si sciretur, ageretur, non uoluntarium facit, ea autem ignorantia, quæ causa est uolendi id quod alias quis non uellet, simpliciter inuoluntarium facit.

QVAESTIO VII.

De circunstantijs humanorum actuum, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum circunstantia sit accidens actus humani.

Conclusio. Circunstantiæ, non substantia, sed accidentia sunt hnmanorum actuum, scilicet illos attingentia aliquo modo.

ART. II. Vtrum circunstantiæ humanorum actuum sint considerandæ à Theologo.

Conclusio. Cum ex circunstantijs humani actus disponantur in ordinem ad ultimum finem; eorum speculatio maxime ad Theologum spectat.

ART. III. Vtrum conuenienter enumerentur circunstantiæ in tertio Ethicorum.

Cōclusio. In humanis actibus, quis fecit, quibus auxiliis, seu instrumentis, quid, cur, quomodo, & quādo, & circa quid fecerit, inspicienda sunt.

ART. IIII. Vtrum sint principales circunstantiæ propter quid, & ea, in quibus est operatio.

Conclusio. Circunstantia, quæ attingit humanum actum ex parte finis, prima est, scilicet cuius gratia: quam sequitur circunstantia attingens actum secundum substantiam, uidelicet Quid fecit.

QVAESTIO VIII.

De uoluntate, quorum sit ut uolitorum, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum uoluntas sit tantùm boni.

Conclusio. Voluntas, cùm sit inclinatio consequēs intellectus apprehensionē; non nisi in bonum, uel apparens bonum tendit, conueniens rationali naturæ.

ART. II. Vtrum uoluntas sit tantum finis, an etiam eorum, quæ sunt ad finem.

Conclusio. Voluntas ut potentia est, finem, & ea, quæ sunt ad finem, respicit: ut uerò actum nominat, tantum finis est.

ART. III. Vtrum uoluntas eodem actu moueatur in finem, & ad finem.

Conclusio. Non solum in finem, & in ea quæ ad finem sunt, uoluntas eadem actu ferri potest, quanquã diuersa ratione.

QVAESTIO IX.

De motiuo uoluntatis in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum uoluntas moueatur ab intellectu.

Conclusio. Mouet intellectus uolũtatem, non quò ad exercitium actus, sed quo ad specificationẽ, uoluntas uerò omnes potientias mouet, quo ad exercitium actus.

ART. II. Vtrum uoluntas moueatur ab appetitu sensitiuo.

Conclusio. Ex parte obiecti, appetitus sensitiuus apprehensionem rationis & intellectus iniiciens, mouere uoluntatem potest, quasi occasionaliter.

ART. III. Vtrum uoluntas moueat se ipsam.

Conclusio. Voluntas finẽ & bonũ uolendo, seipsam mouere potest ad uolendum ea, quæ ad finem sunt.

ART. IIII. Vtrum uoluntas moueatur ab aliquo exteriori principio.

Conclusio. Non tantum ex appetitu boni & finis ipsa uoluntas mouetur, sed necessarium est, ut ab exteriori obiecto moueatur in suum primum actum.

ART. V. Vtrum uoluntas moueatur à corpore celesti.

Con-

Conclusio. Cũ uoluntas sit potentia supra corpus eleuata, non potest, nisi indirectè, à corporibus cęlestibus moueri.

ART. VI. Vtrum uoluntas moueatur à Deo solo sicut ab exteriori principio.

Cõclusio. Cum humana uoluntas sit animæ rationalis potẽtia ad uniuersale bonũ ordinẽ habẽs, nõ põt nisi à Deo solo, ut ab exteriori principio, moueri.

QVAESTIO X

De modo quo uoluntas mouetur, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum uoluntas ad aliquid naturaliter moueatur.

Cõclusio. Fert̃ ipsa hoĩs uolũtas naturaliter in bonũ & ultimũ finẽ, & in ea quæ suæ cõueniũt, naturæ.

ART. II. Vtrum uoluntas moueatur de necessitate à suo obiecto.

Cõclusio. Voluntas de necessitate mouetur ab obiecto illo, quod est uniuersale bonum, ab ipsa scilicet beatitudine, non autem à particulari bono, quod uoluntas potest non uelle ea ratione, qua sibi deficit aliqua ratio bonitatis.

ART. III. Vtrum uoluntas moueatur de necessitate ab inferiori appetitu.

Conclusio. Voluntas cum sit spiritualis in homine potestas, necessario & uniuersaliter ab inferiori appetitu mouetur.

ART. III. Vtrum uoluntas moueatur de necessitate ab exteriori motiuo, quod est Deus.

Conclusio. Cũ uoluntas sit actiuum principium, nõ ad unum determinatum, sed indifferẽter ad multa se habens, non necessario à Deo mouetur, qui cũcta mouet secundum propriæ naturæ dispositionem.

QVAESTIO XI.

De fruitione, quæ est actus uoluntatis, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum frui sit actus appetitiuæ potentiæ.

Conclusio. Cum fruitio ad delectationē & amorē spectet; appetitiuæ potentiæ actu; est.

ART. II. Vtrum frui conueniat tantùm rationali creaturæ an etiam animalibus brutis.

Conclusio. Conuenit rationali naturæ fruitio secundùm rationem perfectam; brutis autem secundū imperfectam; cæteris autem nullo modo conuenit.

ART. III. Vtrum fruitio sit tantùm ultimi finis.

Conclusio. Fruitio tantùm ultimi finis est qui non propter aliud quæritur, sed propter seipsum, ut in eo uoluntas quiescat & delectetur.

ART. IIII. Vtrum fruitio sit solum finis habiti.

Conclusio. Perfecta fruitio est ultimi finis habiti realiter; imperfecta uerò, finis non habiti realiter, sed in intentione tantùm.

QVAESTIO XII.

De intentione, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum intentio sit actus intellectus uel uoluntatis.

Cōclusio. Cum uoluntas moueat omnes animæ uires in finem; eius propriè intentio actus est.

ART. II. Vtrum intentio sit tantùm ultimi finis.

Conclusio. Tametsi intentio sit semper ipsius finis: non tamen semper est ultimi finis.

ART. III. Vtrum aliquid possit simul duo intendere.

Con-

Cónclusio. Poteſt uoluntatis intentio ſimul in multa ferri, ut in finem ultimum, & proximum, & unum alteri præeligendo.

ART. IIII. Vtrum intentio finis ſit idem actus cum uoluntate eius quod eſt ad finem.

Conclusio Vnus & idem ſubiecto motus eſt uoluntatis in finem tendens, & in id quod eſt ad finem.

ART. V. Vtrum intentio conueniat brutis animalibus.

Cóclusio. Cùm bruta ratione careant, imposſibile eſt illis intẽtionem conuenire, ſecundum quam quippiam in finem ordinatur.

QVAESTIO XIII.

De electione eorum, quæ ſunt ad finem, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum electio ſit actus uoluntatis uel rationis.

Conclusio. Electio actus eſt uoluntatis ſubſtantialiter, quanquam per rationem perficiatur.

AR. II. Vtrum electio conueniat brutis animalibus.

Conclusio. Cùm bruta animalia ex appetitu ſenſitiuo ad unũ, & ad particularia bona determinata ſint: minimè illis communicatur electio, ſecundùm quam plura eligi poſſunt.

ART. III. Vtrum electio ſit ſolùm eorum, quæ ſunt ad finem uel etiam quandoque ipſius finis.

Conclusio. Electio eorum tantùm eſt, quæ ſunt ad finẽ: & ſi quandoque finis eſt, non ultimi, ſed eius eſt, qui ad ulteriorem finem ordinari poteſt.

ART. IIII. Vtrum electio ſit tantùm eorum, quæ per nos aguntur.

Cóclusio. Cũ electio ſit ſemper eorũ quæ ſunt ad finẽ: neceſſe eſt ipſam ſemper humanorũ actuum eſſe.

ART. V. Vtrum electio ſit ſolum poſsibilium.

Cōcluſio. Electio cum ad humanas referatur ſemper actiones, impoſsibile eſt, illam ad impoſsibilia aliquando ferri.

ART. VI. Vtrū homo ex neceſsitate eligat, uel liberè.

Concluſio. Cum electio ſit rationalis naturæ & uoluntatis actus, qua ea, quæ ſunt ad finem, eligit. ea nō ex neceſsitate, ſed liberè homines utuntur.

QVAESTIO XIIII.

De conſilio quod electionem præcedit, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum conſilium ſit inquiſitio.

Concluſio. Conſilium inquiſitio rationis eſt ante iudicium de eligendis.

ART. II. Vtrum conſilium ſit de fine, uel ſolum de his, quæ ſunt ad finem.

Concluſio. Conſilium, cum inquiſitio ſit rationis de rebus agendis; eorum tantùm eſt, quæ ſunt ad finē, finis aūt nūquā, niſi ī finē ulteriorē ordinari cōtingat.

ART. III. Vtrum conſilium ſit ſolum de his quæ à nobis aguntur.

Concluſio. Conſilium propriè circa ea eſt, quæ à nobis gratia finis aguntur.

ART. IIII. Vtrum conſilium ſit de omnibus, quæ à nobis agũtur.

Concluſio. Eorum, quæ ſecundum artem, uel diſciplinam determinata ſunt, uel quæ ſunt minima & parui momenti, conſilium non eſt: ſed eorum tātùm, quę dubitabilia, & incerta ſunt.

ART. V. Vtrum conſilium procedat ordine reſolutorio.

Concluſio. Proceſſus conſilij attenditur ſecundum ordinem reſolutorium; incipiendo ſcilicet ab eo, quod

quod in futuro intenditur, quousque perueniatur ad id quod statim agendum est.

ART. VI. Vtrum consilium procedat in infinitum.

Conclusio. Non est inquisitio cõsilij in infinitũ procedens, nisi in potentia; actu enim terminata est, tam ex parte principij, quàm termini inquisitionis.

QVAESTIO XV.

De consensu respectu eorum, quæ sunt ad finem, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum consensus sit actus appetitiuæ uel apprehensiuæ uirtutis.

Conclusio. Consensus est actus appetitiuæ, uel apprehensiuæ uirtutis, quo in aliquid inclinata ei assentitur & inhæret.

ART. II. Vtrũ cõsensus cõueniat brutis animalibus.

Conclusio. Cũ nulla sit in brutis animalibus appetitiui motus applicatio ad quippiam agendum; impossibile est, illis consensum aliquem conuenire, qui ea ipsa appetitiuæ uirtutis applicatio est.

ART. III. Vtrum consensus sit de fine, uel de his, quę sunt ad finem.

Conclusio. Consensus non est nisi de his quæ sunt ad finem, quorum electio ipsa est.

ART. IIII. Vtrum consensus in actum pertineat solum ad superiorem animæ partem.

Conclusio. Consensus in actum semper ad superiorem animæ partem spectare certum est, ad rationem scilicet & uoluntatem.

QVAESTIO XVI.

De usu in comparatione eorum, quæ sunt ad finem.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum uti sit actus uoluntatis.

Conclusio. Cùm uolũtatis sit omnes animæ uires & habitus, uel organa ad suos proprios actus applicare; illius primo & principaliter ut primi mouentis usus est, rationis autem ut dirigentis, cæterarum uerò potentiarum, ut exequentium.

ART. II. Vtrum uti conueniat brutis animalibus.

Conclusio. Nullus usus brutis animalibus, cũ ratione careant, competere potest. Nesciunt enim referre aliquid in alterum.

AR. III. Vtrum usus possit esse etiam ultimi finis.

Conclusio. Vsus nõ ultimi finis est, sed eorum quæ sunt ad finem.

ART. IIII Vtrum usus præcedat electionem.

Conclusio. Vsus sequitur electionẽ; si tamẽ accipiatur usus secundum quod uoluntas utitur executiua potẽtia mouendo ipsam: sed quia uoluntas ẽt quodã modo rationem mouet, & utitur ea, potest intelligi usus eius quod est ad finem, secundum quod est in cõsideratione rationis referentis ipsum in finem & hoc modo usus præcedit electionem.

QVAESTIO XVII.

De actibus imperatis à uoluntate in nouem articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum imperare sit actus rationis, uel uoluntatis.

Cõclusio. Imperare est actus rationis essentialiter, præsupposito tamen actu uoluntatis, cuius uirtute ipsa ratio per imperium mouet quò ad exercitiũ actus.

ART. II. Vtrum imperare pertineat ad animalia bruta.

Cóclusio. Cùm imperare ſit actus rationis impoſſibile eſt animalibus brutis conuenire.

ART. III. Vtrum uſus præcedat imperium.

Cóclusio. Vſus eius quod eſt ad finem, ſecundum quod eſt in ratione referente ipſum in finē præcedit electionem, ut ſupra dictum eſt, unde multo magis præcedit imperium. Sed uſus eius, quod eſt ad finem, ſecundum quod ſubditur potentiæ executiuæ, ſequitur imperiũ. Naturaliter autem prius eſt imperium, quam imperio obediatur.

ART. IIII. Vtrum imperiũ & actus imperatus ſint actus unus uel diuerſi.

Cóclusio. Imperium & actus imperatus ſunt unus & idem actus humanus ſicut quoddam totum, multi autem, ſecundum partes.

ART. V. Vtrum actus uoluntatis imperetur.

Conclusio. Cùm ratio poſſit de uoluntatis actu ordinare eidem imperari à ratione, neceſſarium eſt.

ART. VI. Vtrum actus rationis imperetur.

Conclusio. Actus rationis, quò ad propriũ actuum exercitiũ, ſunt imperati cum in noſtra ſint poteſtate: ſed quò ad ſpecificationem, non ſemper ſunt imperati, uidelicet circa ea, quorum eſt contingens ueritas.

ART. VII. Vtrũ actus apetitus ſenſitiui imperet̃.

Conclusio. Actus appetitus ſenſitiui, quo modo ab animi poteſtate ſunt, rationis imperio ſubiiciuntur, quo uerò modo inſequuntur corporis diſpoſitionē, nonnunquam præter rationis imperium finnt.

ART. VIII. Vtrũ actus animæ uegetabilis imperet̃.

Cóclusio. Actus animæ uegetatiuæ, cum ſequãtur appetitum naturalem, nullo pacto imperio rationis ſubduntur.

ART. IX. Vtrum actus exteriorum membrorum imperetur.

Con-

Cõclusio. Membra illa, quibus opera sensitiuæ partis exarcentur, imperio rationis subduntur; quæ uerò naturalium uirium motum suscipiunt, minimè subiiciuntur rationis imperio.

QVAESTIO XVIII.

De bonitate & malitia humanorum actuum in generali, in undecim articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrũ omnis humana actio sit bona, uel aliqua mala.

Conclusio. Omnis actio inquantum habet aliquid de esse, intantum habet de bonitate: inquantum uerò deficit ei aliquid de plenitudine essendi, quæ debetur actioni humanæ, intantum deficit à bonitate, & sic dicitur mala; puta si deficiat ei uel determinata quantitas secundùm rationem, uel debitus locus, uel aliquid huiusmodi.

ART. II. Vtrum actio hominis habeat bonitatem uel malitiam ex obiecto.

Conclusio. Sicut res naturales ex sua forma speciẽ sortiuntur, ita humani actus ex obiectis speciem habent.

ART. III. Vtrum actio hominis sit bona uel mala ex circunstantia.

Cõclusio. Sicut res naturales non modò ex suis substantialibus formis, sed etiam ex superuenientibus accidentibus perfectionem sortiuntur; ita & humani actus non solùm ex obiectis, uerùm ex circunstãtiis, uel mali esse dicuntur.

ART. IIII. Vtrum actio humana sit bona uel mala ex fine.

Cõclusio. Actiones humanæ sicut et fine dependẽt: ita præter absolutam bonitatem quam ex se habent;

&

& eam quam ex obiecto, uel ex circunstantiis, ex fine quoque bonitatem uel malitiam suscipiunt.

ART. V. Vtrum aliqua actio humana sit bona uel mala in sua specie.

Conclusio. Bonum & malum in humanis actibus moralibus specificam differentiam apponunt.

ART. VI. Vtrum actus habeat speciem boni uel mali ex fine.

Conclusio. Bonitas uel malitia humanos actus morales specie distinguens, secundùm fines sumenda est.

ART. VII. Vtrum species, quæ est ex fine contineatur sub specie, quæ est ex obiecto, sicut sub genere, uel econuerso.

Conclusio. Species moralis actus ex fine accepta, non continetur sub specie actus ex obiecto specificati, sicut sub genere, sed sunt in distinctis speciebus.

ART. VIII. Vtrum aliquis actus sit indifferens secundùm suam speciem.

Cōclusio. Sunt aliqui ex humanis actibus indifferentes secundùm suam speciem, quorum uidelicet obiectum nihil includit ad ordinem rationis pertinens,

ART. IX. Vtrum aliquis actus sit indifferens secundùm indiuiduum.

Conclusio. Necesse est omnem actum hominis à deliberatiua ratione procedentem in indiuiduo consideratum, bonum esse uel malum. Si autem non procedit à ratione deliberatiua, sed ex quadam imaginatione (sicut cùm aliquis fricat barbam, uel mouet manum aut lapidem) talis actus non est propriè loquendo moralis, uel humanus: & sic erit indifferens, quasi extra genus moralium actuum existens.

ART. X. Vtrum aliqua circunstantia constituat actū moralem in specie boni uel mali.

Concluſio. Quandocunque aliqua circunſtantia re ſpicit ſpecialem ordinem rationis pro uel contra: ex tali circunſtantia conſtituitur aliqua ſpecies moralis actus in bonitate, uel malitia.

ART. IX. Vtrum omnis circunſtantia augens bonitatem uel malitiam, conſtituat actum moralem in ſpecie boni uel mali.

Concluſio. Tametſi circunſtantia bonitatem uel malitiam actus adaugeat, non tamen quæuis talis ſpeciem moralis actus uariat.

QVAESTIO XIX.

De bonitate & malitia actus interioris uoluntatis in decem articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

AN bonitas uoluntatis dependeat ex obiecto.

Concluſio. Bonū & malum in uoluntatis actibus ſecundùm obiecta propriè attenditur.

AR. II. Vtrum bonitas uoluntatis dependeat ex ſolo obiecto.

Concluſio. Cùm obiectum per ſe actui uoluntatis bonitatem afferat; ex ipſo ſolo, & non ex circunſtantijs bonitas uoluntatis dependet.

ART. III. Vtrum bonitas uoluntatis dependeat ex ratione.

Concluſio. Cum bonitas uoluntatis dependeat ex obiecto per rationem ſibi oblato: ex ipſa ratione eiuſdem bonitatem pendere oportet.

ART. IIII. Vtrum bonitas uoluntatis dependeat ex lege æterna.

Concluſio. Cum ratio humana ad legem æternam comparetur, ut cauſa ſecunda primæ ſubordinata: neceſſarium eſt, uoluntatis humanæ bonitatem magis ex lege æterna, quàm ex ratione dependere.

ART.

ART. V. Vtrum uoluntas diſcordans à ratione erran te ſit mala.

Cóclufio. Quæuis uoluntas à ratione ſiue recta, ſiue errante diſcordans, ſemper eſt mala.

ART. VI. Vtrum uoluntas concordans rationi erranti ſit bona.

Concluſio Voluntas concordãs rationi erranti circa ea, quæ quis ſcire tenetur, ſemper eſt mala.

ART. VII. Vtrum uoluntatis bonitas in his, quæ ſunt ad finem, dependeat ex intentione finis.

Concluſio. Bonitas uoluntatis in his, quæ ad finem ſunt, ex ipſa intentione finis dependet.

ART. VIII. Vtrum quantitas bonitatis uel malitiæ in uoluntate ſequatur quantitatem boni uel mali in intentione.

Concluſio. Quantitas bonitatis in uoluntate non ſemper ſequitur quantitatem bonitatis intentionis, quia quantitatem intenti boni non ſequitur par bonitas actus interioris uel exterioris, ſed malitiæ quanti tas in uoluntate eſt ſecundum quantitatem malitiæ intẽtionis quia in malo par eſt ſemper utriuſq; ratio.

ART. IX. Vtrum bonitas uoluntatis humanæ dependeat ex conformitate ad uoluntatem diuinam.

Concluſio. Bonitas uoluntatis humanæ ſecundúm conformitatem ad diuinam uoluntatem ſemper ſumenda eſt: & hoc per imitationem, non autem per æquiparantiam.

ART. X. Vtrum neceſſariũ ſit uoluntatẽ humanã cõformari uolũtati diuinæ in uolito, ad hoc ꝙ ſit bona.

Concluſio. Voluntas humana tenetur diuinæ cõformari uoluntati in uolito formaliter, id eſt, in uolẽdo commune bonũ totius: non autem materialiter, eò ꝙ aliquis recta uoluntate poteſt etiam uelle aliquod particulare bonum, quod Deus non uult.

Quæ-

QVAESTIO XX,

De bonitate & malitia exteriorum actuum humanorum, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum bonitas uel malitia per prius sit in actu uolũtatis, uel in actu exteriori.

Conclusio. Actus exterioris bonitatis, si considere tur secundum suam naturam, magis à ratione, quàm à uoluntate est: sed si in operis exequutione spectetur, sequitur uoluntatis bonitatem, quæ est eius principium.

ART. II. Vtrum tota bonitas & malitia exterioris actus dependeat ex bonitate uoluntatis.

Conclusio. Bonitas & malitia exterioris actus secũdum ordinem ad finẽ, ex uoluntatis bonitate & malitia pendet: quæ uerò est ex debita materia uel ex circunstantiis à ratione dependet.

ART. III. Vtrum bonitas & malitia sit eadem exterioris & interioris actus.

Conclusio. Bonitas & malitia exterioris actus secundum relationem ad finem, eadem est cum bonitate & malitia interioris actus uoluntatis, sed secundũ relationem ad circunstantias, non una, sed diuersæ sunt bonitas interioris actus, & exterioris, etsi una in alteram redundet.

ART. IIII. Vtrũ actus exterior aliquid addat de bonitate & malitia supra actum interiorem.

Conclusio. Bonitas exterioris actus secundum rationem finis, non nisi per accidens addit ad bonitatem interioris actus, sed secundum materiam & conuenientes circunstantias, cum sit sicut terminus interioris actus, adauget eius bonitatem, uel malitiam.

ART.

ART. V. Vtrum euentus sequens aliquid addat de bonitate uel malitia ad exteriorem actum.

Conclusio. Euentus sequēs præcogitatus auget bonitatem & malitiam exterioris actus, non præcogitatus uerò, & ut in paucioribus consequens, non auget sicut si ut in pluribus sequatur, & per se.

ART. VI. Vtrum idem actus exterior possit esse bonus & malus.

Conclusio. Vnus actus, prout est in genere moris, impossibile est, quòd sit bonus & malus & bonitate & malitia morali, si tamen ut unus unitate naturæ, & non unitate moris, potest essē bonus & malus secundum quod sunt duo moraliter, & potest ex una parte inesse bonum, & ex alia malum.

QVAESTIO CXVII.

De consequentibus actus humanos in bonitate, uel malitia, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum actus humanus inquantum est bonus uel malus, habeat rationem rectitudinis uel peccati.

Conclusio. Omnis actus uoluntarius est malus per hoc quod recedit ab ordine rationis & legis æternæ, & omnis actus bonus concordat rationi & legi æternæ. unde sequitur, quòd actus humanus ex hoc, ꝙ est bonus uel malus, habeat rationem rectitudinis uel peccati.

AR. II. Vtrum actus humanus inquantum est bonus uel malus, habeat rationem laudabilis uel culpabilis.

Conclusio. Cum omnes humani actus à nobis liberè procedant, necessarium est omnē actum bonū, uel malum, culpabilis, uel laudabilis rationem habere.

ART. III. Vtrum actus humanus, inquantum est bonus uel malus, habeat rationem meriti, uel demeriti.

Con

Conclusio. Actus humani boni uel mali, meriti uel demeriti rationem habent, secundùm retributionem iustitiæ ad alterum.

AR. IIII. Vtrum actus humanus inquantum est bonus uel malus, habeat rationem meriti uel demeriti apud Deum.

Conclusio. Cũ Deus sit guberator & totius uniuersi rector, præsertim rationalium creaturarum, illarum finis existens: actus humani boni uel mali non tantùm apud homines, sed apud Deum meritorii uel demeritorii esse dicuntur.

QVAESTIO XXII.

De subiecto passionum animæ, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum aliqua passio sit in anima.

Conclusio. Cũ contingat animam sentire & intelligere, & ad compositi transmutationem mutari: aliquam ei passionem communiter acceptam conuenire necesse est, passionem autem propriè non nisi per accidens animæ attribui, certum est.

ART. II. Vtrum passio magis sit in parte animæ appetitiua, quàm in apprehensiua.

Conclusio. Cum homo magis per uim appetitiuã, quàm per apprehensiuam ad res ipsas trahatur: passiones quoque magis in appetitiua, quàm in apprehensiua reperiri, necesse est.

ART. III. Vtrum passio sit magis in appetitu sensitiuo, quàm intellectiuo, qui dicitur uoluntas.

Conclusio. Cum nulla in appetitu intellectiuo requiratur transmutatio corporalis: ratio passionis in appetitu sensitiuo, quàm intellectiuo, magis propriè inuenitur.

QVAESTIO XXIII.

De differentia passionum ab inuicem, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum passiones, quæ sunt in concupiscibili, sint diuersæ ab his, quæ sunt in irascibili.

Conclusio. Bonum in quantum est delectabile, monet concupiscibilem: sed si bonum habeat quandam difficultatem ad adipiscendum, ex hoc ipso habet aliquid repugnans concupiscibili: & ideo necessarium fuit esse aliam potentiam, quæ in id tenderet: & ratio est eadem de malis: & hæc potentia est irascibilis. unde ex consequenti passiones concupiscibilis & irascibilis specie differunt.

ART. II. Vtrum contrarietas passionum irascibilis sit secundum contrarietatem boni & mali.

Conclusio. In passionibus cõcupiscibilis reperitur contrarietas ꝟm contrarietatem boni & mali, nõ quidẽ ꝟm accessum & recessum ab eodẽ termino, sed ut in bonum tendens, & à malo recedẽs: in passionibus autem irascibilis reperitur contrarietas secundum obiecta, & ꝟm accessum & recessum ab eodẽ termino.

ART. III. Vtrum sit aliqua passio animæ non habẽs contrarium.

Conclusio. Sola ira inter omnes animæ passiones est, cui nulla est alia passio contraria, neq; secundũ cõtrarietatem obiectorum, neque secundum accessum & recessum ab eodem termino.

ART. IIII. Vtrum sint aliquæ passiones differẽtes specie in eadem potentia, & non contrariæ adinuicem.

Cõclusio. Sũt aliquæ ĩ parte animæ appetitiua passiones differentes specie non tamẽ contrarię, ut amor & gaudium.

QVASTIO XXIIII.

De bono & malo in animi passionibus, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum bonum & malum morale possint in passionibus animæ inueniri.

Cōclusio. Passiones animæ prout subiacent imperio rationis & uoluntatis, bonæ uel malæ moraliter dici possunt. non autem, ut motus quidam sunt irrationalis appetitus.

ART. II. Vtrum omnis passio animæ, sit mala moraliter.

Conclusio. Non omnes animæ passiones malæ moraliter dicendæ sunt, sed quæ contra & præter rationis iudicium sunt.

AR.T.III. Vtrum passio addat uel diminuat ad bonitatem uel malitiam actus.

Cōclusio. Diminuunt & addunt passiones animæ actui humano bonitatem uel malitiam, prout subdūtur imperio rationis, & uoluntatis.

ART. IIII. Vtrum aliqua passio sit bona uel mala ex sua specie.

Conclusio. Bonum & malum morale non pertinēt ad speciem actus & passionis secundum suam naturam, sed secundum quod ad genus moris pertinent: prout scilicet participant aliquid de uoluntario & iudicio rationis.

QVAESTIO XXV,

De ordine passionum adinuicem, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum passiones irascibilis sint priores passionibus concupiscibilis, uel conuerso.

Con-

Concluſio. Paſsiones concupiſcibilis ſic præcedunt eas quæ ſunt iraſcibilis, ꝙ ab illis originem habent, & ad illas terminantur.

ART. II. Vtrum amor ſit prima paſsionum concupiſcibilis.

Concluſio. Cùm amoris obiectum ſit bonum; primam quoque paſsionum concupiſcibilis neceſſe eſt ipſum amorem eſſe.

ART. III. Vtrum ſpes ſit prima inter paſsiones iraſcibilis.

Concluſio. Spes, cùm inter omnes iraſcibilis paſsiones magis & prius bonum reſpiciat, prior quoque omnibus neceſſariò eſt.

ART. IIII. Vtrum iſtæ ſint quatuor principales paſsiones, gaudium, triſtitia, ſpes, & timor.

Concluſio. Gaudiũ, triſtitia, ſpes, & timor, quatuor ſunt principales animæ paſsiones, quamuis non ſecũdum eandem rationem: omnes autem aliæ paſsiones, quæ ſunt de bono uel de malo præſenti uel futuro, ad has completiuè reducuntur.

QVAESTIO XXVI.

De paſsionibus animæ in ſpeciali, & primò de amore, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum amor ſit in concupiſcibili.

Concluſio. Amor ſenſitiuus eſt in appetitu ſenſitiuo, ſicut amor intellectiuus in appetitu intellectiuo.

ART. VII. Vtrum Amor ſit paſsio.

Concluſio. Amor, ſecundùm quod eſt in concupiſcibili, cum ſit quædam appetitus ab appetibili immutatio, paſsio propriè eſt communiter autem ut eſt in uoluntate.

ART. III. Vtrum amor ſit idem quod dilectio.

Conclusio. Tametsi amor & dilectio, ut in parte ap petitus intellectiuæ sunt, idem significent: differunt tamen in hoc, quòd dilectio addit ad amorem, electionem præcedentem.

ARTIC. IIII. Vtrum amor conuenienter diuidatur in amorem amicitiæ, & amorem concupiscentiæ.

Conclusio. Diuersus est amor concupiscentiæ ab amore amicitiæ, quòd amore concupiscentiæ quis in bonum magis quod alicui uult, fertur, quàm in illum cui uult: sed amore amicitiæ magis in illum, cui bonum uolumus, inclinamur.

QVAESTIO XXVII.

De causa amoris, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum bonum sit sola causa amoris.

Conclusio. Cùm cuiusque bonum sit id, quod sibi connaturale & proportionatum est; amoris causam necesse est ipsum bonum esse.

ART. II. Vtrum cognitio sit causa amoris.

Conclusio. Bonum cùm non, nisi apprehensum, sit obiectum & causa appetitiui motus: necesse est, apprehensionem & cognitionem causam amoris in uno quoque esse.

ART. III. Vtrum similitudo sit causa amoris.

Conclusio. Similitudo propriè omnis amoris causa est.

ART. IIII. Vtrum aliqua alia passionum animæ sit causa amoris.

Conclusio. Nulla animæ passio est uniuersaliter amoris causa; aliquam tamen passionem contingit alicui amoris causam esse.

QVAESTIO XXVIII.

De effectibus amoris, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum unio sit effectus amoris.

Conclusio. Amor effectiuè causat unitatẽ, qua amatum præsentialiter adest amanti: formaliter aũt unitatem amantis & amati facit secundum effectum.

ARTIC. II. Vtrum mutua inhæsio sit effectus amoris.

Conclusio. Amor inhæsionis mutuæ (scilicet, ut amans sit in amato, & econuerso) effectiua causa est, non uno, sed pluribus ac uarijs modis.

ART. III. Vtrum ecstasis sit effectus amoris.

Cõclusio. Amor in ui apprehensiua ecstasim parit dispositiuè, afficiendo uidelicet amantem ad cogitandum de re amata: in ui autem appetitiua directè & simpliciter amor amicitiæ facit ecstasim, sed nõ amor concupiscentiæ, nisi secundũm quid.

ART. IIII. Vtrum zelus sit effectus amoris.

Conclusio. Cùm amor sit quidam motus amantis in amantum; necessariò in quocunque amante zelũ parit, diuersis tamen rationibus in concupiscentiæ, & amicitiæ amore hoc fit.

ART. V. Vtrum amor sit passio læsiua amantis.

Cõclusio. Amor boni cõueniẽtis est perfectiuus & melioratiuus amãtis: amor aũt boni, quod nõ est conueniẽs amanti, est læsiuus & deterioratiuus amantis. Vnde maximè homo perficitur & melioratur per amorẽ Dei; læditur aũt & deterioratur per amorẽ peccati. quantũ uerò ad id quod est materiale in passione amoris, quod est immutatio aliqua corporalis, accidit ꝙ amor sit læsiuus propter excessum immutationis.

AR. VI. Vtrum amor sit causa omnium, quæ amans agit.

Conclusio. Quodlibet agens, ex amore agit quodcunque agit, cùm ex intẽtione finis, & boni operetur.

QVAESTIO XXIX.

De odio, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum causa & obiectum odij sit malum.

Conclusio. Sicut bonum obiectum est amoris, ita malum est obiectum odij.

ART. II. Vtrum odium causetur ex amore.

Conclusio. Odium omne ex amore causari necessarium est.

ART. III. Vtrum odium sit fortius, quàm amor.

Conclusio. Odium cùm sit effectus amoris, ipso amor fortior & potentior est simpliciter.

AR. IIII. Vtrum aliquis possit habere odio seipsum.

Conclusio. Cũ omnia in proprium bonum per amorem inclinentur & tendant; impossibile est, aliquẽ seipsum simpliciter odisse.

ART. V. Vtrum aliquis possit odio habere ueritatem.

Conclusio. Non potest ueritas in uniuersali à quoquam odiri, sed in particulari potest.

ART. VI. Vtrum aliquid possit haberi odio in uniuersali.

Conclusio. Odium etiam sensitiuæ partis potest respicere aliquid in uniuersali: quia ex natura communi aliquid aduersatur animali, & nõ solum ex eo quod est particularis, sicut lupus oui: unde quis odit lupum generaliter, sed ita semper causatur ex aliquo particulari, quia ex aliquo actu lędentis: actus autem particularium sunt.

QVAESTIO XXX,

De concupiſcentia,in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrũ concupiſcentia ſit tantũ in appetitu ſenſitiuo.

Concluſio.Concupiſcentia,cum ſit rei delectabilis appetitus in ui concupiſcibili ſenſitiui appetitus propriè eſt.

ART. II. Vtrum concupiſcentia ſit paſsio ſpecialis.

Concluſio.Concupiſcentia eſt paſsio ſenſitiui appe titus,ab amore,& delectatione ſecũdũ ſpeciẽ diuerſa.

A R.I I I. Vtrum ſint aliquæ concupiſcen tiæ natura les,& aliquæ non naturales.

Concluſio.Ex concupiſcentijs aliæ ſunt naturales, hominibus & brutis communes, quibus ſecundùm ſenſus apprehẽſionem,bonum conueniens naturæ inſequuntur:aliæ ſupra naturam,ſiue non naturales,qui bus monemur ad ea bona,quæ in ratione,uel ſupra rationem ſunt.

AR. IIII. Vtrum concupiſcentia ſit infinita.

Cõcluſio. Concupiſcentia ſenſibilis infinita ſecundùm ſucceſsionem in potentia eſſe poteſt, non actu: concupiſcentia autem non naturalis,& quæ apprehẽſionem rationis ſequitur, infinita omnino eſt,quia ratio poteſt in infinitum procedere.

QVAESTIO. XXXI.

De delectatione ſecundum ſe,in octo articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum delectatio ſit paſsio.

Conclusio. Cum delectatio sit motus in appetitu animali, consequens apprehensionem sensus; delectatio est passio animæ.

ART. II. Vtrum delectatio sit in tempore.

Conclusio. Delectatio per se non est in tempore, sed per accidēs. Est enim motus actus perfecti, id est, existentis in actu: & huiusmodi motus non est successiuus, nec per se in tempore.

ART. III. Vtrum delectatio differat à gaudio.

Conclusio. Non idem sunt delectatio quæ etiam brutis attribuitur, & gaudium quod consequitur delectationem, quæ fit secundum rationem.

ARTIC. IIII. Vtrum delectatio sit in appetitu intellectiuo.

Conclusio. Cum delectatio sequatur apprehensionem rationis, non solum in appetitu sensitiuo, sed in intellectiuo necesse est esse.

ART. V. Vtrum delectationes corporales & sensibiles sint maiores delectationibus spiritualibus & intelligibilibus.

Conclusio. Delectationes intelligibiles & spirituales maioris sunt delectationis, quàm sensibiles & corporales, quæ tamen quò ad nos sunt magis uehementes.

ARTIC. VI. Vtrum delectationes tactus sint maiores delectationibus, quæ sunt secundùm alios sensus.

Conclusio. Delectationes tactus maioris sunt delectationis, quàm delectationes cæterorum sensuum, maioris utilitatis gratia.

ART. VII. Vtrum aliqua delectatio sit non naturalis.

Conclusio. Delectationū aliæ naturales, aliæ non naturales sunt, sicut ex ægritudine, sicut fabricantibus dulcia uidentur amara, & econuerso: siue propter ma-

lam complexionem, uel etiam ex parte animæ, ficut propter consuetudinem,

ART. VIII. Vtrum delectatio possit esse delectationi contraria.

Cõclusio. Cùm aliquæ delectationes se impediant: necesse est quoque, aliquas quibusdam contrariari.

QVAESTIO XXXII.

De causa delectationis, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum operatio sit causa propria delectationis.

Cõclusio. Cùm omnis delectatio in quadam cognitione & proprij boni consequutione perficiatur: in operatione consistere necesse est ipsam delectationem.

ART. II. Vtrum motus sit causa delectationis.

Conclusio. Motus est causa delectationis, quo ad omnia quæ in ipsa delectatione reperiuntur.

ARTIC. III. Vtrum spes & memoria sint causæ delectationis.

Cõclusio. Spes & memoria causæ sunt delectatiõis.

AR. IIII. Vtrum tristitia sit causa delectationis.

Cõclusio. Tristitia secundùm quod est in actu, causa delectationis esse potest, inquãtum memoriam rei dilectæ parit: tristitia autem in memoria existens, causa fit dilectationis ex subsequenti mali euasione.

ART. V. Vtrum actiones aliorum sint nobis causa delectationis.

Conclusio. Aliorum operationes modis uarijs possunt nobis delectationis causa esse.

ART. VI. Vtrum benefacere alteri sit causa delectationis.

Con-

Concluſio. Alteri benefacere cauſa eſt delectationis ex comparatione effectus, finis, & multiplicis benefaciendi principij.

ART. VII. Vtrum ſimilitudo ſit cauſa delectationis.

Cōcluſio. Similitudo, quæ amoris eſt cauſa, delectationis quoque cauſa eſt.

AR. III. Vtrum admiratio ſit cauſa delectationis.

Concluſio. Admiratio, ut ſibi adiungitur ſpes conſequendi cognitionem eius, quod quis ſcire deſiderat maxima eſt delectationis cauſa:

QVAESTIO XXXII.

De effectibus delectationis, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum delectationis ſit dilatare,

Concluſio. Delectatio dilatationis eſt cauſa ſecundùm quandam translationem ex corporibus acceptam. nam animus hominis dicitur per delectationem magnificari ſeu dilatari.

ART. II. Vtrum delectatio cauſet ſui ſitim, uel deſiderium.

Concluſio. Delectatio ſecundùm quod eſt in actu, non niſi per accidens ſitim, & deſiderium cauſat: ut uerò in memoria eſt, ſitim & ſui deſideriū cauſat ꝑ ſe.

ART. III. Vtrum delectatio impediat uſum rationis.

Concluſio. Delectationes conſequentes actus rationis, non impediunt, ſed magis adiuuāt rationem: at corporales delectationes uarijs modis uſum rationis quàm maximè impediunt.

ART. IIII. Vtrum delectatio perficiat operationem.

Con-

Conclusio. Delectatio operationem perficit cùm per modum cuiusdam finis, cùm per modum agentis causæ; indirectè tamen, inquantum scilicet agens.

QVAESTIO XXIIII.

De bonitate & malitia delectationum, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum omnis delectatio sit mala.

Cõclusio. Non omnes delectationes malæ sunt, sed quædam malæ, quæ scilicet sunt præter rationem rectam: & quædam bonæ, uidelicet quæ sunt secundùm rationem.

ART. II. Vtrum omnis delectatio sit bona.

Conclusio. Non omnes delectationes bonæ sunt, sed quædam sunt simpliciter bonæ, quædam uerò bonæ secundùm quid; & his oppositæ sunt delectatio simpliciter mala, &, secundùm quid mala.

ART. III. Vtrum aliqua delectatio sit optimum.

Conclusio. Posibile est inter humana bona aliquã delectationem optimum esse: ut uel ipse Deus, qui est summum bonum simpliciter, uel fruitio ipsius, quæ importat delectationem quandam in ultimo fine.

ART. IIII. Vtrum delectatio sit mensura uel regula, secundùm quam iudicetur bonum uel malum, in moralibus.

Conclusio. Cùm delectatio sit quies uoluntatis & cuiuslibet appetitus in bono: necessarium est, secundùm delectationem uoluntatis humanæ hominem iudicari bonum uel malum moraliter.

QVAESTIO XXV.

De dolore seu tristitia secundùm se, in octo articulos diuisa.

Art

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum dolor ſit paſsio animæ.

Concluſio. Dolor, cum ſit appetitus ſenſitiui motus conſequens apprehenſionem mali, propriiſsimè paſsio animæ eſt.

ART.II.Vtrum triſtitia ſit idem quod dolor.

Cõcluſio. Sicut illa delectatio,quæ ex exteriori apprehenſione cauſatur,delectatio quidem nominatur, non autem gaudium : ita ille dolor, qui ex exteriori apprehenſione cauſatur, nominatur quidem dolor, non autem triſtitia. Sic igitur triſtitia eſt quædam ſpecies doloris, ſicut gaudium delectationis.

ART.III. Vtrum triſtitia ſeu dolor ſit contraria delectationi.

Concluſio.Delectatio,& triſtitia,ſeu dolor ex ſuis obiectis contrariantur inuicem.

ART.IIII.Vtrum omnis triſtitia omni dolori contrarietur.

Concluſio. Triſtitia & delectatio ſecundùm ſuum genus uniuerſaliter contrariantur,triſtitia quoque & delectatio de eodem ſecundùm ſpeciem ſimiliter contrariæ ſunt:nonnunquam uerò non contrariæ ſecundùm ſpeciem,ſed magis diuerſæ,uel diſparatæ dicuntur,ſi de diuerſis & diſparatis ſint:quando uerò illa diuerſa ſunt contraria, tunc non modò non contrariæ ſunt ſecundùm ſpeciem,ſed affines.

ART.V.Vtrum delectationi contemplationis ſit aliqua triſtitia contraria.

Concluſio. Delectationi, quæ de ipſa contemplatione eſt, nulla triſtitia contraria eſt, nec ei admiſcetur,niſi per accidens.

ART.VI.Vtrum magis ſit fugienda triſtitia,quàm delectatio appetenda.

Concluſio.Maior & fortior per ſe eſt delectationis

appeti-

appetitus,quam tristitiæ fuga: & si per accidens con tingat aliquem magis tristitiam fugere, quam delectationem appetere.

AR. VII. Vtrum dolor exterior sit maior quàm interior.

Conclusio. Maior est & intensior dolor interior, quàm exterior.

AR. VIII. Vtrũ sint tantum quatuor species tristitiæ.

Conclusio. Quatuor sunt tristitiæ species: 1. Accidia, 2. Anxietas, 3. Misericordia, atque 4. Inuidia.

QVAESTIO XXXVI.

De causis tristitiæ & doloris, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum causa doloris sit bonum amissum, an malum coniunctum.

Conclusio. Sicut delectatio prius respicit bonum adeptum ut proprium obiectum, ita magis tristitiæ causa est malum coniunctum, quàm bonũ amissum.

AR. II. Vtrum concupiscentia sit causa doloris.

Conclusio. Cõcupiscentia uniuersaliter sumpta, doloris causa non est, sed secundum propriam rationẽ considerata est interdum causa doloris, inquantum tristamur de retardatione boni cõcupiti, uel de eius totali ablatione. Doloris autem causa, ut finis, est ipsum malum coniunctum per se primo, & bonum amissum per se secundo.

AR. III. Vtrum appetitus unitatis sit causa doloris.

Conclusio. Naturaliter unũquodque appetit unitatem, sicut & bonitatem. & propter hoc sicut amor uel appetitus boni est causa doloris, ita etiam amor, uel appetitus unitatis.

ART. IIII. Vtrum potestas, cui non potest resisti, sit causa doloris.

Cõclusio. Voluntas resistens potestati fortiori causat dolorem, si autem non resisteret, sed cederet consetiendo, non sequererur dolor, sed delectatio.

QVAESTIO XXXVII,

De effectibus doloris uel tristitiæ, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum dolor auferat facultatem addiscendi.

Conclusio. Dolor intẽsus omnem sæpenumero nõ solùm addiscendi uoluntatem & facultatẽ diminuit sed aufert, cum animi intensionem ad se trahat.

ART. II. Vtrum aggrauatio animi sit effectus tristitiæ uel doloris.

Conclusio. Tristitia cùm ex malo præsenti contingat, necessarium est quàm maximè animum aggrauare, & quam doque animi motũ & corporis impedire.

AR. III. Vtrum tristitia uel dolor debilitet omnem operationem.

Conclusio. Quando operatio est de qua aliquis cõtristatur, necesse est, quod actio debilitetur, ut autem comparatur operatio ad tristitiam sicut ad principiũ & ad causam, necesse est, quod operatio talis ex tristitia augeatur, sicut quanto aliquis magis tristatur de re aliqua, tanto magis conatur ad expellendam tristitiam, dummodo remaneat spes expellendi: alioquin nullus motus uel operatio ex tristitia causaretur.

AR. IIII. Vtrum tristitia magis noceat corpori, quàm aliæ animæ passiones.

Cõclusio. Tristitia magis corpori nocet quam alię animi passiones, cum uitalem cordis motũ impediat.

QVAE-

QVAESTIO XXXVIII,

De remedij tristitiæ, seu doloris, in quinque articulos diuisa.

ARTtCVLVS I.

Vtrum dolor uel tristitia mitigetur per quamlibet deteſtationem.

Conclusio. Licet non omnis delectatio contrarietur omni tristitiæ secundum speciem: contrariatur tamen secundum genus, & ideo ex parte dispositionis subiecti quælibet tristitia per quamlibet deteſtationem mitigari potest.

AR. II. Vtrum dolor uel tristitia mitigetur per fletũ.

Conclusio. Omne nociuũ interius clausum magis affligit, quia magis multiplicatur intentio animæ circa ipsum, sed quando ad exteriora diffunditur, tunc animæ intentio ad exteriora quodammodo disgregatur, & sic interior dolor minuitur. Fletus item & gemitus sunt quædam operationes conuenientes tristato uel dolenti, & ideo efficiuntur eius delectabiles. Omnis autẽ delectatio aliqualiter mitigat tristitiam.

RT. III. Vtrùm dolor & tristitia mitigentur per compassionem amicorum.

Cõclusio. Quam maximè ex amicis condolentibus mitigatur tristitia & dolor interior, cum se sic ab illis amari conspiciant.

AR. IIII. Vtrum per contemplationem ueritatis dolor & tristitia mitigentur.

Conclusio. Cùm in ueritatis contemplatione maxima consistat delectatio necesse est, per ueritatis contemplationem tristitiam & dolorem mitigari: & tãto magis, quanto perfectius aliquis est amator sapientiæ.

ART. V. Vtrum dolor & tristitia mitigẽtur per somnum & balnea.

Con-

Conclusio. Cùm somnus & balnea restaurēt, & reforment corporalem naturam in debitum statum uitalis motionis, necessarium est, ea quoque tristitia mitigare & minuere.

QVAESTIO XXXIX.

De bonitate & malitia tristitiæ uel doloris, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnis tristitia sit mala.

Conclusio. Quamuis tristitia omnis secundum se mala sit: non omnis tamen mala est ex suppositione accepta, sed bona, ut si quis de malo cōtristetur opere

ART. II. Vtrum tristitia posit esse bonum honestū.

Conclusio Tristitia cùm quandoque bona sit, honestatem etiam habere potest.

ART. III. Vtrum tristitia posit esse bonum utile.

Conclusio. tristitia, quæ hominem ad malum fugiendum uel uitandum impellit, maximam illi præstat utilitatem.

ART. IIII. Vtrum tristitia sit summum malum.

Conclusio. Impossibile est aliquam tristitiam esse summum hominis malum. est enim aliquid eo peius, scilicet uel non iudicare esse malum illud, quod uerè est malum, uel etiam non refutare illud, & omnino alienari à uero bono.

QVAESTIO XL.

De passionibus irascibilis, & primò de spe & desperatione, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum spes sit idem quod desiderium uel cupiditas.

Cōclusio. Cum spei, quæ ad uim irascibilē attinet, obiectum sit bonum futurum, arduum, possibile adipisci:

pici: necessariò differt à desiderio & cupiditate, quæ ad uim concupiscibilem pertinent.

ART. II. Vtrum spes sit in ui apprehensiua, an in ui appetitiua.

Conclusio. Spes, cùm extensionem quandam appetitus in bonum importet: necessariò pertinet ad partem animæ appetitiuam, non autem apprehensiuam,

ART. III. Vtrum spes sit in brutis animalibus.

Conclusio. In brutis animalibus ex instinctu naturæ est spes aliqua futuri boni commodi.

AR. IIII. Vtrum spei contrarietur desperatio.

Conclusio. Spes, cùm quendam accessum in bonũ, desperatio uerò recessum ab eodem designet: contrariari inuicem necesse est.

ART. V. Vtrum causa spei sit experientia.

Conclusio, Cùm spei obiectũ sit bonum possibile adipisci: necesse quoque est experientiam, qua homini potestas, & existimatio fit facilè consequendi bonum aliquod, causam spei esse, etsi nonnunquam ex experientia diminuatur spes.

AR. VI. Vtrum in iuuenibus & in ebriosis abundet spes.

Conclusio. Cùm spei obiectum sit futurum bonũ, arduum, possibile adipisci, iuuenes minoris memorię existentes, multum habentes de futuro, & cordis calore intenso in eis, & inexpertes, maioris sunt spei quàm cæteri, similiter stulti, & rationis iudicio non utentes, & ebriosi.

AR. VII. Vtrum spes sit causa amoris.

Conclusio. Inquantum spes respicit bonum speratum, spes ex amore causatur. non enim est spes nisi de bono desiderato & amato. inquantum uerò spes respicit illum, per quẽ fit aliquid nobis possibile, sic amor causatur ex spe, & non econuerso.

ART. VIII. Vtrum ſpes conferat ad operationem, uel magis impediat.

Concluſio. Spes, cum arduum & bonum poſsibile reſpiciat, ex ipſa delectatione, quam in unoquoque gignit, quàm maximè iuuat ad operationem.

QVAESTIO XLI.

De timore ſecundùm ſe, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum timor ſit paſsio animæ.

Cõcluſio. Timor cum malum per ſe reſpiciat cum aliqua tranſmutatione corporali, ſcilicet contractione: neceſſe eſt paſsionem animæ eſſe.

ART. II. Vtrum timor ſit ſpecialis paſsio.

Concluſio. Cùm timoris obiectum ſit malum futurum difficilè, cui reſiſti non poteſt; oportet ipſum eſſe animi paſsionem à cæteris diſtinctam & ſeparatam.

ART. III. Vtrum ſit aliquis timor naturalis.

Cõcluſio. Timor quidam naturalis eſt, qui reſpicit malum quoquo modo lædens, & corrumpens naturæ bonum: & quidam non naturalis, ſecundùm quem malum timemus, non naturæ oppoſitum, ſed bono amato, uel deſiderato.

ART. IIII. Vtrum conuenienter aſsignentur ſpecies timoris.

Concluſio. Sex ſunt timoris ſpecies à ſacris Doctoribus expoſitæ: 1. ſegnities, 2. erubeſcentia, 3. uerecundia, 4. admiratio, 5. ſtupor, & 6. Agonia.

QVAESTIO XLII.

De obiecto timoris, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum obiectum timoris ſit bonum uel malum.

Concluſio. Cum timor fugam quandam importet: neceſſa-

neceſſarium eſt, ut propriè & per ſe malum reſpiciat ut obiectum, bonum uerò non niſi per accidens.

ART. II. Vtrum malum naturę ſit obiectum timoris.

Concluſio. Malum naturæ non eſt timoris obiectũ, niſi cum aliqua euaſionis ſpe apprehendatur propinquum.

ART. III. Vtrum timor ſit de malo culpæ.

Cóclusio. Cùm culpæ malum humanæ ſubiaceat poteſtati & uoluntati, de eo per ſe non poteſt timor eſſe.

ART. IIII. Vtrum timor ipſe timeri posſit.

Concluſio. Poteſt timor timeri, prout ex aliqua extrinſeca cauſa prouenit: non autem ut ſubiacet humanæ uoluntati.

ART. V. Vtrum repentina magis timeantur.

Concluſio. Inſolita & repentina mala, cũ maiora, & magis irreparabilia appareant, magis etiã timentur.

ART. V. Vtrum ea, contra quæ non eſt remedium, magis timeantur.

Concluſio. Mala quæ non uitari, uel non ita facilè poſſunt, magis timenda etiam ſunt.

QVAESTIO XLIII.

De cauſa timoris, in duos articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum cauſa timoris ſit amor.

Concluſio. Ex hoc quòd aliquis amat aliquod bonum, ſequitur ꝙ priuatiuum talis boni ſit ei malũ: & per conſequens, quòd timeat ipſum tanquam malũ.

ART. II. Vtrum defectus ſit cauſa timoris.

Concluſio. Defectus per modum materialis diſpoſitionis cauſat timorem in eo qui timet: non autem effectiuè, niſi per accidens in eo qui timetur, cauſare timorem poteſt.

QVAESTIO XLIIII.

De effectibus timoris, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum timor faciat contractionem.

Conclusio. Timor contractionem quandam efficit & importat, consequentem scilicet animalem motum appetitus.

ART. II. Vtrum timor faciat consiliatiuos.

Cõclusio. Quamuis timor, sicut & nulla passio animæ facultatem consiliandi præbeat, sed magis impediat: consiliatiuos tamen facere dicitur, prout sollicitos reddit homines, ut pro magnis periculis consilientur.

AR. III. Vtrum timor faciat tremorem.

Cõclusio. In timore fit quædam contractio ab exterioribus ad interiora. & ideo exteriora frigida remanent: & propter hoc in eis accidit tremor, qui causatur ex debilitate uirtutis continentis membra.

AR. IIII. Vtrum timor impediat operationem.

Conclusio. Timor magis impedit operationem ex parte instrumentorum, per quæ operatio exercetur: sed ex parte animæ, si sit timor moderatus, iuuat, & hominem attentius consiliari, & operari facit: secus autem si sit immoderatus.

QVAESTIO XLV.

De audacia, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum audacia sit contraria timori.

Cõclusio. Cum timor malum futurum fugiat, audacia verò aggrediatur periculum: manifestè inuicem contrariæ sunt.

ART. II. Vtrum audacia consequatur spem.

Con-

Conclusio. Audatia quæ prosequutionem mali terribilis importat; consequitur spem in unoquoque.

ART. III. Vtrũ defectus aliquis sit causa audaciæ.

Conclusio. Cùm nullus defectus ualeat spem causare, & timorem per se propellere: non potest etiam in aliquo per se audaciã causare sed fortè p accidẽs.

ART. IIII. Vtrum audaces promptiores in principio quàm in fine in ipsis periculis.

Conclusio. Audaces promptiores sunt in periculis in principio, quàm in fine; fortes uerò cùm ex deliberationis iudicio pericula aggrediãt, econtra se habẽt.

QVAESTIO XLVI.

De ira secundùm se, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum ira sit specialis passio.

Conclusio. Ira non est passio generalis, quòd causa sit multarum passionum, sed condiuiditur alijs animæ passionibus: est autem generalis passio: prout ex concursu multarum passionum causatur.

ART. II. Vtrum obiectum iræ sit bonum uel malum.

Conclusio. Ira respicit únum obiectum secundùm rationem boni, scilicet uindictam, quàm appetit: & aliud secundùm rationem mali, scilicet hominem nociuum de quo uult uindicari: & ideo est passio quodammodo composita ex contrarijs passionibus.

ART. III. Vtrum ira sit in concupiscibili.

Cõclusio. Ira cùm respiciat uindictam, & eum, de quo uindicta quæritur, quæ ardua & difficilia sunt in irascibili est, nõ autem in concupiscibili, cuius passionis bonum uel malum respiciunt absolutè.

ART. IIII. Vtrum ira sit cum ratione.

Concluſio. Omnes cauſæ iræ ad paruipenſionem reducuntur, cuius ſpecies ſunt tres, 1. deſpectus, 2. impedimentum uoluntatis implendæ, & 3. contumeliatio.

ART. III. Vtrum excellentia iraſcentis ſit cauſa iræ.

Concluſio. Secundum habitudinem ad motiuum iræ, excellentia eſt cauſa, ut aliquis de facili iraſcatur eſt enim motiuum iræ iniuſta paruipenſio. Sin autem conſideretur cauſa iræ in eo qui iraſcitur, ex parte diſpoſitiōis, quæ in eo relinquitur ex tali motiuo, manifeſtum eſt, quod nihil mouet ad iram niſi nocumentum, quod contriſtat.

ART. IIII. Vtrum defectus alicuius ſit cauſa, ut contra eum facilius iraſcamur.

Concluſio. Defectus, & illius, contra quem iraſcimur, paruitas, quò magis deſpectionem auget, eò magis iræ prouocatiua eſt, & eandem diminuit, ſi deſpectionem imminuat per pœnitentiam & humiliationem.

QVAESTIO XLVIII.

De effectibus iræ, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ira cauſet delectationem.

Concluſio. Ira cum ſit appetitus uindictæ, maxime hominem delectatione afficere uidetur.

ART. II. Vtrum ira maximè cauſet feruorē in corde.

Concluſio. Cùm motus iræ ſit per modum inſecutionis, cui proportionatur calor: neceſſarium eſt per illum cauſari circa cor quendam ſanguinis feruorem ex ipſa fellis euaporatione factum.

ART. III. Vtrū ira maximè impediat rationis uſum.

Concluſio. Ira inter omnes paſſiones animæ maximè iudicium rationis impedit: eo quòd maximè facit perturbationem corporalem circa cor, ita ut etiam uſque ad exteriora membra deriuetur.

ART. IIII. Vtrum ira maximè cauſet taciturnitatem.

Concluſio. Ira & cum ratione eſt, & impedit rationē, & ex utraq; parte poteſt taciturnitatē cauſare. Ex parte quidē rationis, quando iudiciū rationis intātū uiget, ꝙ etſi non cohibeat affectū ab inordinato appetitu uindictæ, cohibet tamē linguā ab inordinata locutione. Ex parte uerò impedimēti rationis, ꝗ perturbatio iræ uſque ad exteriora mēbra perducitur, & maximè uſque ad illa mēbra, in quibus expreſſius relucet ueſtigium cordis, ſicut in oculis & in facie & in lingua unde poteſt eſſe tanta perturbatio iræ, quod omnino impediatur lingua ab uſu loquendi.

QVAESTIO XLIX,

De habitibus in generali quo ad eorum ſubſtantiam in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum habitus ſit qualitas.

Concluſio. Habitus, ſecūdum quem quippiam ad ſe uel in ordine ad alterum ſe habere dicitur, eſt quædam qualitatis ſpecies, de difficili mobilis.

ART. II. Vtrum habitus ſit determinata ſpecies qualitatis.

Concluſio. Habitus & diſpoſitio computantur prima ſpecies qualitatis ab aliis diſtincta, quibus homines in ordine ad naturam operantur.

ART. III. Vtrum habitus importet ordinē ad actum.

Concluſio. Habitus quilibet cum habitudinem ad naturam importet: neceſſe eſt ad actum & operationem ordinari, ut principium.

AR-

ART.IIII. Vtrum sit necessarium esse habitum.

Conclusio. Cùm multa reperiantur, quorum natu ræ, & operationes plura requirunt, quæ uarijs commensurari modis possunt: necessarium fuit ad hoc habitus esse, quibus talia commensurarentur.

QVAESTIO L.

De subiecto habituum, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum in corpore sit aliquis habitus.

Cõclusio. Habitus proportionãtur operationibus, & ideo dispositiones ad tales operationes principaliter sunt in anima, in corpore uerò possunt esse secundario, in quãtùm scilicet corpus disponitur & habilitatur ad promptè deseruiẽdum operationibus animę. Si uerò loquamur de dispositione subiecti ad formã, sic habitualis dispositio potest esse in corpore.

ART. II. Vtrum anima sit subiectũm habitus secũdũ suam essentiam, uel suam potentiam.

Conclusio. Si accipiatur habitus in ordine ad operationem, sic maximè habitus inueniuntur in anima, inquantum anima non determinatur ad unam operationem, sed se habet ad multas, quod requiritur ad habitum. Et quia anima est principium operationum per suas potentias, ideo secundum hoc, habitus sunt in anima secundum suas potentias.

ART. III. Vtrum in potentiis sensitiuæ partis possit esse aliquis habitus.

Conclusio in potentiis sensitiuis, prout ex instinctu naturæ operãtur, non sunt aliqui habitus, sed prout operantur ex rationis iudicio.

ART. IIII. Vtrũ in ipso intellectu sit aliquis habitus.

Con-

Concluſio. Sunt in intellectu aliqui habitus, ſcilicet ſcientia, ſapientia & intellectus: ſicut enim eius eſt potentia,cuius eſt operatio,ita etiam eius eſt habitus,cuius eſt operatio.

ART.V.Vtrum in uoluntate ſit aliquis habitus.

Concluſio. Voluntas cum ſit potentia rationalis, diuerſimode poteſt ad agendũ ordinari,& ideo oportet in uoluntate aliquem habitum ponere, quo bene diſponatur ad ſuum actum.

ART.VI.Vtrum in Angelis ſit aliquis habitus.

Concluſio. Non ſunt in Angelis habitus, qui ſunt diſpoſitiones ad eſſe naturale, ſed habitus in eorum uoluntate & intellectu ſunt,quibus bene diſponũtur ad attingendum ad ipſum Deum.

QVAESTIO XII.

De cauſa habituum quantum ad generationem ipſorum, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum aliquis habitus ſit à natura.

Concluſio. In apprehenſiuis potentiis poteſt eſſe habitus naturalis ſecundum inchoationem & ſecundum naturam ſpeciei, & ſecundum naturam indiuidui, ſicut intellectus principiorum dicitur eſſe habitus naturalis.In appetitiuis autem potentijs nõ eſt aliquis habitus naturalis ſecundum inchoationẽ ex parte ipſius animæ quantum ad ipſam ſubſtantiam habitus, ſed ſolum quãtum ad principia quædam ipſius ſicut principia iuris communis dicuntur eſſe ſeminalia uirtutum,ſed ex parte corporis ſecundum naturã indiuidui,ſunt aliqui habitus appetitiui ſecundum inchoationes naturales.

ART.II.Vtrum aliquis habitus cauſetur ex actibus.

Cõcluſio.Ex multiplicatis actib9 generaẽ quędã qualitas in potentia paſſiua & mota q̃ nominaẽ habitus.

AR-

ART. III. Vtrũ per unũ actũ poſsit generari habitus.

Concluſio. Habitus uirtutis neceſſe eſt ex pluribus actibus cauſari, apprehenſiuarum uerò potentiarum nõnunquam unico actu, ſicut & habitus corporales, ſi actiuum fuerit magnæ uirtutis.

ART. IIII. Vtrum aliqui habitus ſint hominibus infuſi à Deo.

Cõcluſio. Nõ omnes habitus à natura ſunt, ſed quidam infunduntur à Deo.

QVAESTIO LII.

De augmento habituum, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum habitus augeantur.

Concluſio. Habitus & diſpoſitiones, cùm dicantur ſecundum ordinem ad aliquid: & ſecundùm ſe, & ut participantur à ſuis ſubiectis, intenſionem & remiſsionem, ſeu augmentum ſuſcipere poſſunt.

AR. II. Vtrum habitus augeantur per additionem.

Cõcluſio. Sicut formæ & habitus ſecundùm ſe nõ augentur, ſed ex parte ſubiecti: ita nec additionem ſuſcipiunt ſecundùm ſe, ſed ſecundùm participationẽ ſubiecti, inquantũ ſcilicet ſubiectum ex intẽtione agẽtis magis uel minus participat eandem formam.

AR. III. Vtrum quilibet actus augeat habitum.

Cõcluſio. Actus quilibet, ſi intẽtioni habitus æquetur, & ei proportionetur, uel etiã ſuperexcedat, augere habitũ, & perfectionem reddere poteſt; ſecus uerò, ſi ab intentione habitus deficiat, & negligenter fiat.

QVAESTIO LIII.

De corruptione & diminutione habituum, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum habitus corrumpi poſsit.

Con

Conclusio. Corrumpi cōtingit per se uel per accidens quoscunque habitus, qui uel cōtrarium habēt, uel in subiectis sunt, qui corrumpi posśint.

ART. II. Vtrum habitus posśint diminui.

Conclusio. Sicut contingit habitus augeri; ita & diminui ex his causis posſunt, ex quibus corrumpūtur.

ART. III. Vtrum habitus corrumpatur uel diminuatur per solam cessationem ab opere.

Conclusio. Sicut ex actibus generatur & augetur habitus; ita cessare ab actu diminuit & tollit nonnūquam habitum.

QVAESTIO LIIII.

De distinctione habituum, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum multi habitus posśint esse in una potentia.

Conclusio. Sicut unius potentiæ plures actus esse posſunt; ita in una eademque potentia plures habitus esse ualent.

ART. II. Vtrum habitus distinguātur secundum obiecta.

Conclusio, Secūdum tria habitus specie distinguūtur, 1. secundùm principia actiua taliū dispositionū: 2. secundùm naturam, 3. secundù m obiecta specie differentia.

ART. III. Vtrum habitus distinguantur secundùm bonum & malum.

Conclusio. Distinguntur habitus per bonū & malum prout disponūt hominem in ordine ad naturā, uel ad actum conuenientem, uel dissonantem naturæ; seu etiam in ordine ad actum conuenientem naturæ superiori, uel naturæ inferiori.

AR-

ART. IIII. Vtrum unus habitus ex multis habitibus constituatur.

Conclusio. Habitus est una simplex qualitas non ex pluribus habitibus constituta: non enim unus habitus se extẽdit ad multa nisi in ordine ad unum, ex quo habet unitatem.

QVASTIO LV.

De uirtutibus, quantum ad earum essentias, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum uirtus humana sit habitus.

Conclusio. Cum uirtus sit perfectio potentiæ in ordine ad actum, necessario uirtus est habitus.

ART. II. Vtrũ uirtus humana sit habitus operatiuus.

Conclusio. Virtus humana, cum sit perfectio potẽtiæ in ordine ad opus; oportet ipsam esset habitum operationum.

ART. III. Vtrum uirtus humana sit habitus bonus.

Conclusio. Virtus humana, quæ est habitus operatiuus cum disponat hominem in ordine ad ultimum, in quod potest: necessario bonus est habitus, & boni operatiua. ultimum autem, in quod unaquæque potentia potest, oportet quod sit bonum, nam omne malum defectum quendam importet.

ART. IIII. Vtrum uirtus conuenienter diffiniatur.

DEFFINITIO.

Virtus est bona qualitas, seu habitus mentis, qua rectè uiuitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.

QVAESTIO LVI,

De subiecto uirtutis, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum uirtus sit in potentia animæ sicut in subiecto.

Con-

Conclusio. Virtus humana cùm sit perfectio potentiæ, & habitus operatiuus: est in potentia animæ tanquam in proprio subiecto.

AR. II. Vtrũ una uirtus possit esse ĩ pluribus potẽtijs.

Conclusio. Impossibile est unam uirtutem esse in duabus potentijs, nisi illæ ordinem adinuicẽ habeant in participatione illius uirtutis.

AR. III. Vtrũ intellectus possit esse subiectũ uirtutis.

Conclusio. Cùm uirtus sit quæ simpliciter & actu bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit; impossibile est intellectũ esse subiectum uirtutis simpliciter, nisi secundùm ordinem ad uoluntatem, quæ uirtutis simpliciter subiectum est.

ART. IIII. Vtrum irascibilis & concupiscibilis sint subiectum uirtutis.

Conclusio. In irascibili, & concupiscibili, ut sunt potestates appetitus sensitiui, nulla uirtus est: sed ut subordinantur rationi, necesse est in utràque aliquam uirtutem esse, quæ quædam est illarum ad rationem ipsam habitualis conformitas.

ART. V. Vtrum uires apprehensiuæ sensitiuæ sint subiectum uirtutis.

Cõclusio. Cùm uirtus sit habitus perfectus, quo nõ cõtingit nisi bonum operari in uiribus apprehensiuis nõ est uirtus, qua uerũ cognoscitur, sed huiusmodi uires sunt quasi ꝓparatoriæ ad cognitionẽ intellectiuã.

AR. VI. Vtrum uoluntas possit esse subiectũ uirtutis.

Conclusio. Sunt in uoluntate illæ uirtutes, quibus homo disponitur in ordine ad Deum uel proximum, ut charitas & iustitia, quibus attingitur obiectum excedẽs humanam rationem, uel quò ad totam speciẽ, uel conditionem indiuidui; non est autem in uoluntate aliqua uirtus respectu boni rationis, quod est proprium obiectum uoluntas proportionatum.

QVAESTIO LVII.

De diſtinctione uirtutum intellectualium, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrũ habitus intellectuales ſpeculatiui ſint uirtutes.

Cõcluſio. Cũ habitus intellectuales ſpeculatiui nõ perficiant partẽ appetitiuã, ſed ſolã intellectiuã, poſſunt quidẽ dici uirtutes inquantũ faciunt facultatem bonæ operationis, quæ eſt cõſideratio ueri, hoc enim eſt bonum opus intellectus: non tamen dicuntur uirtutes quaſi facientes bene uti potentia, ſeu habitu.

AR. II. Vtũ ſint tantùm tres habitus intellectuales ſpeculatiui: ſcilicet ſapientia, ſcientia, & intellectus.

Concluſio. Tres ſunt habitus intellectuales ſpeculatiui, 1. ſapiẽtia, quæ eſt de maximè cognoſcibilibus ſecundũ naturam, id eſt, de primis & altiſsimis cauſis: 2. ſcientia, quæ eſt de diuerſis cognoſcibilium generibus per ratiocinium quomodocunque acceptis: & 3. intellectus, qui eſt ſimplex & certiſsima primorum principiorum notitia.

AR. III. Vtrum habitus intellectualis, qui eſt ars, ſit uirtus.

Concluſio. Ars habet rationem uirtutis ſicut & habitus ſpeculatiui: inquantum ſcilicet nec ars nec habitus ſpeculatiuus faciunt bonum opus quantum ad uſum, quod eſt proprium uirtutis perficientis appetitum, ſed ſolum quantum ad facultatem bene agendi.

ART. IIII. Vtrũ prudẽtia ſit uirtus diſtincta ab arte.

Concluſio. Cũ prudentia, recta agibilium ab homine exiſtens ratio, rectum hominis appetitum exigat, ars uerò ſit ratio factibilium non præſupponens appetitum rectum; oportet ipſam ab arte diſtinctam uirtutem eſſe.

A R.V. Vtrũ prudentia sit uirtus necessaria homini.

Conclusio. Prudentia, cum sit uirtus dirigens hominem in finem, præstans illi debita & conuenientia media: quàm maximè necessaria est homini ad benè uiuendum.

ART. Vtrum eubulia, synesis, & gnome sint uirtutes adiunctæ prudentiæ.

Conclusio. Virtuti, quæ est bene præceptiua, scilicet prudentiæ, tanquam principaliori adiunguntur tanquam secundariæ, eubulia, quæ est bene consiliatiua, & synesis & gnome, quæ sunt partes iudicatiuę.

QVAESTIO LVIII.

De distinctione uirtutum moralium ab intellectualibus in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum omnis uirtus sit moralis.

Conclusio. Non omnes uirtutes morales sunt, sed illæ solæ quæ in parte animæ, appetitiua sunt, secundùm quàm inclinatur homo in bonum.

A R. II. Vtrum uirtus moralis distinguatur ab intellectuali.

Cõclusio. Vt intellectus diuersus est ab appetitu: ita morales uirtutes ab intellectualibus diuersas esse, necessarium est.

ART. III. Vtrum sufficienter uirtus diuidatur per moralem & intellectualem.

Conclusio. Cũ uirtus humana sit qua homo ad bene operandum perficitur, quæuis uirtus humana est uel intellectualis, quæ ad intellectum, uel moralis, quæ ad appetitum spectat.

AR. IIII. Vtrum moralis uirtus posit esse sine intellectuali.

Con-

Conclusio. Potest uirtus moralis sine quibusdã intellectualibus uirtutibus esse, s. sine sapientia, sciẽtia & arte: non autem sine prudentia & intellectu.

ART. V. Vtrum intellectualis uirtus possit esse sine morali.

Cõclusio. Virtus intellectualis, quæ prudentia est, non potest sine morali uirtute esse: sed aliæ uirtutes intellectuales possunt.

QVAESTIO LIX.

De distinctione uirtutum moralium, secundùm relationem ad passiones, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum uirtus moralis sit passio.

Conclusio. Cùm uirtus moralis non sit motus, sed magis principium appetitiui motus & habitus electiuus in bonũ dirigens, impossibile est, passionem esse.

AR. II. Vtrũ uirtus moralis possit esse cum passione.

Cóclusio. Non possunt inordinatæ passiones cum morali uirtute in uirtuoso esse: sed ut à ratione moderatæ, possunt cum morali uirtute esse.

AR. III. Vtrũ uirtus morali possit esse cum tristitia.

Conclusio. Cùm secundùm uirtutẽ homo rationi conformetur, tristitia de his quæ rationi repugnant, potest & debet cũ uirtute esse: sed tristari de his quæ uirtuti & rationi conueniunt, impossibile est cum uirtute esse.

ART. IIII. Vtrum omnis uirtus moralis sit circa passiones.

Conclusio. Virtutum moralium aliquæ circa operationes uoluntatis sunt, quę nõ est subiectum passionis nonnullæ sunt circa operationes appetitus sensitiui, circa passiones scilicet.

AR.V. Vtrum aliqua uirtus moralis posſit eſſe abſque paſsione.

Cóclufio. Omnes uirtutes morales circa paſsiones ſunt; nó ut paſsiones ſunt inordinatæ affectiones, ſed ut ſunt omnes motus appetitus ſenſitiui.

QVAESTIO LX,

De uirtutum moralium ab inuicem diſtinctione, in quinque articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ſit una tantùm uirtus moralis.

Concluſio. Virtutes morales, non una, ſed plures ſecundùm ſpeciem ſunt.

ART.II. Vtrum uirtutes morales quæ ſunt circa operatiões, diſtinguãtur ab his, quæ ſunt circa paſsiones.

Concluſio. Tametſi aliquæ ſint ex moralibus uirtutibus circa operationes & paſsiones, ut earum productiuæ; quæ tamen circa operationes ſunt, ab his diuerſificantur, quæ circa paſsiones uerſantur.

ART. III Vtrum circa operationes ſit tantùm una uirtus moralis.

Concluſio. Non una, ſed plures ſunt uirtutes quæ circa operationes ſunt, ſecundùm quod diuerſificantur operatiões, quæ uarijs iuſtitiæ operib⁹ regulãtur.

ART.IIII. Vtrum circa diuerſas paſsiones diuerſæ ſint uirtutes morales.

Concluſio. Impoſsibile eſt, unam & eandem uirtutem moralé eſſe circa omnes paſsiones: quamuis circa paſsiones cõtrarias eandé cõtingat uirtutem eſſe.

ART V. Vtrum uirtutes morales diſtinguantur ſecundùm diuerſa obiecta paſsionum.

Concluſio. Plures ſunt morales uirtutes, quæ circa paſsiones ſunt, diſtinctæ uel ſecundùm diuerſas materias, uel paſsiones; uel eorum obiecta diuerſa.

QVAE-

QVAESTIO LXI.

De uirtutibus cardinalibus, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum uirtutes morales debeant dici cardinales uel principales.

Cõclusio. Morales uirtutes, cùm appetitus rectitudinem sol~ contineant, solæ cardinales, seu principales dicuntur.

ART. II. Vtrum sint quatuor uirtutes cardinales.

Conclusio. Quatuor sunt uirtutes morales principales, seu cardinales, scilicet 1. prudentia, 2. iustitia, 3. tempetantia, & 4. fortitudo.

ART. III. Vtrum aliæ uirtutes magis debeant dici principales quàm istæ.

Conclusio. Solæ quatuor uirtutes morales, iustitia uidelicet, temperantia, prudentia, & fortitudo cardinales & principales omnium sunt.

ART. IIII. Vtrum quatuor uirtutes càrdinales differant abinuicem.

Cõclusio. Quatuor sunt uirtutes morales, distinctæ secundùm diuersam rationem obiectorum.

ART. V. Vtrum uirtutes cardinales conuenienter diuidantur in uirtutes politicas, purgatorias, purgati animi, & exemplares.

Conclusio. Moralium uirtutum aliquæ politicę, aliæ purgatoriæ, aliquæ purgati iam animi, & aliæ exemplares dicuntur.

QVAESTIO LXII.

De uirtutibus Theologicis, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum sint aliquæ uirtutes Theologicæ.

Conclusio. Præter morales uirtutes, quibus homo iuuari potest ad naturalem finem consequẽdum, sunt aliæ uirtutes homini necessariò infusæ, ad supernaturalem finem consequendum, quæ Theologicæ sunt appellatæ.

ART. II. Vtrum uirtutes Theologicæ distinguantur ab intellectualibus & moralibus.

Conclusio. Virtutes Theologicæ distinguãtur specie à uirtutibus moralibus & intellectualibus, quarum obiectum humanam non excedit rationem.

ART. III. Vtrum conuenienter fides, spes, & charitas ponantur tres uirtutes Theologicæ

Conclusio. Tres sunt Theologicæ uirtutes quibus homo, secundùm intellectum & uoluntatem suam supernaturalem beatitudinem consequi potest. 1.fides, 2.spes, & 3.charitas.

ART. IIII. Vtrum fides sit prior spe, & spes charitate.

Cõclusio. Tametsi ordine perfectionis charitas ipsa prior sit spe: & fide, ordine tamen generationis fides spem, spes charitatem præcedere dicitur.

QVAESTIO LXIII.

De causa uirtutum, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum uirtus insit nobis à natura.

Cõclusio. Virtutes non sunt homini naturales, nisi secundùm rationem speciei, scilicet secundùm quandam aptitudinem & inchoationem, & non secũdùm perfectionem: uirtutes autem Theologicæ sunt penitus ab extrinseca causa hominibus collatæ, ad eorum naturam iuuandum uidelicet.

AR. II. Vtrum aliqua uirtus causetur in nobis ex assuetudine operum.

Cõcluſio. Sunt in hominibus aliquæ uirtutes non niſi diuinitus infuſæ, & aliquæ ex conſimilibus uirtũ tum operibus acquiſitæ, quæ uidelicet hominem ordinant in bonum ratione humana regulatum.

ART. III. Vtrum aliquæ uirtutes morales ſint in nobis per infuſionem.

Concluſio. Non tantum Theologicæ uirtutes ſunt homini diuinitus infuſæ, ſed & alię morales virtutes, quibus in ultimum ſuum ſupernaturalem finem ſpeciali quadam ratione feratur.

AR. IIII. Vtrum uirtus, quam acquirimus ex operum aſſuetudine, ſit eiuſdem ſpeciei cum uirtute infuſa.

Concluſio. Eędem morales uirtutes, ſecundum ſpeciem diſtinctæ à ſeipſis ſunt, inquantum aut infuſæ, aut acquiſitæ ſunt.

QVAESTIO LXIIII.

De medio uirtutum, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum uirtutes morales ſint in medio.

Concluſio. Quæuis moralis uirtus conſiſterę in medio uel in mediocritate dicitur, nõ quidem inter duo uitia neceſſario, ſed effectiuè circa propriã materiam mediocritatem conſiſtens.

ART. II. Vtrum medium uirtutis moralis ſit mediũ rei, uel rationis.

Concluſio. Medium, in quo moralis uirtus conſiſtere dicitur, non eſt medium rationis, quaſi in actu rationis conſiſtens, ſed eſt in re ſecundum quandam conformitatem ad rationem rectam.

AR. III. Vtrum uirtutes intellectuales conſiſtant in medio.

Conclusio. Non solum morales uirtutes sed & intellectuales in medio consistere dicuntur: s̃m quod bonum uirtutis intellectualis se habet ad mensurã.

ART. IIII. Vtrum uirtutes Theologicæ consistant in medio.

Cõclusio. Non per se, sed quasi per accidẽs, ex parte nostra uidelicet, uirtutes Theologicæ in medietate quadam esse dicuntur, quia etsi nõ possumus ferri in Deum quantum debemus, debemus tamen ferri in ipsum credendo, sperando, & amando secũdũ mensuram nostræ conditionis.

QVAESTIO LXV,

De connexione uirtutum, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum uirtutes morales sint adinuicem connexæ.

Cõclusio. Virtutes morales perfectas necesse est adnuicẽ cõnexas esse ut altera sine altera esse nõ ualeat.

ART. II. Vtrum uirtutes morales posſint esse sine charitate.

Conclusio. Virtutes morales prout sunt operatiuæ boni in ordine ad finẽ, qui non excedit facultatem naturalem hominis, possunt per opera humana acquiri, & sic acquisitæ sine charitate esse possunt, sicut fuerũt ĩ multis gentilibus, s̃m autẽ ꝙ sunt operatiuæ boni in ordine ad ultimũ finẽ supernaturalẽ, sic perfectè & uerè habẽt rationẽ uirtutis, & nõ possunt humanis actibus acquiri, sed infundũtur à Deo & huiusmodi uirtutes morales sine charitate esse nõ posſũt.

ART. III. Vtrum charitas posſit esse sine uirtutibus moralibus.

Conclusio. Cùm charitas sit principium omnium bonorum operum quæ hominem in finem ultimum diri-

dirigunt:necessariò simul cum ipsa infunduntur omnes aliæ morales uirtutes.

AR.IIII.Vtrũ fides & spes possint esse sine charitate.

Cõclusio. Fides & spes possunt esse sine charitate: sed sine charitate propriè loquẽdo,uirtutes nõ sunt, nam ad rationem uirtutis pertinet ,ut non solum secũdùm ipsam aliquod bonũ operemur, sed etiã bene.

ART.V.Vtrum charitas possit esse sine fide & spe.

Conclusio. Imposibile est charitatem habenti fidem & spem non habere , cùm ipsa sit qua Deus, ut beatitudinis obiectum,diligitur, ad quod per ipsa ordinamur.

QVAESTIO LXVI.

De æqualitate uirtutum , in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum uirtus posit esse maior uel minor.

Conclusio. Tametsi uirtus secundùm se non sit se ipsa maior uel minor,respectu tamen subiecti maior uel minor dici contingit,uel secundùm uariationem temporis in eodem,uel secundùm inclinationem maiorem in diuersis , uel aliquo alio accidenti naturæ, uel gratiæ:dicitur tamen una secundùm speciem uirtus alia maior & excellentior.

ART.II.Vtrum omnes uirtutes simul in eodem existentes sint æquales.

Conclusio . Virtutes omues in uno eodemque homine æquales sunt, ut prudentia uel charitate regitur secundùm procesionis æqualitatem ; ut uerò respiciunt propriam materiam,& actus,inæquales esse contingit.

ART. III. Vtrum uirtutes morales præemineant intellectualibus.

Conclusio. Habitus morales, quamuis sint magis uirtutes habitibus intellectualibus: habitus tamen intellectuales nobiliores habitus simpliciter sunt, quàm uirtutes morales, quæ perficiunt appetitum in ordine ad obiectum inferius obiecto intellectus.

ART. IIII. Vtrum iustitia sit præcipua inter uirtutes morales.

Cóclusio. Iustitia cùm inter omnes uirtutes morales sit rationi propinquior, quia in uoluntate consistens dirigit hominem ad actum erga alios: est omnibus excellentior. Iustitiam autem in nobilitate sequitur fortitudo, fortitudinem temperantia.

ART. V. Vtrum sapientia sit maxima inter uirtutes intellectuales.

Conclusio. Sapientia omnibus habitibus intellectualibus excellentior & nobilior est.

AR. VI. Vtrum charitas sit maxima inter uirtutes Theologicas.

Cóclusio. inter omnes Theologicas uirtutes charitas, quæ propinquius Deum respicit quàm cæteræ, excellentissima est.

QVAESTIO LXVII.

De uirtutum duratione post hanc uitam, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum uirtutes morales maneant post hanc uitam.

Conclusio. Quamuis non remaneant morales uirtutes post hanc uitam, quò ad illarum materiam: manebunt tamen in beatis, quò ad rationis rectitudinem quæ in ipsis est.

AR. II. Vtrum uirtutes intellectuales maneant post hanc uitam.

Conclusio. Virtutes intellectuales post hanc uitã

in

93

in hominibus manent ſecundum id, quod eſt in ipſis formale, uidelicet intelligibiles ſpecies in intellectu ſeruatas, nõ manent autem quò ad materiale, ſcilicet ipſa phantaſmata.

ART. III. Vtrum fides maneat poſt hanc uitam.

Concluſio. Cùm fides ſit qua quis credit quod non uidet, beatus autem id uideat quo beatificatur: impoſſibile ſimpliciter eſt, illam ſimul cum beatitudine in eodem permanere ſubiecto.

ART. IIII. Vtrum ſpes maneat poſt mortem in ſtatu gloriæ.

Concluſio. Cùm ſpes ſit qua id ſperamus quod nõ habemus, in patria uerò omne quod ſperauimus, iam habeamus impoſſibile eſt, poſt hanc uitam ad ſtatũ gloriæ ſpem pertinere.

AR. V. Vtrũ aliquid fidei uel ſpei remaneat in gloria.

Cõcluſio. Nihil ſpei remanet in gloria. Fides tamẽ ſecundum genus remanere aliquid poteſt, cognitio uidelicet non autem aliquid ad numerum, uel ſpeciẽ eius attinens.

ART. VI. Vtrum remaneat charitas poſt hanc uitam in gloria.

Concluſio. Cùm charitas ſit uirtus perfecta, eam in gloria permanere haud dubium eſt.

QVAESTIO LXVIII.

De donis in octo articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum dona differant à uirtutibus.

Concluſio. Virtutes à donis ſic diſtingũtur, quòd uirtutibus homo diſponitur ad ea quę interius, uel exterius agit ſecundum quod à ratione mouetur, donis uerò ad eadem diſponitur, ut à Deo mouetur.

AR. II. Vtrũ dona ſint neceſſaria homini ad ſalutem.

Con-

Concluſio. Dona Spirituſſancti ſunt homini neceſſaria, ut iis à Deo ad finem ſupernaturalem conſequẽdum efficaciter moueatur.

AR. III. Vtrum dona Spirituſſancti ſint habitus.

Cõcluſio. Spiritus ſancti dona habitus quidã ſunt, quibus homo perficitur ad debitè obediendum Spiritui ſancto.

AR. IIII. Vtrum conuenienter ſeptem dona Spiritus ſancti enumerentur.

Concluſio. Septẽ ſunt Spirituſſancti dona, quibus homo perficitur ad uirtutum opera conſummanda tam in ratione, quàm in appetitu: dona ſcilicet, 1. intellectus, 2. ſapientiæ, 3. ſcientiæ, 4. conſilii, 5. fortitudinis, 6. pietatis, & 7. timoris.

AR. V. Vtrum dona Spirituſſancti ſint connexa.

Concluſio. Quemadmodum uirtutes morales omnes ſibinuicem in prudentia connexæ ſunt: ita omnia dona Spiritus ſancti in charitate connexa ſunt.

AR. VI. Vtrum dona Spiritus ſancti remaneant in patria.

Concluſio. Quantum ad eſſentiam donorum, perfectisſimè erunt in patria, quantum uerò ad materiã circa quam operantur in præſenti, non habebunt operationem in ſtatu gloriæ: & ſecundum hoc non manebunt in patria.

AR. VII. Vtrum dignitas donorum attendatur ſecundum enumerationem Iſaiæ 11.

Concluſio. Dona, quæ ad intellectum pertinent, præferuntur ſimpliciter donis, quæ ad appetitum attinent, materialiter tamen fortitudinis & conſilii donum ſcientiæ & pietatis donis præferendum eſt. In Iſaia uerò, numeratio ab excelſioribus cœpit, ſed Matth. 5. ab inferioribus.

AR-

ART.VIII.Vtrum uirtutes ſint præferendæ donis.

Concluſio. Dona præferuntur uirtutibus tã intellectualibus, quàm moralibus: ſunt tamen inferiora Theologicis uirtutibus.

QVAESTIO LXIX.

De beatitudinibus, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrũ beatitudines diſtinguãtur à uirtutib⁹ & donis.

Concluſio. Beatitudines à donis & uirtutibus diſtingũtur, nõ ſicut habitus, ſed ut actus ab habitibus.

ART.II.Vtrum præmia, quæ attribuuntur beatitudinibus ad hanc uitam pertineant.

Concluſio.Beatitudinis præmia quædã ad præſentẽ quædã ad futuram uitam ſpectare, certisſimũ eſt.

AR.III.Vtrũ cõuenienter enumerentẽ beatitudines.

Concluſio.Conuenienti quodam numero expreſſę fuerunt beatitudines, actibus uirtutum & donis correſpondentes, Matth.cap.5.

AR.IIII.Vtrum præmia beatitudinum conuenienter enumerentur.

Concluſio.Conueniẽtisſimè beatitudinũ præmia ab Euangeliſta Matthæo expreſſa ſunt.

QVAESTIO LXX.

De fructibus Spiritus ſancti, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum fructus Spirituſſancti (quos Apoſtolus nominat ad Galat.5.) ſint actus.

Cõcluſio: Humani actus ſunt ſpirituſſancti fructus non quidem hominis, ut ab homine ſecundum rationem procedentes, ſed ſecundum altiorem uim, Spiritus ſancti ſcilicet uirtutem.

AR

ART.II. Vtrum fructus à beatitudinibus differant.

Conclusio. Beatitudines à fructibus eo diuersæ sunt, quod fructus omnia opera uirtuosa sunt, quibus homo delectatur, sed beatitudines dicuntur solũ perfecta opera, quæ etiam ratione suæ perfectionis magis attribuuntur donis, quàm uirtutibus.

ART.III. Vtrum fructus conuenienter enumerentur ab Apostolo.

Conclusio. Conuenienti quodam numero duodecĩ Spiritus sancti fructus ab Apostolo enumerati sunt Gal. 5. quia etsi potuissent uel plures, uel etiam pauciores fructus enumerari: tamen omnes donorum & uirtutum actus possunt secundum quandam conuenientiam ad hæc reduci.

ART.IIII. Vtrum fructus Spiritus sancti contrarienter operibus carnis.

Conclusio. Secundum communem rationem contrariantur fructus Spiritus operibus carnis, etsi secundum rationes proprias aliter sit: adaptari nĩhilominus etiam possunt singulis Spiritus sancti fructibus singula opera carnis.

QVAESTIO LXXI.

De uitijs & peccatis secundum se, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum uitium contrarietur uirtuti.

Conclusio. Virtuti, secundum quod ordinatur ad actiuum bonum, peccatum ipsum contrariatur, ut uerò bonitas quædam est, eĩ opposita est malitia: uitiũ autem uirtuti contrarium est, secundum propriam rationem uirtutis.

AR-

ART. II. Vtrum uitium sit contra naturam.

Conclusio. Vitium contra hominis naturam est, inquantum est contra ordinem rationis.

ART. III. Vtrũ uitium sit peius, quã actus uitiosus.

Conclusio. Sicut habitus ex actibus excellentiam habent: ita actus uitiosi deteriores sunt uitiorum habitibus, simpliciter loquendo.

AR. IIII. Vtrũ peccatũ simul possit esse cum uirtute.

Cõclusio. Mortale peccatum non potest simul esse cum uirtutibus infusis sicut cum acquisitis, ueniale tamen uitium cum utrisque esse ualet.

AR. V. Vtrum in quolibet peccato sit aliquis actus.

Cõclusio. Accidit sæpenumero peccatum esse absque aliquo actu, ut ommisionis peccatũ, secundùm id quod attinet ad rationem peccati: secundùm circũstantias tamen peccati, necessariũ est ommisionis uitium aliquem actum semper supponere,

ART. VI. Vtrum conuenienter diffiniatur peccatũ esse dictum uel factum, uel concupitum contra legem æternam.

Conclusio. Peccatum est dictum, uel factum, uel concupitum contra legem æternam.

QVAESTIO LXXII.

De peccatorum distinctione, in nouem articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum peccata differant specie secundùm obiecta.

Conclusio. Distinguuntur peccata abinuicem secundùm speciem ex diuersis specie obiectis.

ART. II. Vtrum conuenienter distinguantur peccata spiritualia à carnalibus.

Con-

Conclusio. Peccatorum, ea quæ perficiuntur in spirituali delectatione, spiritualia sunt appellata: quæ uerò in carnali delectatione, carnalia.

ART. III. Vtrum peccata distinguantur specie secundùm causas.

Conclusio. Distinguuntur peccata non secundùm diuersas causas actiuas, & motiuas, sed secundùm diuersos fines, quos sibi peccantes prostituunt, à quibus (ut obiectis) eorum uoluntas mouetur.

ART. IIII. Vtrum peccatum conuenienter distinguatur in peccatum in Deum, in seipsum, & in proximum.

Conclusio. Quæcunque peccata, cum inordinatæ sint actiones: aut in Deum, aut in proximum, aut cõtra seipsum sunt, cùm ad hæc singula homo ordinem habere dicatur.

ART. V. Vtrum diuisio peccatorum, quæ est secundùm reatum, diuersificet speciem.

Conclusio. Cùm reatus pœnæ per accidens in peccatis sint, nõ distinguunt species peccatorum ex ipsis realibus, per ueniale scilicet & mortale.

ART. VI. Vtrum peccatum commissionis & omissionis differant specie.

Conclusio. Omissionis & commissionis peccata distinguuntur quidem specie communiter: materialiter tamen, non autem formaliter.

ART. VII. Vtrum conuenienter diuidatur peccatum in peccatum cordis, oris, & operis.

Conclusio. Quoduis peccatum diuiditur in peccatũ cordis, operis, & oris, non sicut in diuersas species completas, sed secundùm diuersos gradus eiusdem peccati secundùm speciem.

ART. VIII. Vtrum superabundantia & defectus diuersificent species peccatorum.

Con-

Conclusio. Peccata secundùm superabundantiam & defectum sunt non solùm à se inuicem secundùm speciem diuersa, sed cōtraria: cùm ex diuersis obiectis motiuis causentur, à q̃bus specificātur actus peccati.

ART. IX. Vtrum peccata diuersificentur specie secundùm diuersas circunstantias.

Conclusio. Peccati circunstantiæ non distingunt peccata secundùm speciem, nisi ex diuersis motiuis prouenient.

QVAESTIO LXXIII.

De comparatione peccatorum adinuicem, in decem articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum omnia peccata sint connexa.

Cōclusio. Peccata cùm ad inuicem contraria sint, nullam adinuicē connexionē habent, sicut uirtutes.

ART. II. Vtrum omnia peccata sint paria.

Conclusio. Cùm per peccatum non totum rationis bonū priuetur, impossibile est peccata omnia æqualia uel paria esse.

AR. III. Vtrum grauitas peccatorum uarietur secundùm obiecta.

Conclusio. Cum peccata ex obiecti speciem habeant, ex eisdem quoque eorum uariari grauitatem necessarium est.

ART. IIII. Vtrum grauitas peccatorum differat secundûm dignitatem uirtutum, quibus opponuntur.

Conclusio. Maiori uirtuti maius ex parte obiecti uitium opponitur: nō autem secundùm effectus.

ART. V. Vtrum peccata carnalia sint minoris culpæ, quàm spiritualia.

Con-

Cóclusio, Peccata spiritualia (cæteris paribus) grauioris sunt culpæ carnalibus peccatis, quæ minoris culpæ, & maioris infamiæ sunt.

ART. VI. Vtrum grauitas peccatorum attendatur secundùm causam peccati,

Conclusio. Peccatorum gratuitas secundùm peccati causas attendenda est: non tamen eodem modo: secundùm enim uoluntatem, & finalem causam uariatur peccati magnitudo. diminuitur autem peccatū ex causis quæ uel iudicium rationis, uel liberum uolunratis motum impediunt.

ART. VII. Vtrum circunstantia aggrauet peccatum.

Cóclusio. Cùm ex circunstantijs peccatum, causetur, ex eisdem aggrauari necessarium est.

ART. VIII. An grauitas peccati augeatur secundúm maius nocumentum.

Conclusio. Nocumentum, si intentū & præuisum fuerit, peccatum aggrauat, secus, si nec præuisum nec intentum fuerit.

AR. IX. Vtrū peccatum aggrauetur ratione personæ, in quam peccatur.

Conclusio. Quum persona, in quam peccatur; fit quodammodo ut obiectum in peccato; necesse est, aggrauari peccatum secundùm dignitatem personæ, in quam peccatur.

ARV. X. Vtrum magnitudo personæ peccantis aggrauet peccatum.

Cōclusio. Aggrauantur peccata secundùm magnitudinem personæ peccātis, ita quòd maiorum peccata maiora sunt.

QVAE-

QVAESTIO LXXIIII.

De ſubiecto peccatorum, in decem articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum uoluntas ſit ſubiectum peccati:

Concluſio. Peccatum cùm ſit actus immanens mo raliter malus, & uoluntarius: neceſſariò eſt in uolun tate, ut in ſubiecto.

ART. II. Vtrum ſola uoluntas ſit ſubiectũ peccati.

Concluſio. Non modo uoluntas eſt ſubiectum pec cati, ſed omnes illæ potentiæ, quas contingit ad ſuos moueri actus, uel ab eis reprimi per uoluntatem.

ART. III. Vtrum in ſenſu alitate poſſit eſſe peccatũ.

Cõcluſio. Cùm contingat ſenſualitatem moueri à uoluntate; neceſſarium eſt, in ea poſſe peccatum eſſe:

ART. IIII. Vtrum in ſenſualitate poſſit eſſe pecca tum mortale.

Concluſio. Cùm ordinare in finem ultimum actio nes, ex ipſo ſit rationis opere; non poteſt eſſe mortale peccatum in ſenſualitate, ſed in ratione.

ART. V. Vtrum peccatum poſſit eſſe in ratione.

Cõcluſio. Eſt in ratione peccatum in proprio actu ſecundùm ignorantiam eorum, quæ quis ſcire poteſt & debet, & inquantum imperat aliarum poteſtatum inordinatos actus, uel ipſos non coercet.

ART. VI. Vtrum peccatum moroſæ delectationis ſit in ratione.

Concluſio. Cõtingit in ratione moroſæ delectatio nis peccatum eſſe, quando non reprimit illicitum paſ ſionis motum, quem ex deliberationis iudicio in ſe prouocauit, & animaduertit inordinatum eſſe.

AR.VII. Vtrùm peccatum consensus in actum sit in ratione superiori.

Conclusio. Consensus in actum est in superiori ratione, cùm actus sit ultimum quod principalis potentia potest.

ART.III. Vtrum consensus in delectationem, sit peccatum mortale.

Conclusio. Consensus in delectationem mortalis criminis mortale peccatum est.

ART.IX. Vtrum in superiori ratione possit esse peccatum ueniale, secundùm quod est directiua inferiorum uirium

Conclusio. In ratione superiori, cùm consentire cótingat in actum uenialis peccati, potest esse ueniale peccatum.

ART.X. Vtrum in ratione superiori possit esse peccatum ueniale secundùm seipsam, id est, secundum quod inspicit rationes æternas.

Conclusio. Potest in superiori ratione ueniale peccatum secundùm seipsam esse, si sit absque deliberatione consensus in mortale crimen; sed in his, quæ ad inferiores attinet uires semper mortale peccatum est, si sit consensus in mortale ex genere: ueniale autem, si sit ex suo genere ueniale.

QVAESTIO LXXV.

De causis peccatorum in generali, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum peccatum habeat causam.

Conclusio. Peccatum cùm sit quidam actus inordinatus: ex parte actus habet causam per se illius productiuã: quæ ex parte inordinationis actus, est illius p accidés causa, prout præter agétis intentioné euenit.

ART.

ART. II. Vtrum peccatum habeat causam interiorem.

Conclusio. Intellectus & uuluntas causæ sunt interiores actus peccati immediatæ, mediatæ uerò, interior immaginatio, seu sensus apprehēsio & appetitus.

ARTIC. III. Vtrum peccatum habeat causam exteriorem.

Conclusio. Potest aliquid exterius, ut homo, uel dæmon, seu exteriora bona, causa esse peccati, non tamen ad peccandum sufficienter inducens,

ART. IIII. Vtrum peccatum sit causa peccati.

Cōclusio. Potest unum peccatum alterius peccati causa esse secundu m quoduis causæ genus.

QVAESTIO LXXVI.

De causis peccati in speciali, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum ignorantia possit esse causa peccati.

Conclusio. Non quæuis ignorantia causa est peccati sed illa tantum, quæ tollit scientiā prohibentem, actum peccati.

ART. II. Vtrum ignorantia sit peccatum.

Conclusio. Ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur, semper est peccatum, non autem illa, quæ est illorum, quæ quis scire non tenetur.

AR. III. Vtrum ignorantia excuset ex toto à peccato.

Conclusio. Ignoratia consequens uel concomitās actum peccati, nō excusat à peccato; ignorātia uerò, quæ causa est actus peccati, excusat, & quidem non totaliter nisi sit ignorātia inuincibilis, uel eius, quòd quis scire non tenetur.

ART. IIII. Vtrum ignorantia diminuat peccatum.

Conclusio. Voluntaria & intenta ignorantia aggrauat, & non diminuit peccatum: ignorantia uerò uoluntaria per accidens diminuit: ignorantia uerò consequens uel concomitans actum peccati non diminuit ipsum, neque auget.

QVAESTIO LXXVII.

De causa peccati ex parte appetitus sensitiui, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum uoluntas moueatur à passione appetitus sensitiui.

Conclusio. Passiones sensitiui appetitus non nisi indirectè per modum distractionis, uel rectum iudicium boni impedientis, uoluntatem trahere & ad malum impellere possunt.

ART. II. Vtrum ratio posit superari à passione contra suam scientiam.

Conclusio. Possunt sæpenumero passiones appetitus sensitiui rationem & eius uniuersalem scientiam impedire, uel per modum distractionis uel ad contrarium impellendo, uel aliquam corporalem transmutationem causando, ex qua totaliter impediatur rationis usus.

ART. III. Vtrum peccatum, quod est ex passione, debeat dici ex infirmitate.

Conclusio. Cùm passiones sint quædam animæ ægritudines rationis regulam impedientes, quæcunque peccata ex passione procedunt, quasi ex illius infirmitate procedere dicuntur.

AR. IIII. Vtrũ amor sui sit principiũ omnis peccati.

Conclusio. Inordinatus amor sui causa est & initium omnis peccati.

ART.

ART.V. Vtrum conuenienter ponantur causæ peccatorum concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia uitæ.

Conclusio. Quæuis peccati causa aut concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, uel superbia uitæ est.

ART. VI. Vtrum peccatum alleuietur propter passionem.

Conclusio. Passiones præcedêtes actum, peccatum diminuût ipsum: se ad sequêter peccatû, magis augêt

ART. VII. Vtrum passio totaliter excuset à peccato.

Conclusio. Passiones, quæ simpliciter inuolûtariû causant, excusant ex toto à peccato.

ART. VIII. Vtrum peccatum, quod est ex passione possit esse mortale.

Conclusio. Peccatum ex passione procedês, potest nonnunquam mortale esse.

QVAESTIO LXXXVIII.

De causa peccati, quæ est malitia, in quatuor articulos diuisa

ARTICVLVS I.

Vtrum aliquis peccet ex certa malitia.

Conclusio. Dicuntur nonunquam homines ex certa malitia peccare, quando ex certa scientia peccatùm eligunt.

ART. II. Vtrum quicunque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia,

Conclusio. Ex habitu peccantes, cû quadam quasi electione agant, ex malitia peccare dicuntur.

ART. III. Vtrum ille, qui peccat ex certa malitia, peccet ex habitu.

Concluſio. Non oportet quemcunque ex certa malitia peccantem ex habitu peccare.

AR. IIII. Vtrum ille, qui peccat ex certa malitia, grauius peccet, quam qui ex paſsione.

Concluſio. Peccantes ex malitia, cum ipſum eorũ peccatum ſit maximè uoluntarium ac diuturnius, & in deteriori ſint diſpoſitione, quàm peccantes ex paſſione, grauius quoque his peccare dicuntur.

QVAESTIO LXXIX.

De cauſis exterioribus peccati, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Deus ſit cauſa peccati.

Cõcluſio. Cum Deus omnium ultimus finis & bonum exiſtens omnia ad ſeipſum dirigat & conuertat, nec alicui quicquam debeat: non poteſt alicui directè uel indirectè cauſa peccati eſſe.

ART. II. Vtrum actus peccati ſit à Deo.

Concluſio. Cùm actus peccati ſit ens, neceſſario eſt à Deo: ſed defectus eſt à cauſa creata.

AR. III. Vtrum Deus ſit cauſa excæcationis & indurationis.

Concluſio. Non eſt Deus cauſa excæcationis & obdurationis, ut ex ipſo ſit, quod homines obdurentur & inhæreant malo, ſed per gratiæ ſubtractionem.

ART. IIII. Vtrum excæcatio & obduratio ſemper ordinetur ad ſalutem eius, qui excæcatur, & obduratur.

Concluſio. Excæcatio cum ſit diſpoſitio ad peccatũ nulli ex ſe ad ſalutem datur, ſed ad damnationem: excæcatio autem ex diuina miſericordia nonnullis eſt ad ſalutem, ut in peccatum lapſi humiliter pœniteãt & conuertantur ad Deum.

QVAE-

100

QVAESTIO LXXX.

De causa peccati, ex parte diaboli, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum diabolus sit homini directè causa peccandi.

Conclusio. Nō potest diabolus esse homini directè & sufficiens causa peccandi, sed indirectè: uel per modū persuadentis, uel proponētis exterius appetibile.

ART. II. Vtrum diabolus posit inducere ad peccandum interius instigando.

Conclusio. Possunt dæmones interius partem sensitiuam commouendo, homines ad peccandum inducere.

ART. III. Vtrum diabolus posit necessitatem inferre ad peccandum.

Cōclusio. Diabolus propria uirtute, nisi refrænetur à Deo potest aliquem inducere ex necessitate ad faciendum aliquem actum, qui de suo genere peccatum est: non autem ullo modo potest necessitatem inducere homini ad peccandum.

ART. IIII. Vtrum omnia peccata hominum sint ex suggestione diaboli.

Conclusio. Est quidem dæmon occasio omnium peccatorum, cum totam infecisset naturam, & procliuem ad pecccandum redidisset: non tamen singula peccata ex illius suggestione fiunt.

QVAESTIO LXXXI.

De causa peccati ex parte hominis, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum primum peccatum primi parentis traducatur per originem in posteros.

Conclusio. Primum primi hominis peccatum originaliter transit in omnes posteros, non quidem per aliquam seminis infecti traductionem, seu animæ singulorũ infectione ex anima primi: sed sicut actuale peccatum membris attribuitur, tametsi culpa est originaliter in uoluntate, ita & originale peccatum in posteros descendit ut in membra primi hominis, quę ex ipso processerunt per seminis traductionem, qui uoluntate sua peccauit.

ART. II. Vtrum ẽt aliqua peccata primi parẽtis, uel proximorum parentum traducantur in posteros.

Conclusio. Originale peccatum solum cùm priuauerit hominem primũ originali iustitia, quæ naturæ collata est à diuina bonitate, non autem cætera actualia peccata, procedere debuit in posteros.

ART. III. Vtrum peccatum primi parentis transeat per originem in omnes homines.

Cõclusio. Omnes homines, præter Christum, qui ex Adam per originem processerunt, originale peccatum ex ipsa sua generatione contraxisse credendũ est.

AR. IIII. Vtrum si aliquis ex humana carne formaretur miraculosè, contraheret originale peccatum.

Conclusio. Cùm originale peccatum deriuetur in posteros per motũm generationis ab ipso primo patre: in eos minimè descendere certum est, qui uirtute diuina ex humana carne formati fuerint.

ART. V. Vtrum si adam non peccasset, Eua peccante, filij originale peccatum contraherent.

Conclusio. Si Eua peccante, Adam non peccasset, non fuisset originale peccatum traductum in posteros.

QVAESTIO LXXXII.

De originali peccato quantum ad ſuam eſſentiam, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum originale peccatum ſit habitus.

Cõcluſio. Originale peccatum eſt habitus, nõ quidem ſicut ſcientia, ſed ſicut quædã inordinata naturæ diſpoſitio, cõſequẽs originalis iuſtitiæ priuationẽ.

ART. II. Vtrum in uno homine ſint multa originalia peccata.

Concluſio. Eſt unum ſecundùm ſpeciem & proportionem in omnibus hominibus originale peccatum, diuerſum autem numero in diuerſis hominibus: in uno autem homine non eſt niſi unum numero.

ART. III. Vtrũ originale pecccatũ ſit concupiſcẽtia.

Concluſio. Originale peccatũ materialiter quidẽ cõcupiſcentia eſt: formaliter uerò priuatio originalis iuſtitiæ, ſecundùm quam inferiores animæ uires ſuperioribus ſubdebantur, & ſuperiores Deo.

ART. IIII. Vtrum peccatum originale ſit æqualiter in omnibus.

Concluſio. Originale peccatum cùm ſit priuatio originalis iuſtitiæ, non magis in uno quàm in alio eſſe poteſt.

QVAESTIO LXXXIII.

De ſubiecto originalis peccati, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum originale peccatum ſit magis in carne, quàm in anima.

Concluſio. Cùm originale peccatum ſit quædam culpa, non niſi in anima, ut in ſubiecto, eſſe poteſt: in

Adam

Adam uerò, ut in principali causa, in semine uerò & carne, ut instrumento.

ART. II. Vtrum peccatum originale sit per prius in essentia animæ quàm in potentijs.

Conclusio. Cùm anima sit, quàm primò ut terminum generationis origo attingit: secundùm suam essentiam, peccati originalis subiectum primum est.

ART. III. Vtrum peccatum originale per prius inficiat uoluntatem quàm alias potentias.

Conclusio. Originale peccatum respicit prius ipsam uoluntatem, secundùm quod ad malum inclinat, quàm animæ essentiam, in qua primò est, ut in subiecto.

ART. IIII. Vtrũ præfatæ potentiæ sint magis infectæ quàm aliæ.

Cõclusio. Quanquam omnes animæ potentiæ originali peccato sunt infectæ; uis tamen generatiua, uis concupiscibilis, & sensu tactus sunt cæteris potentijs magis infectæ.

QVAESTIO LXXXIIII.

De causa peccati, secundùm quod unum peccatum alterius peccati causa est, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum cupiditas sit radix omnium peccatorum.

Conclusio. Cùm diuitijs iuuetur homo ad quodcũque peccatum perpetrandum: omnium malorum diuitiarum cupiditas est radix.

ART. II. Vtrum superbia sit initium omnis peccati.

Conclusio. Finis in omnibus bonis temporalibus acquirendis est, ut homo per illam quandam perfectionem singularem & excellentiam habeat, & ideo ex hac parte superbia ponitur initium omnis peccati.

Sed ex parte executionis est primum id quod præbet oportunitatem adimplendi omnia desideria peccati, quod habet rationem radicis, scilicet diuitiæ.

ART. III. Vtrum præter superbiam, & auaritiam, sint alia peccata specialia, quæ dici debeant capitalia.

Conclusio. Non tantum auaritia & superbia capitalia uitia sunt, uti radices, sed multa alia, quæcunque scilicet dirigũt homines in alia peccata, ueluti duces exercituum.

ART. IIII. Vtrum conuenienter dicantur septem uitia capitalia.

Cõclusio. Septem sunt capitalia uitia, 1. Superbia, 2. Auaritia, 3. Ira, 4. Gola, 5. Luxuria, 6. Inuidia, 7. Accidia.

QVAESTIO LXXXV.

De effectibus peccati, in sex articulos diuisa

ARTICVLVS I.

Vtrum peccatum diminuat bonum naturæ.

Conclusio. Bonum naturæ, quæ sunt ipsæ animæ potentiæ, non fuit imminutum per peccatum: sed eo naturæ bono, quod est originalis iustitia, fuit totaliter homo per peccatum priuatus: illud etiam bonũ naturæ uidelicet inclinatio ad uirtutem, per peccatũ tum diminutum fuit.

ART. II. Vtrum totum bonum humanæ naturæ possit auferri per peccatum.

Conclusio. Non potest totum naturæ bonum per peccatum ipsum totaliter auferri.

ART. III. Vtrum conuenienter ponantur uulnera naturæ ex peccato consequentia, infirmitas, ignorantia, malitia, & concupiscentia.

Conclusio. Cõsecuta sunt in hoĩe originale peccatũ & actuale, ueluti animę uulnera hęc mala, 1. ignorantia

rantia in intellectu, 2. malitia in uoluntate, 3. infirmitas in irascibili, 4. concupiscentia in concupiscibili.

AR. IIII. Vtrum priuatio modi, speciei & ordinis sit effectus peccati.

Conclusio. Modus, species & ordo cōsequunt unūquoq; bonū creatū inquantū huiusmodi, & ēt unumquodq; ens. Bonum aūt pertinēs ad ipsam substantiā naturæ, nec priuatur nec diminuitur per peccatum. Est ēt quoddā bonum naturalis inclinationis, & hoc diminuitur per peccatum, sed non totaliter tollitur. Est etiam quoddam bonum uirtutis & gratiæ, & hoc totaliter tollitur per peccatum mortale. Est ēt quoddam bonum uirtutis & gratiæ: & hoc totaliter tollitur per peccatum mortale. Est etiam quoddam quod est ipse actus ordinatus, quod etiam habet suum modum, speciem & ordinem, & huius priuatio est essentialiter ipsum peccatum.

ART. V. Vtrum mors & alii corporales defectus sint effectus peccati.

Cōclusio. Mors cæterique corporales defectus, ueluti pœnæ secuti sunt originale peccatū magisquam intenti & per se effectus.

AR. VI. Vtrū mors & alij defectus sint naturales hoī.

Conclusio Ex parte suæ formæ naturalior est homini incorruptio, quam alijs rebus corruptibilibus: sed quia & ipsa hominis forma habet materiam ex contrariis compositam ex inclinatione materiæ, sequitur corruptibilitas in toto, & secundum hoc homo est naturaliter corruptibilis secundum naturam materiæ si bi relictæ, sed non secundum naturam formæ.

QVAESTIO LXXXVI,

De macula peccati, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrū peccatum causet aliquam maculam in anima.

Con-

Conclusio. Maculatur anima ex peccato, inquantum nitore naturalis luminis, & sapientiæ., & gratiæ splendore priuatur.

ART. II. Vtrum macula maneat in anima post actum peccati.

Cõclusio. Macula importat quendam defectum nitoris propter recessum à lumine rationis, uel diuinæ legis: & ideo quamdiù homo manet extra huiusmodi lumen, manet in eo macula peccati: sed postquam redit ad lumen rationis & ad lumen diuinum, quod fit per gratiam, tunc macula cessat.

QVAESTIO LXXXVII.

De reatu pœnæ in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum reatus pœnæ sit effectus peccati.

Conclusio. Cùm peccans agat contra ordinem rationis humanæ & diuinæ legis: necessariò eo ipso quod peccat, aliquem pœnæ reatum incurrit.

AR. II. Vtrum peccatum posit esse pœna peccati.

Conclusio. Tametsi peccatum unum alterius peccati pœna non sit, cùm pœna contra uolũtatem, peccatum autem à uoluntate procedat: est nihilhominus uarijs modis unum peccatum alterius pœna per accidens.

AR. III. Vtrum aliquod peccatum inducat reatum æternæ pœnæ.

Conclusio, Quæcunque peccata contra charitatem sunt, reum pœna æterna constituunt.

AR. IIII. Vtrum peccato debeatur pœna infinita secundùm quantitatem.

Conclusio. Peccati pœna, quo ad auersionem, semper infinita est, amisio scilicet boni diuini: sed à parte inordinatæ conuersionis, pœna sensus finita est.

ART.

ART.V. Vtrum omne peccatum inducat reatum pœnæ æternæ.

Conclusio. His tantùm peccatis æterna pœna debetur, quæ contrariantur charitati: his uerò, quæ non contra, sed præter ordinem charitatis sunt, temporalis tantùm.

AR. VI. Vtrum reatus pœnæ remaneat post peccatū.

Conclusio. Remota macula culpæ potest quidem remanere reatus non pœnæ simpliciter, sed satisfactoriæ.

AR. VII. Vtrū omnis pœna sit propter aliquā culpā.

Conclusio. Quæuis pœna siue simpliciter siue satisfactoria propter aliquam culpā est, siue originalem, siue actualem, suam uel alterius.

ART. III. Vtrū aliquis puniatur ꝑ peccato alterius.

Cōclusio. Non patitur quis pœna pro alterius peccato, nisi satisfactoriam, seu uoluntariè assumptam.

QVAESTIO LXXXVIII.

De peccato ueniali & mortali, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum ueniale peccatum conuenienter diuidatur contra mortale.

Conclusio. Peccatum omne, aut mortale, siue contra ordinem charitatis est: aut ueniale est, & præter illum ordinem, & ex se dignum uenia.

ART. II. Vtrum peccatum mortale & ueniale differat genere.

Conclusio. Distinguntur ueniale & mortale peccatum ex genere, ex suis obiectis, & ex parte agentis: ita quòd ueniale ex genere secundùm obiectum, sit mortale secundùm agentis dispositionem, & mortale ex obiecto, sit ueniale à parte agentis.

ART.

ART. III. Vtrum peccatum ueniale sit dispositio ad mortale.

Conclusio. Veniale & mortale peccatum: cum differant specie nō potest ueniale dispositio esse ad mortale, nisi fortè ex dispositione agentis, & indirectè per modum remouentis prohibens.

AR. IIII. Vtrū peccatū ueniale posit fieri mortale.

Conclusio Veniale peccatum impossibile est sic fieri mortale, quòd idē actus uenialis numero fiat mortale, uel quod multa uenialia fiant unum mortale: sed ueniale ex genere fit mortale secundùm intentionem finis.

AR. V. Vtrum circunstantia posit facere de ueniali mortale.

Conclusio. Circunstantia uenialis non mutat ueniale in mortale, nisi uariet speciem uenialis actus, & malum mortale efficiat.

ART. VI. Vtrū peccatū mortale posit fieri ueniale.

Conclusio. Quamuis ueniale malum imperfectum existens posit fieri mortale, non potest tamen mortale, cum sit actus malus perfectus, effici ueniale, nisi fortè ex aliqua actus imperfectione.

QVAESTIO LXXXIX.

De peccato ueniali secundùm se, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum peccatum ueniale causet maculam in anima.

Conclusio. Peccatum ueniale, cùm non tollat habitum charitatis, neque aliarum uirtutum, sed magis impediat actum illarum, non nisi per accidens maculam in anima inducere dicitur.

ART

AR.II. Vtrum conuenienter peccata uenialia per lignum, fœnum, & stipulam designentur.

Conclusio. Omnia uenialia peccata ad lignum, fœnum, stipulam reducuntur, secundùm eorum grauitatem, & purgationem.

AR.III. Vtrum homo in statu innocentiæ potuerit peccare ueniali ter.

Conclusio. Non potuit primus homo in statu innocentiæ uenialiter peccare, antequam peccaret mortaliter.

ART. IIII. Vtrum angelus bonus uel malus possit peccare uenialiter.

Cõclusio. Angelus bonus, cũ sit in charitate firmatus, non potest uenialiter peccare: sed angelus malus, cum nullam habeat charitatem, omnis eius actus uoluntarius peccatum mortale est.

ART. V. Vtrum primi motus sensualitatis infidelibus sint peccata mortalia.

Conclusio. Primos infidelium motus mortalia existimare peccata irrationabile est, nisi eis consentiãt.

ART. VI. Vtrum peccatum ueniale possit esse in aliquo cum solo originali.

Conclusio. Impossibile est ueniale peccatum in aliquo esse cum originali, absque mortali.

QVAESTIO XC.

De legibus, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum lex sit aliquid rationis.

Cõclusio. Cùm lex sit quædam regula, & humanorum actuum mensura, necessariò ad ipsam rationem spectat.

ART.

ART. II. Vtrum lex ordinetur ſemper ad bonum commune.

Concluſio. Lex, cùm ad ipſam rationem ſpectet, tã quam principium & omnium humanorum actuum menſura & regula: ſemper commune bonum reſpicit. & ad ipſum diſponit & ordinat.

ART. III. Vtrum ratio cuiuſlibet ſit factiua legis.

Concluſio. Cum lex ordinet hominem in bonum commune, non cuiuſlibet ratio facere poteſt legem, ſed multitudinis, uel Principis uicem multitudinis gerentis.

ART. IIII. Vtrum promulgatio ſit de ratione legis.

Concluſio. Vt lex uirtutem ſuam habeat obligandi, neceſſaria eſt promulgatio; id eſt, ut ad notitiam illorum reducatur, qui legi ſubijciuntur.

QVAESTIO XCI.

De legum diuerſitate, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum ſit aliqua lex æterna.

Cõcluſio. Eſt aliqua lex æterna, ratio uidelicet gubernatiua totius uniuerſi in mente diuina exiſtens.

ART. II. Vtrum ſit in nobis aliqua lex naturalis, participatio uidelicet legis æternæ, ſecundum quam bonum & malum diſcernunt.

ART. III. Vtrum ſit aliqua lex humana.

Cõcluſio. Præter æternam & naturalem legem, eſt lex quædam ab hominibus inuenta, ſecundum quam in particulari diſponuntur quæ in lege naturæ continentur.

ART. IIII. Vtrum fuerit neceſſarium eſſe aliquam legem diuinam.

Conclusio. Præter legem humanam & naturalem necessaria fuit quædam lex diuina, per quam in naturalem finem certius, & purius, & efficatius homo dirigeretur.

ART. V. Vtrum lex diuina sit una tantum.

Conclusio. Diuiditur lex diuina in legem ueterem & nouam, non quidem specie diuersas, sed eadem speciæ, imperfectam, quæ est lex uetus, & in perfectam scilicet lex noua.

ART. VI. Vtrum sit aliqua lex fomitis

Cōclusio. Fomes, qui ipsa sensualitatis inclinatio est, prout ad malum inclinat, non habet rationem legis:. ut uerò diuinam sequitur iustitiam, lex hominis est illi tanquam pœna inflicta.

QVAESTIO XCII.

De effectibus legis, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum effectus legis sit facere bonos homines.

Conclusio. Legis est subditos bonos facere, uel simpliciter, uel secundùm quid.

AR. II. Vtrum legis actus conuenienter assignentur.

Conclusio. Tres sunt legis actus, 1. imperare uirtutum actus, 2. uitia prohibere, 3. permittere indifferentes actus.

QVAESTIO XCIII.

De lege æterna, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum lex æterna sit summa rationi in Deo existens.

Conclusio. Lex æterna est diuinæ sapientiæ ratio, secundùm quod est omnium actionum & motionum in proprios fines directiua.

ART. II. Vtrum lex æterna sit omnibus nota.

Con-

Concluſio. Legem æternam nullus ſecundum propriam diſpoſitionem, ut in Deo eſt, cognouit: ſed in ipſa ueritatis notitia uariis modis homines diuerſi ipſam attingunt & cognoſcunt.

ART. III. Vtrum omnis lex à lege æterna deriuetur.

Concluſio. Leges omnes ut rectæ rationis quippiã ſapiunt, ab æterna lege originem habent.

ART. IIII. Vtrum neceſſaria & ęterna ſubiiciantur legi æternæ.

Concluſio. Cùm lex æterna ſit diuinæ gubernationis ratio: quæuis ex ipſo creata ſiue contingentia, ſiue neceſſaria ſint, omnia illi ſubiecta ſunt.

ART V. Vtrum naturalia contingentia ſubſint legi æternæ.

Concluſio. Subduntur naturalia contingentia legi diuinæ & æternæ, quò eius ſubduntur prouidentiæ, non autem quò per ſcientiã ipſius in finẽ omnes rationales creaturas deducẽtis, legi ei⁹ talia ſubiecta ſunt.

ART. VI. Vtrum omnes res humanæ ſubiiciantur legi æternæ.

Concluſio. Quæcunque hominum ſint, diuinæ & æternæ legi ſubiecta eſſe certisſimum eſt, quanquam non omnia ſecundum eandem rationem ei ſubdãtur, ſiue bona, ſiue mala ſint.

QVAESTIO CXIIII.

De lege naturali, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum lex naturalis ſit habitus.

Concluſio. Lex naturalis non eſt habitus aliquis eſſentialiter, ſed inquantum continet aliqua præcepta, quæ habitu in ipſa ratione ſunt.

ART. II. Vtrum lex naturalis contineat plura præcepta, uel unum tantum.

Conclusio. Non unum, sed plura sunt legis naturæ præcepta, secundum quod diuersimodè homines disponuntur ad ea quæ sunt secundùm naturam bona.

ART. III. Vtrum omnes actus uirtutum sint de lege naturæ.

Conclusio. Virtutum actus omnes secundùm propriam rationem uirtutis sunt de lege naturæ: ut uerò in propriis speciebus considerantur, nō omnes actus uirtuosi sunt de lege naturæ, multa enim secundū uirtutem fiunt, ad quæ natura non primò inclinat: sed per rationis inquisitionem ea homines adinuenerunt quasi utilia ad bene uiuendum.

ART. IIII. Vtrum lex naturæ sit una apud omnes.

Conclusio. Vna est apud omnes lex naturæ, quo ad prima principia communia apud omnes, & secundū rectitudinem & notitiam, quàquam, quo ad propria aliqua ex communibus deducta, eadem apud omnes non sit, sed ut in paucioribus deficiat,

ART. V. Vtrum lex naturæ mutari possit.

Conclusio. Lex naturæ, quamuis sit immutabilis quo ad cōmunia legis naturæ præcepta, quod nihil ei subtrahi potest: mutabilis tamen dicitur esse, dum multa ei utilia superaddi possunt, & nōnulla propria subtrahi quæ legis obseruantiam pro temporum uarietate impedire possent,

AR: VI. Vtrū lex naturæ possit à corde hoīs aboleri.

Concl. Nō potest lex naturæ, quo ad eius cōmunia & uniuersalia principia, ex cordibus hominū aboleri, sed quo ad particularia quædā, & ut in paucioribus.

QVAESTIO XCV.

De lege humana, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrū fuerit utile aliquas leges poni ab hominibus.

Con-

Conclusio. Necessarium fuit ad quietã & pacificã hominum uitam, aliquas ab hominibus leges imponi quibus homines improbi metu pœnæ à uitiis cohiberentur, & uirtutem perfectam assequi possent.

ART. II. Vtrum omnis lex humanitus posita à lege naturali deriuetur.

Conclusio. Cùm lex omnis sit secundùm rectam rationem traditam: necessarium est, legem humanã ex ex lege naturæ originem habere, & ex ea deriuari Q đ si in aliquo à lege naturali discordet, iam non erit lex, sed legis corruptio.

ART. III. Vtrum Isidorus conuenienter qualitatem legis positiuæ describat, lib. 5. cap. 21.

Conclusio. Omnis lex humana siue positiua debet esse honesta, iusta, possibilis secundùm naturam, secũdùm consuetudinem patriæ, loco, temporique conueniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione cõtineat: nullo priuato commodo, sed pro communi utilitate ciuiũ scripta.

ART. IIII. Vtrum Isidorus conuenienter ponat diuisionem humanarum legum.

Conclusio. Lex humana, ut à lege naturæ deriuatur diuiditur in ius gentium, & ius ciuile: ut uerò ordinatur ad bonum commune diuiditur secundùm uarietatem ministrorum, ut in Sacerdotum, Principiũ, & Militum legem: uel secundùm uarietatem regiminum uel eorũ, de quibus leges seruatur, seu secũdùm nomina illorum, qui legem instituerunt.

QVAESTIO XCVI.

De potestate legis humanæ, in sex articulos diuisa

ARTICVLVS I.

Vtrum lex humana debeat poni in communi magis, quàm in particulari.

Conclusio. Cùm lex humana ad commune bonum ordinetur. in communi magis, quàm in particulari poni debet, & secundum personas, & negotia, & tempora.

ART. II. Vtrum ad legem humanam pertineat omnia uitia cohibere.

Conclusio. Humanis legibus non omnia uitia prohibentur, à quibus abstinent uiri uirtute prædití, sed grauiora, à quibus maiorem partem multitudinis hominum possibile est abstinere, & præcipuè quæ sunt in nocumentum aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conseruari non posset.

ART. III. Vtrum lex humana præcipiat actus omniũ uirtutum.

Conclusio. Non quoscunque uirtutum actus lex humana præcipit, sed illos duntaxat, per quos homo ad bonum commune ordinatur.

ART. IIII. Vtrum lex humana imponat homini necessitatem in foro conscientiæ.

Conclusio. Iustæ leges humanæ obligant homines in foro conscientiæ.

ART. V. Vtrum omnes subiiciantur legi.

Conclusio. Quicunque potestati subiecti sunt, legi etiam subiiciuntur: non tamen omnes aliquo pœnæ timore legibus subditi sunt, sed tantum impii.

ART. VI. Vtrum ei qui subditur legi, liceat præter uerba legis agere.

Conclusio. Semper sunt uerba legis seruanda, nisi adsit periculum publici boni, in quo oporteat, uerba legis nonnunquam non obseruari.

108

QVAESTIO XCVII.

De legum mutatione, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum lex humana debeat mutari aliquo modo.

Conclusio. Cùm lex humana sit rationis dictamẽ, quo humani dirigunrur actus cõtingit leges mutari, dum imperfectis perfectionis aliquod superadditur, pro hominum ac temporum uarijs conditionibus.

AR. II. Vtrum lex humana semper sit mutanda, quando occurrit aliquid melius.

Cõclusio. Non semper lex mutanda est, quando melius occurrat, nisi adsit euidens necessitas, & euidens & maxima Reipublicæ utilitas.

ART. III. Vtrum consuetudo possit obtinere uim legis.

Conclusio. Cũ aliquid multoties fit uidetur ex deliberato rationis iudicio prouenire, & secundùm hoc consuetudo & habet uim legis, & legem abolet, & est legum interpretatrix.

ART. IIII. Vtrum rectores multitudinis possint in legibus humanis dispensare.

Cõclusio. Ad multitudinis rectores legum dispẽsatio spectat, dũmodo prudenter, & non sine causa fiat.

QVAESTIO XCVIII.

De lege ueteri, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum lex uetus fuerit bona.

Cõclusio. Lex uetus, cùm fuerit secundùm rectam rationem tradita, ut eà homines à concupiscentijs & peccatis abstinerent, bona fuit, quanquam non secundum perfectam bonitatis rationem.

ART. II. Vtrum lex uetus fuerit à Deo.

Conclusio. Lex uetus à Domino Deo & patre Domini nostri Iesu Christi data est, à quo hominum salus per gratiam Christi facta est.

ART. III. Vtrum lex uetus data fuerit per angelos.

Conclusio Sicut conueniens fuit nouam legem tã quam perfectiorem ueteri dari hominibus immediate à Deo: ita decuit ueterem angelico ministerio hominibus reuelari.

ART. IIII. Vtrum lex uetus dari debuerit soli populo Iudæorum.

Conclusio. Decuit ut illi Iudæorum populo lex daretur uetus, ex quo Christus secundùm promissionem gratuita Dei electone nasciturus erat.

ART. V. Vtrum omnes homines obligantur seruare legem ueterem.

Conclusio. Omnes tenebantur ad ueteris legis obseruationem quò ad ea, quæ iuris naturæ in illa contine bantur: non autem quò ad alia, quæ illi super addebantur præcepta.

ART. VI. Vtrum lex uetus conuenienter data fuerit tempore Moysi.

Conclusio. Decuit tempore Moysi legem ueterem hominibus dari, quo homines infirmitatem suam agnoscerẽt, & perfectius ad diuinam gratiam suscipiẽdam præpararentur, quod quidem tunc maximè populo necessarium fuit, quando lex naturalis obscurari incipiebat.

QVAESTIO XCIX.

De præceptis ueteris legis, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum in lege ueteri contineatur solum unum præceptum.

Con-

Concluſio. Vnum tantùm præceptum eſt ueteris legis ralatione ad unum legis finem; plura ueró ſecundum diuerſitatem eorum quæ ad finem ordinantur.

ART. II. Vtrum lex uetus contineat præcepta moralia.

Concluſio. Oportuit in ueteri lege ad populi ſanctificationem, dari de uirtutum actibus præcepta moralia.

ART. III. Vtrum lex uetus contineat præcepta cæremonialia, præter moralia.

Concluſio. Cùm per ueterem legem ordinaretur homo in Deum interioribus, & exterioribus actibus; neceſſarium fuit, in eo dari præter moralia alia cæremonialia præcepta, quibus Deo debitus exhiberetur cultus.

AR. IIII. Vtrum præter præcepta moralia & cæremonialia, ſint etiam pręcepta iudicialia.

Concluſio. Præter moralia & cæremonialia legis præcepta ſuperaddita ſunt iudicialia, ueluti quædam iuſtitiæ inter homines ſeruandæ determinationes.

ART. V. Vtrum aliqua alia præcepta contineantur in lege ueteri præter moralia, iudicialia, & cęremonialia.

Concluſio. Quæuis legis præcepta, moralia, cęremonialia, uel iudicialia ſunt: ſi qua uerò alia in ea reperiuntur, uel ad hęc reducuntur, uel ad præceptorum ordinationem ſpectant.

AR. VI. Vtrum lex uetus debuerit inducere ad obſeruationem præceptorum per temporales promiſsiones, & ad comminationes.

Concluſio. Congruit ueteri legi, ut per temporalium & terrenorum promiſsionem manuduceret homines ad Deum, qui temporalibus & terrenis affecti erant.

Quæ-

QVAESTIO C.

De præceptis moralibus ueteris legis, in duodecim articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ.

Conclusio. Cùm moralia præcepta sint de his, quę pertinent ad bonos mores: hæc autem sunt quæ rationi, conueniunt: omne autem rationis humanæ iudicium aliqualiter à naturali ratione deriuetur: necesse est, quòd omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ, sed diuersimodè.

ART. II. Vtrum præcepta moralia legis sint de omnibus actibus uirtutum.

Conclusio. Moralia legis præcepta præcipiunt homini formaliter actus iustitiæ, & non aliquarum, sed omnium uirtutum, cùm his perfectè homo in Deum ordinetur.

ART. III. Vtrum omnia præcepta moralia ueteris legis reducantur ad decem præcepta decalogi.

Conclusio. Omnia moralia legis præcepta ad decem decalogi aliqua ratione reduci possunt.

ART. III. Vtrum præcepta decalogi conuenienter distinguantur.

Conclusio. Moralium præceptorum aliqua ad Deũ ordinant homines: scilicet, tria: septem uerò reliqua, ad proximum.

ART. V. Vtrum præcepta decalogi conuenienter enumerentur.

Conclusio. Conuenienti quodam numero tradita sunt hominibus in ueteri lege decem pręcepta, quibus in Deum & proximum disponerentur.

ART.

ART. I. Vtrum conueuienter ordinentur decem præcepta decalogi.

Conclusio. Debito & conuenienti ordine disposita sunt in uteri lege decem moralia præcepta.

ART. VII. Vtrum præcepta decalogi conuenienter tradantur.

Conclusio. Conuenientissimè tradita sunt decem legis præcepta, cum ex diuina processerint sapientia.

AR. VIII. Vtrum præcepta decalogi sint dispensabilia.

Conclusio. Cùm decem præcepta disponant homines ad bonum simpliciter, & ad proximum in hoc eodem ordine: indispensabilia simpliciter sunt.

ART. IX. Vtrum modus uirtutis cadat sub præcepto legis.

Conclusio. Modus uirtutis respiciens intellectum & uoluntatem hominis, sub legis diuinæ præceptis cadit: non autem modus respiciens habitum.

ART. X. Vtrum modus charitatis cadat sub præcepto diuinæ legis.

Conclusio. Modus charitatis secundùm propriũ charitatis actum cadit sub speciali diuinæ legis præcepto: sed non cadit in præceptis aliarum uirtutum, ut forma & modus est cæterarum uirtutum.

ART. XI. Vtrum conuenienter distinguantur alia moralia præcepta legis præter decalogum.

Conclusio. Decem præceptis legis superadduntur aliqua alia, quæ ad illa secundùm aliquam rationem reducuntur.

ART. XII. Vtrum præcepta moralia ueteris legis iustificarent.

Conclusio. Moralia legis præcepta non iustificabãt, iustitiã, uel gratiã hominibus cõferendo, sed potius significabant, & ostẽdebãt iustitiæ exequutionẽ.

QVAESTIO CI,

De præceptis cæremonialibus ſecundùm ſe, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ratio præceptorum cæremonialium in hoc conſiſtat, quòd pertinent ad cultum Dei.

Concluſio Cæremonialia legis præcepta ſunt, quibus Deo debitum exhibent homines cultum.

ART.II. Vtrũ præcepta cæremonialia ſint figuralia.

Concluſio. Cæremonialia ueteris legis figuralia & umbra nouæ legis eranr.

ART. III. Vtrum debuerint eſſe multa cæremonialia præcepta.

Concluſio. Cùm lex uetus fuerit imperfecta: non unũ, ſed plura oportuit dari cæremonialia præcepta.

ART.IIII. Vtrum cæremoniæ ueteris legis conueniẽter diuidantur in ſacrificia, ſacramenta, ſacra, & obſeruantias.

Concluſio. Cæremoniæ ueteris legis ſunt, aut ſacrificia, quæ ad cultum Dei ſpectant, aut ſacra, quæ ad diuini cultus inſtrumenta attinẽt, aut ſacramenta, quæ ad ſanctificationem colentium Deum attinent, uel obſeruantiæ, quibus diſtinguntur colentes Deum à non colentibus.

QVAESTIO CII.

De cæremonialium præceptorum cauſis, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum cęremonialia præcepta habeant cauſam.

Concluſio. Cum cæremonialia præcepta ex diuina ſapientia inſtituta fuerint: eorum aliqua ex ſuo fine rationabilis cauſa accipi poteſt.

ART.

ART.II.Vtrum præcepta cæremonialia habeant cauſam literalem,uel figuralem tantum.

Concluſio.Cæremoniarum ueteris legis,ut ad cultum Dei ſpectant,literalis ratio ſuſcipienda eſt:ut uerò Chriſtum figurant myſtica ratio requirenda eſt.

ART.III.Vtrum posſit asſignari conueniens ratio ceremoniarum quæ ad ſacrificia pertinent.

Concluſio. Omnium ſacrificiorum, ut ad cultum Dei ordinantur,cauſa ſuſcipitur,uel ut his mens hominis ordinaretur in Deũ,uel ut ab idololatria remoueretur: ut uerò Chriſtum figurabant,ex ipſo omniũ ratio ſumenda eſt.

ART.IIII.Vtrum asſignari posſit certa ratio cæremoniarum,quæ ad ſacra pertinent.

Concluſio.Vt Deum homines reuererentur,oportuit aliqua tẽpora,loca, & ſpeciales miniſtros ad cultum Dei deputari, uti ſacrificia,quibus Chriſtum perfectius repræſentarent.

ART.V.Vtrum ſacramentorum ueteris legis conueniens cauſa eſſe posſit.

Concluſio.Omnium ſacramentorum ueteris legis, cum ad populi ſanctificationem inſtituta fuerint à Deo,aliqua ſingulorum literalis & figuralis ratio eſſe poteſt.

AR. VI.Vtrum fuerit aliqua rationabilis cauſa obſeruantiarum cæremonialium.

Concluſio. Omnium obſeruãtiarum ueteris legis requirenda eſt ratio,uel ſecundum relationem ad cultum diuinum, uel ut referuntur ad uitam Chriſtianorum.

QVAESTIO CIII.

De duratione cæremonialium preceptorum, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum cæremoniæ legis fuerint ante legem

Conclusio. Fuerunt non solum in lege, sed ante, aliquæ à sanctis patribus cæremoniæ ad debitum Deo cultum exhibendum institutæ.

ART.II. Vtrum cæremoniæ ueteris legis haberēt uirtutem iustificandi tempore legis.

Conclusio. Cæremoniæ in ueteri lege non iustificabant, nisi à nonnullis corporalibus immunditiis ; à peccatis autem fide Christo adiuncta, ut interiora iustificationis protestationes.

AR. III. Vtrum cæremoniæ ueteris legis cessauerint in aduentu Christi.

Conclusio. Congruit cæremonias ueteris legis in aduentu Christi cessare, sicut in aduentu gloriæ cessabit lex noua, quò ad ea quæ fidei & spei sunt.

ART.IIII. Vtrum post passionem Christi legalia possint seruari sine peccato mortali.

Conclusio. Cùm cæremoniæ ueteris legis Christi uenturi mysteria significarent peccatum mortale esset, ea post Euangelii publicationem seruare.

QVAESTIO CIIII.

De præceptis iudicialibus, in 4. articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ratio præceptorum iudicialium consistat in hoc, quod sunt ordinantia ad proximum.

Conc. In duob⁹ cōsistit ratio iudicialiū pręcetorū, s. ut pertineāt ad ordinationē hoīum adinuicē, & ut nō habeāt uim obligādi ex sola ratiōe, sed institutiōe.

ART.II. Vtrum præcepta iudicialia aliquid figurent.

Con-

Conclusio. Præcepta iudicialia non primò & per se sed ex consequenti, ut & Iudæorum omnia, aliquid figurabant.

ART. III. Vtrum præcepta iudicialia ueteris legis perpetuam obligationem habeant.

Conclusio. Iudicialia legis præcepta post Euangelij prædicationem non amplius obligant homines ad sui obseruationem.

ART. IIII. Vtrum præcepta iudicialia possint habere aliquam certam diuisionem.

Conclusio. Cùm iudicialibus præceptis ordinentur homines adinuicem: eorum necesse est esse aliquã distinctionem, secũdũ quod talis partiri ordo potest.

QVAESTIO CV,

De iudicialium præceptorum causa & ratione, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum conuenienter lex uetus de principibus ordinauerit.

Conclusio. Rationabilis fuit in ueteri lege Principum & Rectorum secundùm iudicia, institutio.

ART. II. Vtrum conuenienter fuerint tradita præcepta iudicialia, quantum ad popularium conuictum.

Conclusio. Rationabile fuit pro popularium conuictu, aliqua iudicia & leges institui.

ART. III. Vtrum iudicialia præcepta sint conuenienter tradita, quantum ad extraneos.

Conclusio. Conueniens fuit Iudæorum populo, non solum ut inter se cõuiuerent, dari iudicialia præcepta, sed ut bene etiam ad extraneos se gererent.

ART. IIII. Vtrum conuenienter lex uetus præcepta ediderit circa domesticas personas.

Conclusio. Conueniens fuit ad humanæ uitæ conseruationem dari iudicialia præcepta, & quantum ad seruos, & quantum ad filios & uxores. QVAE

QVAESTIO CVI.

De lege Euangelica, quæ lex noua dicitur, secundum se, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum lex noua sit lex scripta.

Cõclusio. Lex noua principaliter ipsa gratia est Spiritusſancti in corde fidelium scripta; secũdariò aũt est lex scripta, prout in ea traduntur illa, quæ uel ad gratiam disponunt, uel ad usum ipsius gratiæ spectant.

ART. II. Vtrum lex noua iustificet.

Conclusio. Lex Euãgelica, cùm sit ipsa Spiritussancti gratia, necessariò hominẽ iustificat: nõ aũt ea, quæ scriptis traduntur, ipsũ hominem iustificare possunt.

ART. III. Vtrum lex noua debuerit dari à principio mundi.

Cõclusio. Cum lex noua sit ueteri lege perfectior, & sit gratia Spiritussancti: conueniens fuit, ut eã præcederet lex uetus.

ART. IIII. Vtrum lex noua sit duratura usque ad finem mundi.

Conclusio. Lex noua cùm omnibus modis perfecta fuerit, nulla ei lex succedet, sed usq; ad seculi consummationem duratura est.

QVAESTIO CVII.

De comparatione legis nouæ ad ueterem, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum lex noua sit alia à lege ueteri.

Conclusio. Cùm lex noua & uetus ad unum finẽ ordinentur, s. ut homines Deo subdantur, non sunt ab inuicem diuersæ: & si lex noua sit ueteri perfectior, propinquius ducens ad Deum, cùm sit lex charitatis.

ART.

ART.II. Vtrum lex noua legem ueterem impleat.

Cõcluſio. Lex noua cum ſit ueteri lege perfectior ipſam implet iuſtificando homines, quòd lex uetus promittebat, & figurabat: & Chriſti opere, dum ipſam ſeruauit & doctrina, quando ipſam expoſuit, & quædam perfectionis conſilia quæ ei deerant dignatus eſt ſuperaddere.

AR. III. Vtrum lex noua in lege ueteri contineatur.

Concluſio. Lex noua continetur in ueteri, ſicut fructus in ſpica.

ART. IIII. Vtrum lex noua ſit grauior quàm uetus.

Concluſio. Lex uetus grauior eſt noua, ipſa præceptorum multitudine & numeroſitate: nõ autẽ quantum ad modum operandi ſecundum uirtutem, qui proprius eſt nouæ legis, in qua quo ad interiores animi motus ipſi homines iuſti eſſe tenentur.

QVAESTIO CVIII.

De his quæ continentur in lege noua, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum lex noua aliquos exteriores actus debeat pręcipere uel prohibere.

Concluſio. Decuit in lege noua exteriores actus ſacramentales inſtitui ad gratiæ ſuſceptionem, & exteriores actus uirtutum præcipi, & uitiorum prohiberi, ut gratia iuſtificati, Chriſto interius in nobis operante cooperemur, ad promerendũ uitam æternam.

AR.II. Vtrum lex noua ſufficienter exteiores actus ordinauerit.

Concluſio. Quæcunque ad ſalutẽ neceſſaria ſunt in exterioribus actibus in noua lege cõtineri certum

est,cum & Sacramenta: & tam iudicialia quàm mora lia præcepta in ea habeantur.

ART. III. Vtrum lex noua hominem circa interiores actus sufficienter ordinauerit.

Conclusio. Non solum exteriores hominis actus, sed & interiores lex noua disponit, cum sit spiritualis tota & perfecta.

.ART. IIII. Vtrum conuenienter in lege noua consilia quædam determinata sint proposita.

Conclusio. Non tantùm præcepta, sed & consilia adhibere uoluit Christus in lege noua, quibus citius & expeditius homines beatitudinem assequerentur.

QVAESTIO CIX,

De exteriori principio humanorum actuum, & primò de gratia Dei, in decem articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum homo sine gratia aliquid uerum cognoscere posit.

Conclusio. Indiget homo ad cuiuscunque ueri notitiam habendam, diuino auxilio: non tamen noua illustratione suo lumini naturali superaddita ad quãcunque ueritatem cognoscendam, sed tantùm in his quæ naturalem ipsius facultatem excedunt: quamuis miraculose nonnunquam naturalia aliquos à Deo per internam gratiam edoctos fuisse, certum sit.

ART. II. Vtrum homo posit uelle & facere bonum absque gratia.

Conclusio. Indiguit homo (in statu naturæ integræ) gratuito quodam auxilio, ut bonum non naturale, sed supernaturale uellet & operaretur. at in statu naturæ lapsæ, quanquam particulare bonum uelle & operari posset: necessaria tamen ei diuina gratia fuit,

ut eius natura ſanaretur, & bonum uniuerſaliter operaretur & uellet.

ART. III. Vtrum homo poſsit diligere Deum ſuper omnia ex ſolis naturalibus ſine gratia.

Concluſio. Homo in ſtatu naturæ integræ, non indiguit diuinæ gratiæ gratuito auxilio uiribus naturalibus ſuperaddito, ad Deum ſuper omnia naturaliter diligendum, quãquam Dei ad hoc mouentis auxilio ei opus eſſet: at in ſtatu naturæ corruptæ, indiget ad hoc gratia ipſam naturam interius ſanante.

ART. IIII. Vtrum homo ſine gratia per ſua naturalia legis præcepta implere poſsit.

Concluſio. Potuit homo in ſtatu naturæ integræ omnia mandata legis ſeruare, quantum ad ipſam operum ſubſtantiam, non autem in ſtatu naturæ corruptæ: ſed quantum ad modum agendi, indiguit homo in utroque ſtatu diuina gratia, ut ea operari poſſet.

ART. V. Vtrum homo poſsit mereri uitam æternam ſine gratia.

Concluſio. Cùm uita æterna ſit finis ultimus hominis naturalem eius uirtutem excedens: non poteſt per ſua naturalia ipſum ſine diuinæ gratiæ auxilio cõſequi, uel mereri.

ART. VI. Vtrum homo poſsit ſeipſum ad gratiã præparare per ſeipſum abſque exteriori auxilio gratię.

Concluſio. Non poteſt homo per ſeipſum præparare ad diuinæ gratiæ lumen ſuſcipiendum, ſed Dei ipſum mouentis ad ſe indiget gratuito auxilio: ad meritoriè uerò operandum, & dignè Deo fruendum, indiget habituali gratiæ ipſius dono, quod huius tanti operis principium ſit.

ART. VII. Vtrum homo poſsit reſurgere à peccato ſine auxilio gratiæ.

Concluſio. Non poteſt homo ſine habituali gratiæ dono à peccato reſurgere, & ea reparare bona quæ per peccatum amiſit.

AR. VIII. Vtrum homo ſine gratia poſsit non peccare.

Concluſio. Quamuis homo in ſtatu naturæ integræ potuiſſet ſine habitualis gratiæ dono nec mortaliter, nec uenialiter peccare; in ſtatu tamē naturę corruptæ, non ualet ſine habituali gratia diu à mortali peccato abſtinere, etſi à uenialibus cauere poſsit.

ART. IX. Vtrum ille, qui iam conſecutus eſt gratiā per ſeipſum, poſsit operari bonum & ueritate peccatum abſque auxilio gratiæ.

Concluſio. Non poteſt homo in gratia conſtitutus bonum operari, & peccatum uitare, abſque alio Dei ad hoc auxilio: quanuis alia habitualis ipſius gratia ei ad hoc neceſſaria non ſit.

ART. X. Vtrum homo in gratia conſtitutus indigeat auxilio gratiæ ad perſeuerandum.

Concluſio. Indiget homo in gratia couſtitutus, ad hoc ut uſque ad finem uitæ ſuæ in bono perſeueret, non quidem habituali diuinæ gratiæ dono, ſed ſpeciali quodam diuino auxilio.

QVAESTIO CX.

De gratiæ eſſentia, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum gratia ponat aliquid in anima.

Concluſio. Gratia Dei eſt ſupernaturale donum in anima conſequens diuinam dilectionem, nō quidem communem, ſed ſpecialem, qua ei uult uitæ æternæ incommutabile bonum.

ART. II. Vtrum gratia ſit qualitas animæ.

Concluſio. Diuinæ gratiæ donum eſt, quædam animæ

mę collata qualitas, quo ad consequendam supernaturalem beatitudinis promouetur.

ART. III. Vtrum gratia sit idem quod uirtus.

Conclusio. Vt naturale lumen rationis aliquid est præter uirtutes acquisitas; ita supernaturale gratiæ lumen, siue donum, est aliquid præter uirtutes infusas, quibus homo perficitur ad ambulandum, secundum quod congruit diuinæ gratiæ lumini.

AR. IIII. Vtrum gratia sit in essentia animæ sicut in subiecto, an in aliquo potentiarum.

Conclusio. Gratia, cùm non uirtus, sed aliquid ea prius sit: non in potentijs animæ, sed in illius essentia necesse est esse, ut in proprio subiecto.

QVAESTIO CXI.

De diuisione gratiæ, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum gratia conuenienter diuidatur per gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam.

Conclusio. Cùm gratia sit, per quam homines ordinantur, & reducuntur in Deum : conuenienter diuiditur in gratiam gratum facientem, per quam homo per seipsum Deo coniungitur : & gratis datam, per quam unus homo alteri ad salutem cooperatur.

ART. II. Vtrum gratia conuenienter diuidatur per operantem, & cooperantem.

Conclusio. Habitualis gratia siue Dei gratuita motio, diuiditur in operantem, qua Deus sibi mentem nostram mouendo gratos facit: & cooperantem, quæ principium est operis meritorij ex libero arbitrio procedentis.

ART. IIII. Vtrum gratia conuenienter diuidatur in præuenientem, & subsequentem.

Conclusio. Diuiditur habitualis gratia in præueniẽtem, & subsequẽtem: præuenientem, qua natura sanetur ad bene operandum: subsequentem, qua natura iam sanata bene & meritoriè operetur.

ART. IIII. Vtrum gratia gratis data conueniẽter ab Apostolo diuidatur.

Conclusio. Varia dona sunt gratiæ gratis datæ: aliæ enim ad perfectionem cognitionis, ut fides, sapiẽtia, scientiæ sermo: alia ad doctrinæ confirmationem ut gratia sanitatum, operatio uirtutum, prophetia, discretio spirituũ: alia ad pronuntiandi facultatẽ spectant, ut genera linguarum, & sermonũ ĩterpretatio.

ART. V. Vtrum gratia gratis data sit dignior, quàm gratia gratum faciens.

Conclusio. Gratia gratum faciens, cum sit qua immediate homo ordinatur ad coniunctionem ultimi finis, gratis autem data ad hoc disponat, nobilior simpliciter est omnibus gratiis datis.

QVAESTIO CXII.

De causa gratiæ, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum solus Deus sit causa gratiæ.

Conclusio. Cùm gratia omnem naturæ facultatem excedat, à nullo nisi à Deo causari potest.

ART. II. Vtrum requiratur aliqua præparatio & dispositio ad gratiam ex parte hominis.

Conclusio. Ad gratiam ut quoddam habituale donum animæ est, aliqua ex parte hominis præparatio necessaria est: non autem, ut diuinum quoddam auxilium est animam mouens.

ART. III. Vtrum necessariò detur gloria se præparanti ad gratiam, uel facienti quod in se est.

Con-

Conclusio. Dispositio ad gratiam, ut ex libero arbitrio est, non necessitat ipsam, sed ut ex Deo mouente est, secundùm conditionē infallibilitatis potius quàm coactionis.

ART. IIII. Vtrum gratia sit maior in uno, quàm in alio.

Conclusio. Gratia gratum faciens nō potest secundum se maior in uno magis quam in alio esse: sed ex parte subiecti potest, secundum diuersitatem, & gradus, quibus unus alio magis ad gratiam dispositū est, siue ex se, siue ex Dei auxilio.

ART. V. Vtrum homo possit scire se habere gratiam.

Conclusio. Per Dei reuelationem, non autem per seipsum per certitudinem ullo modo cognoscere potest homo, se esse in gratia constitutum, cum ex sola Dei uoluntate hoc fit: quanquam signis & coniecturis possit credere se esse in gratia.

QVAESTIO CXIII.

De effectibus gratiæ, in decem articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum iustificatio impij sit remissio peccatorum.

Conclusio. Iustificatio impij est ipsa transmutatio hominis de statu innocentiæ in statum iustitiæ, per remissionem peccatorum facta.

ART. II. Vtrum ad remissionem culpæ, quæ est iustificatio impij, requiratur gratiæ infusio.

Conclusio. Non est ipsa peccatorum remissio absq; diuinæ gratiæ infusione.

AR. III. Vtrum ad iustificationem impij requiratur motus liberi arbitrij.

Conclusio. Necessarius est motus liberi arbitrij gratiam acceptantis ad ipsam iustificationem.

AR.IIII. Vtrum ad iustificationem impij requiratur motus fidei.

Conclusio. Motus fidei requiritur ad ipsam interioris hominis iustificationem, secundùm quem primò in Deum conuertatur.

ART. V. Vtrum ad iustificationem impij requiratur motus liberi arbitrij in peccatum.

Conclusio. Necessarius est in iustificatione liberi arbitri motus, quo non solum per modum desiderij in iustitiam inclinetur, sed ut per odium detestetur peccatum.

ART. VI. Vtrum remissio peccatorum debeat numerari inter ea, quæ requiruntur ad iustificationem impij.

Conclusio. Peccatorum remissio annumeratur in his, quæ in opere iustificationis sunt, tanquam illius consummatio.

ART. VII. Vtrum iustificatio impij fiat in instanti, uel successiuè.

Cōclusio. Cùm impij iustificatio fiat per diuinæ & habitualis gratiæ infusionē, necessariò fit in instanti.

ART. VIII. Vtrum gratiæ infusio sit prima ordine naturæ inter ea quæ requirūtur ad iustificationē impij.

Conclusio. In opere iustificationis primum est ipsa gratiæ diuinæ infusio, cùm sit ipsa Dei mouentis motio.

ART. IX. Vtrum iustificatio impij sit maximum opus Dei.

Conclusio. Cùm impij iustificatio terminetur ad bonum æternum diuinæ participationis, quod est maximum bonum: ipsum quoque iustificationis op⁹ maximum esse certum est.

ART. X. Vtrum iustificatio impij sit miraculosa.

Conclusio. Opus iustificationis miraculosum est,

quod ſola diuina uirtute fieri poteſt.

QVAESTIO CIIII.

De merito quò ad effectus gratiæ cooperantis, in decem articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum homo posſit aliquid mereri à Deo.

Concluſio. Poteſt homo apud Deũ aliquid mereri, non quidem ſecundùm abſolutam iuſtitiæ rationem, ſed ſecundùm diuinæ ordinationis quandam præſuppoſitionem.

ART. II. Vtrum aliquis ſine gratia posſit mereri uitã æternam.

Concluſio. Cum uita æterna omnem naturæ facultatem excedat: non poteſt homo in ſtatu naturæ integræ neque corruptæ ipſam, abſque gratia, & diuina reconciliatione, à Deo promereri.

ART. III. Vtrum homo in gratia conſtitutus posſit mereri uitam æternam ex condigno.

Concluſio. In gratia conſtitutus uitã ex condigno meretur æternam.

ART. IIII. Vtrum gratia ſit principium meriti principalius per charitatem quàm per alias uirtutes.

Concluſio. Gratia eſt principium operis meritorij, principalius per uirtutem charitatis, quàm per alias uirtutes.

ART. V. Vtrum homo posſit ſibi mereri primam gratiam.

Concluſio. Non poteſt homo primam gratiam aliquo modo mereri.

ART. VI. Vtrum homo poſsit alteri mereri primam gratiam.

Con-

Cõclusio. Nullus,nisi solus Christus, qui est caput Ecclesię,potest alteri homini mereri primam gratiã ex condigno,sed ex congruo.

ART. VII. Vtrum homo possit sibi mereri reparationem post lapsum.

Conclusio. Nullo modo potest aliquis sibi mereri reparationẽ post lapsum,sed hoc sola Dei miseratione obtinere ualet.

ART.VIII. Vtrum homo possit mereri augmentum gratiæ uel charitatis.

Conclusio.Potest aliquis in gratia constitutus pro mereri augmentum charitatis, cæterarumque uirtutum,sicut ipsam uitam æternam.

ART. IX. Vtrum homo possit perseuerantiam mereri.

Conclusio. Bonum perseuerantiæ in uia non cadit sub meritò, cùm ex sola ratione diuina dependeat; perseuerantiæ autem bonum,quod est gloria æterna, sub meritò cadit.

ART.X. Vtrum temporalia bona cadant sub merito

Conclusio.Non,nisi secundùm quid,temporalia & terrena bona sub meritò cadunt, inquãtum ijs homo ad uitam æternam consequendam iuuari aliquo modo potest.

QVAESTIONVM OMNIVM AC CONCLVSIONVM PRIMAE Secundæ Partis Summæ S. Thomæ Aquinatis, Finis.

SECVNDA SECVNDAE ANGELICI DOCTORIS SANCTI THOMAE Aquinatis, totam materiam moralem in particulari complectens.

QVAESTIO PRIMA.

De Fide, in decem articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTRVM obiectum fidei sit ueritas prima.

CONCLVSIO.

Cùm nihil sub fide cadat nisi in ordine ad Deum: ueritas prima eius formale obiectum est, cuius ratione his, quæ fidei sunt, assentimus.

ART. II. Vtrum obiectum fidei sit aliquid complexũ per modum enuntiabilis.

Conclusio. Quanquam obiectum fidei secundùm se incomplexũ quoddam sit: ex parte tamen credentis est aliquod complexum enuntiabile.

ART. III. Vtrum fidei possit subesse falsum.

Conclusio. Cùm fidei obiectum formale sit ueritas prima: ei nullum potest subesse falsum.

AR. IIII. Vtrũ obiectũ fidei possit esse aliquid uisum.

Conclusio. Fidei obiectum impossibile est esse aliquod uisum.

ART. V. Vtrum ea, quæ sunt fidei, possint esse scita.

Conclusio. Quæ cõmuniter & simpliciter sub fide continentur: non sunt scita, cùm uisa minimè sint.

ART

ART VI. Vtrum credibilia sint per certos articulos distinguenda.

Conclusio. Quæ fidei sunt, cum non una, sed quasi pluribus partialibus, ac specialibus rationibus sibi inuicem coaptatis, hominibus credenda proponantur, conuenienter sunt per certos distincta articulos.

ART VII. Vtrum articuli fidei secundum successionem temporum creuerint.

Conclusio. Non creuerunt secundum substantiam temporum successione fidei articuli, sed quæcunque posteriores crediderunt explicitè, eadem credidere implicitè præcedentes patres.

ART. VIII. Vtrum articuli fidei conuenienter enumerentur.

Cõclusio. Conuenienter sunt ab Ecclesia distincti fidei articuli in quatuordecim, uel duodecim: quorũ & aliqui ad fidem Diuinitatis, alij uerò ad fidem Humanitatis pertinent.

ART. IX. Vtrum conuenienter articuli fidei in symbolo ponantur.

Conclusio. Conuenienter, quæ hominibus credenda per certos articulos proponuntur, sunt ab Ecclesia in symbolo, seu collectione quasi in unum collecta, clarius explicata.

ART. X. Vtrum ad summum Pontificem pertineat fidei symbolum ordinare.

Conclusio. Cum summus Pontifex caput sit totius Ecclesiæ à Christo institutus: ad illum maximè spectat symbolum fidei edere, sicut etiam generalem synodum congregare.

QVAESTIO II.

De actu fidei, in decem articulos diuisa.

ART

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum credere sit cùm assensione cogitare.

Conclusio. Credere est cum assensu cogitare, nō ut cogitatio ad uim spectat cogitatiuam, seu ut communiter pro qualicunque actuali intellectus consideratione sumitur, sed ut importat intellectus considerationem cum aliqua inquisitione & uoluntatis consensu.

ART. II. Vtrum conuenienter distinguantur actus fidei, per hoc, quòd est credere Deo, credere Deum, & credere in Deum.

Conclusio. Distinguuntur tres fidei actus ex parte obiecti in ordine ad intellectum: 1. credere Deo, 2. credere Deum, & 3. credere in Deum.

ART. III. Vtrum credere aliquid supra rationem naturalem, sit necessarium ad salutem:

Conclusio. Cùm ultima hominis perfectio in Dei clara uisione consistat, ad quam naturalis ratio ascendere non ualet proprio motu: necessarium fuit ad salutem, aliqua hominibus per disciplinam fidei credenda proponi.

ART. IIII. Vtrum credere ea quæ ratione naturali probari possunt, sit necessarium.

Conclusio. Vt citius, & firmius Dei notitiam homines assequerentur; necessarium fuit homini, non solum suscipere per fidem ea, quæ supra rationem naturalem sunt, sed & ea quæ naturali lumine inuestigari possunt.

ART. V. Vtrum homo teneatur ad credendum aliquid explicitè.

Cōclusio. Tenetur homo explicite credere omnes fidei articulos: implicitè uerò quæcunque in sacra traduntur Scriptura.

AR-

ART. VI. Vtrum omnes æqualiter teneantur ad habendum fidem explicitam.

Cõclusio. Cùm ad maiores pertineat minores in fide erudire, eius pleniorem de credendis notitiam habere, & magis explicite credere oportet.

ART. VII. Vtrum explicite credere mysterium incarnationis Christi, sit de necessitate salutis apud omnes.

Conclusio Cùm per incarnationis mysterium fuerit ab æterno dispositum, ut suam homines assequerentur salutem; oportuit omni tempore credi aliquo modo explicitè mysterium incarnationis Christi.

AR. VIII. Vtrum explicitè credere Trinitatem, sit de necessitate salutis.

Conclusio. Sicut necessarium fuit absolutè credere explicitè mysterium incarnationis: ita ad salutem necessariũ fuit, explicitè credere mysterium Trinitatis.

AR. IX. Vtrum credere sit meritorium.

Conclusio. Cùm credere sit actus intellectus assentientis diuinæ ueritati ex imperio uoluntatis motæ per gratiam, potest esse meritorius uitę æternæ.

AR. X. Vtrum ratio inductiua ad ea, quæ sunt fidei, minuat meritum fidei.

Conclusio. Rationes humanæ, si ad diuina afferantur, ut eis per fidem assentiamus, meritum omne prorsus tollunt, si uerò afferantur, non ut credamus, sed ut magis, & firmius, quæ fidei sunt, suscipiamus; meritum non diminuunt.

QVAESTIO III.

De Exteriori actu fidei, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum confessio sit actus fidei.

Conclusio. Sicut interior conceptus eorum quæ fidei sunt, est propriè fidei actus: ita eorundem exterior confessio opus fidei est.

ART. II. Vtrum confessio fidei sit necessaria ad salutem.

Conclusio. Fidei confessio non semper & ad semper de necessitate salutis est, sed pro loco & tempore: quando uidelicet uel proximi per illius dimissio nem dimitteretur utilitas, uel Deo debitus honor.

QVAESTIO IIII.

De ipsa fidei uirtute, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum sit incompetens fidei deffinitio, quam Apostolus ponit ad Hebr. 11.

Cõclusio. Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.

ART. II. Vtrum fides sit intellectus sicut in subiecto.

Conclusio. Cùm credere sit actus intellectus necesse est, quòd fides, quæ propriè huius actus principium est, sit in intellectu tanquam in subiecto.

ART. III. Vtrum charitas sit forma fidei.

Conclusio. Charitas est forma fidei, inquantum per illam actus fidei formatur ac perficitur.

AR. IIII. Vtrum fides informis possit fieri formata, uel econuerso.

Conclusio. Fides informis, & formata, non diuersi sed unus & idem habitus esse dicitur ex ipsa charitate, quæ est illius forma.

AR. V. Vtrum fides sit uirtus.

Conclusio. Cùm fides formata sit principium actus perfecti, uirtus necessariò est: nõ autẽ fides informis.

AR.

ART.VI. Vtrum fides sit una uirtus.

Conclusio. Cùm obiectum fidei sit prima ueritas, fides necessariò una uirtus est, quæ diuersa fit in diuersis hominibus.

ART.VII. Vtrum fides sit prima inter uirtutes.

Conclusio. Quanquam nonnullæ uirtutes, ut fortitudo & humilitas, per accidēs ipsam fidem præcedere dicantur, tanquam dispositionem ad illam; ipa tamen fides prima uirtutum omnium simpliciter est.

ART.VIII. Vtrum fides sit certior sciētia, & aliis uirtutibus intellectualibus.

Conclusio. Quanquam sapientia, scientia, & intellectus, quò ad nos certiores sint ipsa fide: secundùm se tamen cùm fides primæ innitatur ueritati, ea est omnium uirtutum intellectualium certissima.

QVAESTIO V.

De habentibus fidem, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum angelus aut homo in prima sui conditione habuerit fidem.

Conclusio. Cùm angelus ante confirmationem, & homo ante peccatum eam beatitudinem nō habuerint, qua Deus per essentiam uidetur, necessariū fuit quanquam in Dei gratia essent, illos fidem habuisse.

ART.II. Vtrum in dæmonibus sit fides.

Cōclusio. Quanquam in dæmonibus ea fides nō sit quæ ex imperio uoluntatis à Deo mota est, tēdētis in bonum, est tamen fides aliqua in illis coacta, qua euidentia signorum diuinæ coguntur inniti auctoritati.

ART.III. Vtrum qui discredit unum articulum fidei, possit habere fidem informem de aliis articulis.

Con-

Cõcluſio. Impoſsibile ẽ, ẽt fidẽ informẽ in eo manere, qui unũ articulũ fidei nõ credit, & alia oĩa credit.

AR. IIII. Vtrũ fides poſsit ẽe maior in uno, q̃ in alio.

Concluſio. Poteſt in uno maior quàm in alio fides eſſe, non tantùm propter maiorem certitudinem, & firmitatem, ac deuotionis feruorem, ſed ſecundùm quod plura quis explicitè credit, quàm alius.

QVAESTIO VI.

De cauſa fidei, in duos articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum fides ſit homini à Deo infuſa.

Concluſio. Cùm ea quæ fidei ſunt, ſupra hominis naturam ſint, & illis aſſentiendo ſupra ſuam eleuetur naturam: quo ad aſſenſum, neceſſe eſt, ut ſit à Deo interius mouente per gratiam, & non ex nobis.

AR. II. Vtrum fides informis ſit donum Dei.

Concluſio. Informitas fidei non pertinet ad rationem ſpeciei ipſius fidei, cum fides dicatur informis propter defectum cuiuſdam exterioris formę. Et ideo illud eſt cauſa fidei informis, quod eſt cauſa fidei ſimpliciter dictæ: hoc autem eſt Deus: unde relinquitur quòd fides informis ſit donum Dei.

QVAESTIO VII.

De effectibus fidei, in duos articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum timor ſit effectus fidei.

Concluſio. Cùm per fidem informem apprehendamus Deum iuſtum de peccatis uindicatorem, & per fidem charitate formatam apprehendamus ipſum eſſe quoddam ſummum & altiſsimum bonum, à quo ſeparari peſsimum eſt: neceſſariò ex illa naſcitur in nobis ſeruilis timor, ex hac uerò filialis.

QVAESTIO CIII.

De duratione cæremonialium preceptorum, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum cæremoniæ legis fuerint ante legem.

Concluſio. Fuerunt non ſolum in lege, ſed ante, aliquæ à ſanctis patribus cæremoniæ ad debitum Deo cultum exhibendum inſtitutæ.

ART. II. Vtrum cæremoniæ ueteris legis haberēt uirtutem iuſtificandi tempore legis.

Concluſio. Cæremoniæ in ueteri lege non iuſtificabant, niſi à nonnullis corporalibus immunditiis; à peccatis autem fide Chriſto adiuncta, ut interiora iuſtificationis proteſtationes.

AR. III. Vtrum cæremoniæ ueteris legis ceſſauerint in aduentu Chriſti.

Concluſio. Congruit cæremonias ueteris legis in aduentu Chriſti ceſſare, ſicut in aduentu gloriæ ceſſabit lex noua, quò ad ea quæ fidei & ſpei ſunt.

ART. IIII. Vtrum poſt paſſionem Chriſti legalia poſſint ſeruari ſine peccato mortali.

Concluſio. Cùm cæremoniæ ueteris legis Chriſti uenturi myſteria ſignificarent peccatum mortale eſſet, ea poſt Euangelii publicationem ſeruare.

QVAESTIO CIIII.

De præceptis iudicialibus, in 4. articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ratio præceptorum iudicialium conſiſtat in hoc, quod ſunt ordinantia ad proximum.

Conc. In duob⁹ cōſiſtit ratio iudicialiū preceptorū, ſ. ut pertineāt ad ordinationē hoīum adinuicē, & ut nō habeāt uim obligādi ex ſola ratiōe, ſed inſtitutiōe.

ART. II. Vtrum præcepta iudicialia aliquid figurent.

Con-

Conclusio. Præcepta iudicialia non primò & per se sed ex consequenti, ut & Iudæorum omnia, aliquid figurabant.

ART. III. Vtrum præcepta iudicialia ueteris legis perpetuam obligationem habeant.

Conclusio. Iudicialia legis præcepta post Euangelij prædicationem non amplius obligant homines ad sui obseruationem.

ART. IIII. Vtrum præcepta iudicialia posint habere aliquam certam diuisionem.

Conclusio. Cùm iudicialibus præceptis ordinentur homines adinuicem: eorum necesse est esse aliquã distinctionem, secũdũ quod talis partiri ordo potest.

QVAESTIO CV,

De iudicialium præceptorum causa & ratione, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum conuenienter lex uetus de principibus ordinauerit.

Conclusio. Rationabilis fuit in ueteri lege Principum & Rectorum secundùm iudicia, institutio.

ART. II. Vtrum conuenienter fuerint tradita præcepta iudicialia, quantum ad popularium conuictum.

Conclusio. Rationabile fuit pro popularium conuictu, aliqua iudicia & leges institui.

ART. III. Vtrum iudicialia præcepta sint conuenienter tradita, quantum ad extraneos.

Conclusio. Conueniens fuit Iudæorum populo, non solum ut inter se cõuiuerent, dari iudicialia præcepta, sed ut bene etiam ad extraneos se gererent.

ART. IIII. Vtrum conuenienter lex uetus præcepta ediderit circa domesticas personas.

Conclusio. Conueniens fuit ad humanæ uitæ conseruationem dari iudicialia præcepta, & quantum ad seruos, & quantum ad filios & uxores.

QVAE-

QVAESTIO CVI.

De lege Euangelica, quæ lex noua dicitur, secundum se, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum lex noua sit lex scripta.

Cóclusio. Lex noua principaliter ipsa gratia est Spiritussancti in corde fidelium scripta; secúdariò aũt est lex scripta, prout in ea traduntur illa, quæ uel ad gratiam disponunt, uel ad usum ipsius gratiæ spectant.

ART. II. Vtrum lex noua iustificet.

Conclusio. Lex Euãgelica, cùm sit ipsa Spiritussancti gratia, necessariò hominẽ iustificat: nõ aũt ea, quæ scriptis traduntur, ipsũ hominem iustificare possunt.

ART. III. Vtrum lex noua debuerit dari à principio mundi.

Cõclusio. Cum lex noua sit ueteri lege perfectior, & sit gratia Spiritussancti: conueniens fuit, ut eã præcederet lex uetus.

ART. IIII. Vtrum lex noua sit duratura usque ad finem mundi.

Conclusio. Lex noua cúm omnibus modis perfecta fuerit, nulla ei lex succedet, sed usq; ad seculi consummationem duratura est.

QVAESTIO CVII.

De comparatione legis nouæ ad ueterem, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum lex noua sit alia à lege ueteri.

Conclusio. Cùm lex noua & uetus ad unum finẽ ordinentur, s. ut homines Deo subdantur, non sunt ab inuicem diuersæ: & si lex noua sit ueteri perfectior, propinquius ducens ad Deum, cùm sit lex charitatis.

ART.

ART.II. Vtrum lex noua legem ueterem impleat.

Cóclusio. Lex noua cum sit ueteri lege perfectior ipsam implet iustificando homines, quòd lex uetus promittebat, & figurabat: & Christi opere, dum ipsam seruauit & doctrina, quando ipsam exposuit, & quædam perfectionis consilia quæ ei deerant dignatus est superaddere.

AR. III. Vtrum lex noua in lege ueteri contineatur.

Conclusio. Lex noua continetur in ueteri, sicut fructus in spica.

ART. IIII. Vtrum lex noua sit grauior quàm uetus.

Conclusio. Lex uetus grauior est noua, ipsa præceptorum multitudine & numerositate: nō autē quantum ad modum operandi secundum uirtutem, qui proprius est nouæ legis, in qua quo ad interiores animi motus ipsi homines iusti esse tenentur.

QVAESTIO CVIII.

De his quæ continentur in lege noua, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum lex noua aliquos exteriores actus debeat præcipere uel prohibere.

Conclusio. Decuit in lege noua exteriores actus sacramentales institui ad gratiæ susceptionem, & exteriores actus uirtutum præcipi, & uitiorum prohiberi, ut gratia iustificati, Christo interius in nobis operante cooperemur, ad promerendū uitam æternam.

AR. II. Vtrum lex noua sufficienter exteiores actus. ordinauerit.

Conclusio. Quæcunque ad salutē necessaria sunt in exterioribus actibus in noua lege cōtineri certum

est,cum & Sacramenta: & tam iudicialia quàm moralia præcepta in ea habeantur.

ART. III. Vtrum lex noua hominem circa interiores actus sufficienter ordinauerit.

Conclusio. Non solum exteriores hominis actus, sed & interiores lex noua disponit,cum sit spiritualis tota & perfecta.

ART. IIII. Vtrum conuenienter in lege noua consilia quædam determinata sint proposita.

Conclusio. Non tantùm præcepta, sed & consilia adhibere uoluit Christus in lege noua, quibus citius & expeditius homines beatitudinem assequerentur.

QVAESTIO CIX,

De exteriori principio humanorum actuum, & primò de gratia Dei, in decem articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum homo sine gratia aliquid uerum cognoscere posit.

Conclusio. Indiget homo ad cuiuscunque ueri notitiam habendam, diuino auxilio: non tamen noua illustratione suo lumini naturali superaddita ad quãcunque ueritatem cognoscendam, sed tantùm in his quæ naturalem ipsius facultatem excedunt: quamuis miraculose nonnunquam naturalia aliquos à Deo per internam gratiam edoctos fuisse, certum sit.

ART. II. Vtrum homo posit uelle & facere bonum absque gratia.

Conclusio. Indiguit homo (in statu naturæ integræ) gratuito quodam auxilio, ut bonum non naturale, sed sup naturale uellet &, operaretur. at in statu naturæ lapsæ, quanquam particulare bonum uelle & operari posset: necessaria tamen ei diuina gratia fuit,

ut eius natura ſanaretur, & bonum uniuerſaliter operaretur & uellet.

ART. III. Vtrum homo poſsit diligere Deum ſuper omnia ex ſolis naturalibus ſine gratia.

Concluſio. Homo in ſtatu naturæ integræ, non indiguit diuinæ gratiæ gratuito auxilio uiribus naturalibus ſuperaddito, ad Deum ſuper omnia naturaliter diligendum, quāquam Dei ad hoc mouentis auxilio ei opus eſſet: at in ſtatu naturæ corruptæ, indiget ad hoc gratia ipſam naturam interius ſanante.

ART. IIII. Vtrum homo ſine gratia per ſua naturalia legis præcepta implere poſsit.

Concluſio. Potuit homo in ſtatu naturæ integræ omnia mandata legis ſeruare, quantum ad ipſam operum ſubſtantiam, non autem in ſtatu naturæ corruptæ: ſed quantum ad modum agendi, indiguit homo in utroque ſtatu diuina gratia, ut ea operari poſſet.

ART. V. Vtrum homo poſsit mereri uitam æternam ſine gratia.

Concluſio. Cùm uita æterna ſit finis ultimus hominis naturalem eius uirtutem excedens: non poteſt per ſua naturalia ipſum ſine diuinæ gratiæ auxilio cōſequi, uel mereri.

ART. VI. Vtrum homo poſsit ſeipſum ad gratiā præparare per ſeipſum abſque exteriori auxilio gratię.

Concluſio. Non poteſt homo per ſeipſum præparare ad diuinæ gratiæ lumen ſuſcipiendum, ſed Dei ipſum mouentis ad ſe indiget gratuito auxilio: ad meritoriè uerò operandum, & dignè Deo fruendum, indiget habituali gratiæ ipſius dono, quod huius tanti operis principium ſit.

ART. VII. Vtrum homo poſsit reſurgere à peccato ſine auxilio gratiæ.

Conclusio. Non potest homo sine habituali gratiæ dono à peccato resurgere, & ea reparare bona quæ per peccatum amisit.

AR. VIII. Vtrum homo sine gratia posit non peccare.

Conclusio. Quamuis homo in statu naturæ integræ potuisset sine habitualis gratiæ dono nec mortaliter, nec uenialiter peccare; in statu tamē naturę corruptæ, non ualet sine habituali gratia diu à mortali peccato abstinere, etsi à uenialibus cauere posit.

ART. IX. Vtrum ille, qui iam consecutus est gratiā per seipsum, posit operari bonum & ueritate peccatum absque auxilio gratiæ.

Conclusio. Non potest homo in gratia constitutus bonum operari, & peccatum uitare, absque alio Dei ad hoc auxilio: quanuis alia habitualis ipsius gratia ei ad hoc necessaria non sit.

ART. X. Vtrum homo in gratia constitutus indigeat auxilio gratiæ ad perseuerandum.

Conclusio. Indiget homo in gratia coustitutus, ad hoc ut usque ad finem uitæ suæ in bono perseueret, non quidem habituali diuinæ gratiæ dono, sed speciali quodam diuino auxilio.

QVAESTIO CX.

De gratiæ essentia, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum gratia ponat aliquid in anima.

Conclusio. Gratia Dei est supernaturale donum in anima consequens diuinam dilectionem, nō quidem communem, sed specialem, qua ei uult uitæ æternæ incommutabile bonum.

ART. II. Vtrum gratia sit qualitas animæ.

Conclusio. Diuinæ gratiæ donum est, quædam animæ

mę collata qualitas, quo ad consequendam supernaturalem beatitudinis promouetur.

ART. III. Vtrum gratia sit idem quod uirtus.

Conclusio. Vt naturale lumen rationis aliquid est præter uirtutes acquisitas; ita supernaturale gratiæ lumen, siue donum, est aliquid præter uirtutes infusas, quibus homo perficitur ad ambulandum, secundum quod congruit diuinæ gratiæ lumini.

AR. IIII. Vtrum gratia sit in essentia animæ sicut in subiecto, an in aliquo potentiarum.

Conclusio. Gratia, cùm non uirtus, sed aliquid ea prius sit: non in potentijs animæ, sed in illius essentia necesse est esse, ut in proprio subiecto.

QVAESTIO CXI.

De diuisione gratiæ, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum gratia conuenienter diuidatur per gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam.

Conclusio. Cùm gratia sit, per quam homines ordinantur, & reducuntur in Deum: conuenienter diuiditur in gratiam gratum facientem, per quam homo per seipsum Deo coniungitur: & gratis datam, per quam unus homo alteri ad salutem cooperatur.

ART. II. Vtrum gratia conuenienter diuidatur per operantem, & cooperantem.

Conclusio. Habitualis gratia siue Dei gratuita motio, diuiditur in operantem, qua Deus sibi mentem nostram mouendo gratos facit: & cooperantem, quæ principium est operis meritorij ex libero arbitrio procedentis.

ART. IIII. Vtrum gratia conuenienter diuidatur in præuenientem, & subsequentem.

Conclusio. Diuiditur habitualis gratia in præuenientem, & subsequētem: præuenientem, qua natura sanetur ad bene operandum: subsequentem, qua natura iam sanata bene & meritoriè operetur.

ART. IIII. Vtrum gratia gratis data conueniēter ab Apostolo diuidatur.

Conclusio. Varia dona sunt gratiæ gratis datæ: aliæ enim ad perfectionem cognitionis, ut fides, sapiētia, scientiæ sermo: alia ad doctrinæ confirmationem ut gratia sanitatum, operatio uirtutum, prophetia, discretio spirituū: alia ad pronuntiandi facultatē spectant, ut genera linguarum, & sermonū īterpretatio.

ART. V. Vtrum gratia gratis data sit dignior, quàm gratia gratum faciens.

Conclusio. Gratia gratum faciens, cum sit qua immediate homo ordinatur ad coniunctionem ultimi finis, gratis autem data ad hoc disponat, nobilior simpliciter est omnibus gratiis datis.

QVAESTIO CXII.

De causa gratiæ, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum solus Deus sit causa gratiæ.

Conclusio. Cùm gratia omnem naturæ facultatem excedat, à nullo nisi à Deo causari potest.

ART. II. Vtrum requiratur aliqua præparatio & dispositio ad gratiam ex parte hominis.

Conclusio. Ad gratiam ut quoddam habituale donum animæ est, aliqua ex parte hominis præparatio necessaria est: non autem, ut diuinum quoddam auxilium est animam mouens.

ART. III. Vtrum necessariò detur gloria se præparanti ad gratiam, uel facienti quod in se est.

Con-

Concluſio. Diſpoſitio ad gratiam, ut ex libero arbitrio eſt, non neceſſitat ipſam, ſed ut ex Deo mouente eſt, ſecundùm conditionẽ infallibilitatis potius quàm coactionis.

ART. IIII. Vtrum gratia ſit maior in uno, quàm in alio.

Concluſio. Gratia gratum faciens nõ poteſt ſecundum ſe maior in uno magis quam in alio eſſe: ſed ex parte ſubiecti poteſt, ſecundum diuerſitatem, & gradus, quibus unus alio magis ad gratiam diſpoſitũ eſt, ſiue ex ſe, ſiue ex Dei auxilio.

ART. V. Vtrum homo poſſit ſcire ſe habere gratiam.

Concluſio. Per Dei reuelationem, non autem per ſeipſum per certitudinem ullo modo cognoſcere poteſt homo, ſe eſſe in gratia conſtitutum, cum ex ſola Dei uoluntate hoc ſit: quanquam ſignis & coniecturis poſſit credere ſe eſſe in gratia.

QVAESTIO CXIII.

De effectibus gratiæ, in decem articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum iuſtificatio impij ſit remiſſio peccatorum.

Concluſio. Iuſtificatio impij eſt ipſa tranſmutatio hominis de ſtatu innocentiæ in ſtatum iuſtitiæ, per remiſſionem peccatorum facta.

ART. II. Vtrum ad remiſſionem culpæ, quæ eſt iuſtificatio impij, requiratur gratiæ infuſio.

Concluſio. Non eſt ipſa peccatorum remiſſio abſq; diuinæ gratiæ infuſione.

AR. III. Vtrum ad iuſtificationem impij requiratur motus liberi arbitrij.

Concluſio. Neceſſarius eſt motus liberi arbitrij gratiam acceptantis ad ipſam iuſtificationem.

AR.IIII. Vtrum ad iustificationem impij requiratur motus fidei.

Conclusio. Motus fidei requiritur ad ipsam interioris hominis iustificationem, secundùm quem primò in Deum conuertatur.

ART. V. Vtrum ad iustificationem impij requiratur motus liberi arbitrij in peccatum.

Conclusio. Necessarius est in iustificatione liberi arbitri motus, quo non solum per modum desiderij in iustitiam inclinetur, sed ut per odium detestetur peccatum.

ART. VI. Vtrum remissio peccatorum debeat numerari inter ea, quæ requiruntur ad iustificationem impij.

Conclusio. Peccatorum remissio annumeratur in his, quæ in opere iustificationis sunt, tanquam illius consummatio.

ART. VII. Vtrum iustificatio impij fiat in instanti, uel successiuè.

Cóclusio. Cùm impij iustificatio fiat per diuinæ & habitualis gratiæ infusionẽ, necessariò fit in instanti.

ART. VIII. Vtrum gratiæ infusio sit prima ordine naturæ inter ea quæ requirũtur ad iustificationẽ impij.

Conclusio. In opere iustificationis primum est ipsa gratiæ diuinæ infusio, cùm sit ipsa Dei mouentis motio.

ART. IX. Vtrum iustificatio impij sit maximum opus Dei.

Conclusio. Cùm impij iustificatio terminetur ad bonum æternum diuinæ participationis, quod est maximum bonum: ipsum quoque iustificationis opus maximum esse certum est.

ART. X. Vtrum iustificatio impij sit miraculosa.

Conclusio. Opus iustificationis miraculosum est, quod

quod sola diuina uirtute fieri potest.

QVAESTIO CIIII.

De merito quò ad effectus gratiæ cooperantis, in decem articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum homo possit aliquid mereri à Deo.

Conclusio. Potest homo apud Deū aliquid mereri, non quidem secundùm absolutam iustitiæ rationem, sed secundùm diuinæ ordinationis quandam præsup positionem.

ART. II. Vtrum aliquis sine gratia possit mereri uitā æternam.

Conclusio. Cum uita æterna omnem naturæ facultatem excedat: non potest homo in statu naturæ integræ neque corruptæ ipsam, absque gratia, & diuina reconciliatione, à Deo promereri.

ART. III. Vtrum homo in gratia constitutus possit mereri uitam æternam ex condigno.

Conclusio. In gratia constitutus uitā ex condigno meretur æternam.

ART. IIII. Vtrum gratia sit principium meriti principalius per charitatem quàm per alias uirtutes.

Conclusio. Gratia est principium operis meritorij, principalius per uirtutem charitatis, quàm per alias uirtutes.

ART. V. Vtrum homo possit sibi mereri primam gratiam.

Conclusio. Non potest homo primam gratiam aliquo modo mereri.

ART. VI. Vtrum homo posit alteri mereri primam gratiam.

Con-

Cóclusio. Nullus,nisi solus Christus, qui est caput Ecclesię,potest alteri homini mereri primam gratiã ex condigno,sed ex congruo.

ART. VII. Vtrum homo posſit sibi mereri reparationem post lapsum.

Conclusio. Nullo modo potest aliquis sibi mereri reparationẽ post lapsum,sed hoc sola Dei miseratione obtinere ualet.

ART.VIII. Vtrum homo posſit mereri augmentum gratiæ uel charitatis.

Conclusio.Potest aliquis in gratia constitutus pro mereri augmentum charitatis, cæterarumque uirtutum,sicut ipsam uitam æternam.

ART. IX. Vtrum homo posſit perseuerantiam mereri.

Conclusio. Bonum perseuerantiæ in uia non cadit sub meritò, cùm ex sola ratione diuina dependeat; perseuerantiæ autem bonum,quod est gloria æterna, sub meritò cadit.

ART.X. Vtrum temporalia bona cadant sub merito

Conclusio.Non,nisi secundùm quid,temporalia & terrena bona sub meritò cadunt, inquãtum ijs homo ad uitam æternam consequendam iuuari aliquo modo potest.

QVAESTIONVM OMNIVM AC CONCLVSIONVM PRIMAE Secundæ Partis Summæ S. Thomæ Aquinatis, Finis.

SECVNDA SECVNDAE ANGELICI DOCTORIS SANCTI THOMAE Aquinatis, totam materiam moralem in particulari complectens.

QVAESTIO PRIMA.

De Fide, in decem articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTRVM obiectum fidei sit ueritas prima.

CONCLVSIO.

Cùm nihil sub fide cadat nisi in ordine ad Deum: ueritas prima eius formale obiectum est, cuius ratione his, quæ fidei sunt, assentimus.

ART. II. Vtrum obiectum fidei sit aliquid complexũ per modum enuntiabilis.

Conclusio. Quanquam obiectum fidei secundùm se incomplexũ quoddam sit: ex parte tamen credentis est aliquod complexum enuntiabile.

ART. III. Vtrum fidei possit subesse falsum.

Conclusio. Cùm fidei obiectum formale sit ueritas prima: ei nullum potest subesse falsum.

AR. IIII. Vtrũ obiectũ fidei possit esse aliquid uisum.

Conclusio. Fidei obiectum impossibile est esse aliquod uisum.

ART. V. Vtrum ea, quæ sunt fidei, possint esse scita.

Conclusio. Quæ cõmuniter & simpliciter sub fide continentur: non sunt scita, cùm uisa minimè sint.

ART.

ART VI. Vtrum credibilia ſint per certos articulos diſtinguenda.

Concluſio. Quæ fidei ſunt, cum non una, ſed quaſi pluribus partialibus, ac ſpecialibus rationibus ſibi inuicem coaptatis, hominibus credenda proponantur, conuenienter ſunt per certos diſtincta articulos.

ART VII. Vtrum articuli fidei ſecundum ſucceſſionem temporum creuerint.

Concluſio. Non creuerunt ſecundum ſubſtantiam temporum ſucceſſione fidei articuli, ſed quæcunque poſteriores crediderunt explicitè, eadem credidere implicitè præcedentes patres.

ART. VIII. Vtrum articuli fidei conuenienter enumerentur.

Cõcluſio. Conuenienter ſunt ab Eccleſia diſtincti fidei articuli in quatuordecim, uel duodecim: quorũ & aliqui ad fidem Diuinitatis, alij uerò ad fidem Humanitatis pertinent.

ART. IX. Vtrum conuenienter articuli fidei in ſymbolo ponantur.

Concluſio. Conuenienter, quæ hominibus credenda per certos articulos proponuntur, ſunt ab Eccleſia in ſymbolo, ſeu collectione quaſi in unum collecta, clarius explicata.

ART. X. Vtrum ad ſummum Pontificem pertineat fidei ſymbolum ordinare.

Concluſio. Cum ſummus Pontifex caput ſit totius Eccleſiæ à Chriſto inſtitutus: ad illum maximè ſpectat ſymbolum fidei edere, ſicut etiam generalem ſynodum congregare.

QVAESTIO II.

De actu fidei, in decem articulos diuiſa.

ART

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum credere ſit cùm aſſenſione cogitare.

Concluſio. Credere eſt cum aſſenſu cogitare, nõ ut cogitatio ad uim ſpectat cogitatiuam, ſeu ut communiter pro qualicunque actuali intellectus conſideratione ſumitur, ſed ut importat intellectus conſiderationem cum aliqua inquiſitione & uoluntatis conſenſu.

ART. II. Vtrum conuenienter diſtinguantur actus fidei, per hoc, quòd eſt credere Deo, credere Deum, & credere in Deum.

Concluſio. Diſtinguntur tres fidei actus ex parte obiecti in ordine ad intellectum: 1. credere Deo, 2. credere Deum, & 3. credere in Deum.

ART. III. Vtrum credere aliquid ſupra rationem naturalem, ſit neceſſarium ad ſalutem:

Concluſio. Cùm ultima hominis perfectio in Dei clara uiſione conſiſtat, ad quam naturalis ratio aſcendere non ualet proprio motu: neceſſarium fuit ad ſalutem, aliqua hominibus per diſciplinam fidei credenda proponi.

ART. IIII. Vtrum credere ea quæ ratione naturali probari poſſunt, ſit neceſſarium.

Concluſio. Vt citius, & firmius Dei notitiam homines aſſequerentur; neceſſarium fuit homini, non ſolum ſuſcipere per fidem ea, quæ ſupra rationem naturalem ſunt, ſed & ea quæ naturali lumine inueſtigari poſſunt.

ART. V. Vtrum homo teneatur ad credendum aliquid explicitè.

Cõcluſio. Tenetur homo explicite credere omnes fidei articulos: implicitè uerò quæcunque in ſacra traduntur Scriptura.

AR-

ART. VI. Vtrum omnes æqualiter teneantur ad habendum fidem explicitam.

Cõclusio. Cùm ad maiores pertineat minores in fide erudire, eius pleniorem de credendis notitiam habere, & magis explicite credere oportet.

ART. VII. Vtrum explicite credere mysterium incarnationis Christi, sit de necessitate salutis apud omnes.

Conclusio Cùm per incarnationis mysterium fuerit ab æterno dispositum, ut suam homines assequerentur salutem; oportuit omni tempore credi aliquo modo explicitè mysterium incarnationis Christi.

AR. VIII. Vtrum explicitè credere Trinitatem, sit de necessitate salutis.

Conclusio. Sicut necessarium fuit absolutè credere explicitè mysterium incarnationis: ita ad salutem necessariũ fuit, explicitè credere mysterium Trinitatis.

AR. IX. Vtrum credere sit meritorium.

Conclusio. Cùm credere sit actus intellectus assentientis diuinæ ueritati ex imperio uoluntatis motæ per gratiam, potest esse meritorius uitę æternæ.

AR. X. Vtrum ratio inductiua ad ea, quæ sunt fidei, minuat meritum fidei.

Conclusio. Rationes humanæ, si ad diuina afferantur, ut eis per fidem assentiamus, meritum omne prorsus tollunt, si uerò afferantur, non ut credamus, sed ut magis, & firmius, quæ fidei sunt, suscipiamus; meritum non diminuunt.

QVAESTIO III.

De Exteriori actu fidei, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum confessio sit actus fidei.

Con-

Conclusio. Sicut interior conceptus eorum quæ fidei sunt, est propriè fidei actus: ita eorundem exterior confessio opus fidei est.

ART. II. Vtrum confessio fidei sit necessaria ad salutem.

Conclusio. Fidei confessio non semper & ad semper de necessitate salutis est, sed pro loco & tempore: quando uidelicet uel proximi per illius dimissionem dimitteretur utilitas, uel Deo debitus honor.

QVAESTIO IIII.

De ipsa fidei uirtute, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum sit incompetens fidei deffinitio, quam Apostolus ponit ad Hebr. 11.

Cõclusio. Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.

ART. II. Vtrum fides sit intellectus sicut in subiecto.

Conclusio. Cùm credere sit actus intellectus necesse est, quòd fides, quæ propriè huius actus principium est, sit in intellectu tanquam in subiecto.

ART. III. Vtrum charitas sit forma fidei.

Conclusio. Charitas est forma fidei, inquantum per illam actus fidei formatur ac perficitur.

AR. IIII. Vtrum fides informis posit fieri formata, uel econuerso.

Conclusio. Fides informis, & formata, non diuersi sed unus & idem habitus esse dicitur ex ipsa charitate, quæ est illius forma.

AR. V. Vtrum fides sit uirtus.

Conclusio. Cùm fides formata sit principium actus perfecti, uirtus necessariò est: nõ autẽ fides informis.

AR.

ART.VI.Vtrum fides ſit una uirtus.

Concluſio. Cùm obiectum fidei ſit prima ueritas, fides neceſſariò una uirtus eſt, quæ diuerſa ſit in diuerſis hominibus.

ART.VII.Vtrum fides ſit prima inter uirtutes.

Concluſio.Quanquam nonnullæ uirtutes,ut fortitudo & humilitas,per accidẽs ipſam fidem præcedere dicantur,tanquam diſpoſitionem ad illam; ipa tamen fides prima uirtutum omnium ſimpliciter eſt.

ART.VIII.Vtrum fides ſit certior ſciẽtia, & aliis uirtutibus intellectualibus.

Concluſio.Quanquam ſapientia, ſcientia, & intellectus,quò ad nos certiores ſint ipſa fide: ſecundùm ſe tamen cùm fides primæ innitatur ueritati, ea eſt omnium uirtutum intellectualium certisſima.

QVAESTIO V.

De habentibus fidem, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum angelus aut homo in prima ſui conditione habuerit fidem.

Concluſio.Cùm angelus ante confirmationem,& homo ante peccatum eam beatitudinem nõ habuerint,qua Deus per eſſentiam uidetur, neceſſariũ fuit quanquam in Dei gratia eſſent, illos fidem habuiſſe.

ART.II.Vtrum in dæmonibus ſit fides.

Cõcluſio.Quanquam in dæmonibus ea fides nõ ſit quæ ex imperio uoluntatis à Deo mota eſt, tẽdẽtis in bonum,eſt tamen fides aliqua in illis coacta,qua euidentia ſignorum diuinæ coguntur inniti auctoritati.

ART.III.Vtrum qui diſcredit unum articulum fidei, posſit habere fidem informem de aliis articulis.

Cōclusio. Impossibile ē, ēt fidē informē in eo manere, qui unū articulū fidei nō credit, & alia oīa credit.

AR. IIII. Vtrū fides possit ēe maior in uno, q̄ in alio.

Conclusio. Potest in uno maior quàm in alio fides esse, non tantùm propter maiorem certitudinem, & firmitatem, ac deuotionis feruorem, sed secundùm quod plura quis explicitè credit, quàm alius.

QVAESTIO VI.

De causa fidei, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum fides sit homini à Deo infusa.

Conclusio. Cùm ea quæ fidei sunt, supra hominis naturam sint, & illis assentiendo supra suam eleuetur naturam: quo ad assensum, necesse est, ut sit à Deo interius mouente per gratiam, & non ex nobis.

AR. II. Vtrum fides informis sit donum Dei.

Conclusio. Informitas fidei non pertinet ad rationem speciei ipsius fidei, cum fides dicatur informis propter defectum cuiusdam exterioris formę. Et ideo illud est causa fidei informis, quod est causa fidei simpliciter dictæ: hoc autem est Deus: unde relinquitur quòd fides informis sit donum Dei.

QVAESTIO VII.

De effectibus fidei, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum timor sit effectus fidei.

Conclusio. Cùm per fidem informem apprehendamus Deum iustum de peccatis uindicatorem, & per fidem charitate formatam apprehendamus ipsum esse quoddam summum & altissimum bonum, à quo se parari pessimum est: necessariò ex illa nascitur in nobis seruilis timor, ex hac uerò filialis.

ARV. II. Vtrum purificatio cordis sit effectus fidei.

Conclusio. Cum per fidem homo Deo diuinis inhæreat consequitur in eo per illam à peccatis purificatio, & eo maior, quò maiore fuerit fidelis charitate effectus.

QVAESTIO VIII.

De dono intellectus & scientiæ, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum intellectus sit donum Spiritussancti.

Conclusio. Indiget homo supernaturali lumine, ut ulterius penetret ad cognoscendũ quædam, quæ per lumen naturale cognoscere non ualet. Et illud lumen supernaturale homini datũ uocatur donũ intellectus.

ART. II. Vtrum donum intellectus possit simul esse cum fide.

Conclusio. Posibile est donum intellectus simu cum fide permanere, non quidem secundùm perfectam intelligentiam, uel quò ad ea, quæ per se sub fide cadunt, sed secundùm notitiam imperfectam, & quò ad ea tantùm quæ ad fidem ordinantur.

ART. III. Vtrum donum intellectus sit speculatiuum tantùm, an etiam practicum.

Conclusio. Quanquã intellectus donum, quo pars hominis perficitur superior, sit simpliciter magis speculatiuum quàm practicum: extensione tamen, & secundùm quid, practicum est.

ART. IIII. Vtrum donum intellectus insit omnibus habentibus gratiam.

Conclusio. Sicut charitas est in omnibus habentibus gratiam, ita & donum intellectus.

ART. V. Vtrum donum intellectus inueniatur etiam in non habentibus gratiam gratum facientem.

Con-

Conclusio. Nō poteſt donum intellectus in aliquo eſſe, qui diuina prorſus careat gratia.

ART. VI. Vtrum donum intellectus diſtinguatur ab alijs donis.

Cōclusio. Donum intellectus diſtinguitur ab alijs Spiritusſancti donis.

AR. VIII. Vtrum dono intellectus reſpondeat ſexta beatitudo: ſcilicet, Beati mundo corde, &c.

Conclusio. Dono intellectus ea correſpondet beatitudo, qua mundo corde beati in Euangelio dicuntur.

ART. VIII. Vtrum in fructibus fides reſpondeat dono intellectus.

Conclusio. Dono intellectus in uia correſpondet fides, id eſt, fidei certitudo, ut eius fructus: in patria uerò, gaudium.

QVAESTIO IX.

De dono ſcientiæ, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum ſcientia ſit donum.

Conclusio. Scientia eſt donum Dei, quo homo certum, & rectum iudiciū habet de rebus diuinis, diſcernendo credenda à non credendis: ſicut intellectus Dei donum eſt, quo eadē ſibi propoſita ſanè capiat.

ART. II. Vtrum ſcientiæ donum ſit circa res diuinas.

Conclusio. Donum ſcientiæ eſt circa res humanas, ſicut ſapiētia circa diuina, uel circa creaturas per res diuinas, & altisſimas cauſas.

AR. III. Vtrum ſcientiæ donum ſit ſcientia practicas

Conclusio. Scientiæ donum magis, & principaliùs ſpeculationē reſpicit, quo homo ſcit quæ fide tenere debeat; ſecūdariò aūt extendit ſe ad operationem, ſecundùm quod credibiliū ſciētia in agēdis dirigimur.

AR.IIII. Vtrum dono ſcientiæ reſpondeat tertia beatitudo, ſcilicet: Beati qui lugent, &c.

Cõcluſio. Dono ſcientiæ ea aptatur beatitudo, qua qui lugent, beati prædicantur.

QVAESTIO DECIMA.

De infidelitate in communi, in duodecim articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum infidelitas ſit peccatum.

Concluſio. Infidelitas negatiuè, magis pœna eſt, quàm peccatum: at infidelitas cõtrariè, qua quis fidei repugnat, uel ipſam contemnit, peccatum eſt.

ART. II. Vtrum infidelitas ſit in intellectu ſicut in ſubiecto.

Concluſio. Cùm diſſentire, quod eſt actus infidelitatis, ſit actus intellectus moti à uoluntate: neceſſariò ipſum infidelitatis peccatum ſubiectiuè quidem in intellectu eſt, in uoluntate uerò ut in proximo motiuo.

ART. III. Vtrum infidelitas ſit maximum peccatorum.

Concluſio. Quia per infidelitatis peccatum homines magis elongantur, quàm per cætera; ideo grauiſſimum eorum peccatorum eſt, quæ cõtingunt in morum peruerſitate.

ART. IIII. Vtrum omnis actio infidelis ſit peccatũ.

Concluſio. Tametſi infideles diuina gratia careant quia tamen ex infidelitate non corrumpitur totum natura bonum, poſſunt aliquid boni operari, quanquam non meritorium uitæ æternæ.

ART. V. Vtrum ſint plures infidelitatis ſpecies.

Concluſio. Plures & determinatæ ſunt infidelitatis ſpecies, ſi ſecundùm comparationem ad fidem conſidere-

deretur, ſcilicet, 1. Paganorum, 2. Iudeorum, & 3. Hæreticorum: plures autem & indeterminatæ, ſi conſiderentur uarij infidelitatis errores in diuerſis hominibus.

AR. VI. Vtrum infidelitas Gentilium ſeu Paganorum ſit cæteris grauior.

Concluſio. Quanquam Gentiū (cùm in pluribus errent quàm Iudæi, & Iudæi quàm hæretici) infidelitas, ea quæ Iudæorum, grauior eſt, & Iudæorum, ea quæ eſt Hæreticorum: Hæreticorum tamen infidelitas cæteris longè grauior eſt.

ART. VII. Vtrum ſit cùm infidelibus publicè diſputandum.

Concluſio. Publicè diſputare cum infidelibus corā fidelibus idiotis & ſimplicibus, dubitādo de fide, peccatum eſt: at diſputare de fide ad exercitium, coram tamen ſapientibus, & firmis in fide, uel ad errores cōfutandum, laudabile eſt.

ART. VIII. Vtrum infideles compellendi ſint ad fidem.

Concluſio. Infideles, qui nunquam fidem ſuſceperunt, ut Iudæi & Gentiles, nullo modo ſunt ad fidem compellendi: at infideles hæretici & apoſtatæ ſunt cogendi, ut id adimpleant quod promiſerunt.

ART. IX. Vtrum cum infidelibus posſit cōmunicari.

Concluſio. Non poſſunt fideles cum hæreticis & apoſtatis infidelibus communicare, ſicut cum infidelibus Iudæis, uel Paganis, qui nunquam fidem ſuſceperunt: at fideles firmi in fide poſſunt cū infidelibus Iudæis, uel Paganis communicare, cùm per illos facile ſit eorum ſperare ſalutem, non autem hoc licet fidelibus ſimplicibus & idiotis.

ART. X. Vtrum infideles posſint habere prælationē, ſeu dominium ſupra fideles.

Conclusio. Non sunt infideles assumendi ad dominium seu prælaturam fidelium: at si præexistant, tolerandi uidentur.

ART. XI. Vtrum infidelium ritus sint tolerandi.

Conclusio. Infidelium ritus qui aliquid utilitatis, uel ueritatis ipsis afferant fidelibus, tolerandi sunt; reliquorum uerò ritus, nullo modo tolerandi sunt.

AR. XII. Vtrũ pueri iudæorum & aliorum infideliũ, sint inuitis parentibus baptizandi.

Conclusio. Nõ sunt infidelium pueri inuitis parentibus baptizandi.

QVAESTIO XI.

De Hæresi, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum hæresis sit infidelitatis species.

Conclusio. Hæresis est infidelitatis species, ad eos pertinens, qui fidem Christi professi sunt, & eius dogmata corrumpunt.

ART. II. Vtrum hæresis sit propriè circa ea, quæ sunt fidei.

Conclusio. Hæresis cõsistit circa ea, quæ fidei sunt, scilicet fidei articulos, & quæ ad ipsos sequuntur, dissentiendo cum pertinacia ab illis.

ART. III. Vtrum hæretici sint tolerandi.

Conclusio. Quanquam hæretici tolerandi non sint ipso illorum demerito: usque tamen ad secundam correptionem expectandi sunt, ut ad sanam redeant Ecclesiæ fidem; qui non rescipiscentes ab errore, nõ modò excommunicationis sententiæ, sed secularibus principibus exterminandi tradendi sunt.

ART. IIII. Vtrum reuertentes ab hæresi, sint ab Ecclesia recipiendi.

Conclusio. Quanquam hæretici reuertẽtes semper

reci-

recipiendi ſint ad pœnitentiam, quotieſcunque relapſi fuerint: non tamen ſunt recipiendi & reſtituendi ad bonorum huius uitæ participationem.

QVAESTIO XII.

De Apoſtaſia, in duos articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum apoſtaſia pertineat ad infidelitatem.

Concluſio. Apoſtaſia ſimpliciter, qua quis à fide retrocedit, ad ſpeciem pertinet infidelitatis, non autem apoſtaſia ab ordine uel religione.

AR. II. Vtrũ prīceps propter apoſtaſiã à fide amittat dñium in ſubdictos; ita quod ei obedire non teneant.

Concluſio. Quam cito quis per ſententiam denunciatur propter apoſtaſiam excommunicatus; ipſo facto eius ſubditi à dominio & iuramento fidelitatis eius liberati ſunt.

QVAESTIO XIII.

De peccato blaſphemiæ in generali in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum blaſphemia opponatur confesſioni fidei.

Concluſio. Blaſphemiæ uitium ad infidelitatem in tantum ſpectat, inquantum per illam homo corde, uel ore ſecundũ intellectũ, uel affectum Deo tribuit quæ ei non conueniunt, uel negat quæ ei conueniũt.

AR. II. Vtrũ blaſphemia ſemper ſit peccatũ mortale.

Concluſio. Cũ per blaſpemiam homines derogent diuinæ bonitati, quæ charitatis obiectum eſt: ipſa neceſſario peccatum mortale eſt ex ſuo genere.

ART. III. Vtrum peccatum blaſphemiæ ſit maximũ peccatum.

Concluſio. Blaſphemiæ uitium omnium peccatorũ ex ſuo genere grauisſimum eſt.

ART. IIII. Vtrum damnati blasphement.

Conclusio. Est in damnatis blasphemia, quędam interior diuinæ iustitiæ in corde detestatio, quæ erit ēt post resurrectionem exterior in ore ac uoce.

QVAESTIO XIIII.

De blasphemia in Spiritum sanctum, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum peccatum in Spiritū sanctum sit idem quod peccatum ex certa malitia.

Conclusio. Peccare in Spiritum sanctum dicitur non modo qui quippiam blasphemum dicit contra tres diuinas personas, uel contra tertiam personā Trinitatis, uel finalis impœnitentia, seu qui usq; ad mortem in mortali peccato perseuerat: sed qui peccat ex certa malitia, eligendo malum, seu impediendo, & à se repellendo quæcunque illum à peccato retrahere possent.

ART. II. Vtrum conuenienter assignentur sex species peccati in Spiritum sanctum, scilicet desperatio, præsumptio, &c.

Conclusio. Sex sunt peccati in Spiritum sanctum species: 1. Desperatio, 2. præsumptio 3. impœnitentia, 4. obstinatio, 5. impugnatio ueritatis agnitæ, 6. inuidentiæ fraternæ gratiæ.

ART. III. Vtrum peccatum in Spiritum sanctum sit irremissibile.

Conclusio. Peccatum in Spiritum sanctum, id est, finalis impœnitentia, est irremissibile, inquantū post hanc uitam nulla est pœnitentia; uel ideo irremissibile, in quia ea amouet per quæ remittantur peccata; uel quia ex se meretur, ut non remittantur, cum ex malitia peccare grauissimum sit.

ART.

ART. IIII. Vtrum homo posit primò peccare in Spiritum sanctum.

Conclusio. Non contingit hominem à principio in Spiritum sanctum peccare, id est, ex certa malitia, neque peccato finalis impœnitentię: potest tamen primo quis peccare in Spiritum sanctum, abiiciēdo per contemptum ea, per quæ retrahitur à peccato.

QVAESTIO XV.

De uitijs oppositis scientiæ & intellectui, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum cæcitas mentis sit peccatum.

Conclusio. Voluntaria cæcitas mentis, qua homo abiicit à se diuinorum notitiam, uel quam incurrit homo occupando se his quæ magis diligit, quam ueritatem peccatum est.

ART. II. Vtrum hebetudo sensus sit aliud peccatum à cæcitate mentis.

Conclusio. Sic sensus hebetudo, & mentis cæcitas dono intellectus opponuntur, quòd ipsa sensus hebetudo est quædam mentis debilitas circa spiritualium bonorum considerationem; cæcitas uerò mentis, omnimodam ipsorum cognitionem importat.

ART. III. Vtrum cęcitas mentis & hebetudo sensus oriantur ex peccatis carnalibus.

Conclusio. Ex gulæ uitio oritur sensus hebetudo, ex luxuria uerò ipsa mentis cæcitas.

QVAESTIO XVI.

De præceptis fidei, scientiæ & intellectus, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrū in ueteri lege debuerint dari præcepta credēdi.

Con-

Conclusio. In ueteri lege non erant secreta fidei po pulo exponenda, & ideo supposita fide unius Dei, nulla alia præcepta sunt in ueteri lege data de fide.

ART. II. Vtrum in ueteri lege conuenienter tradantur præcepta pertinentia ad scientiam & intellectũ.

Conclusio. Necessarium fuit in ueteri lege dari pręcepta quæ hominem quò ad intellectum & scientiã perficerent.

QVAESTIO XVIII.

De spe, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum spes sit uirtus.

Conclusio. Cùm per spẽ fiat actus hominis bonus, debitam regulam attingens, scilicet Deum eam quoque uirtutum esse, necessarium est.

ART. II. Vtrum beatitudo æterna sit obiectum proprium spei.

Conclusio. Proprium ac principale spei obiectum est ipsa æterna beatitudo.

ART. III. Vtrum aliquis possit sperare alteri beatitudinem æternam.

Conclusio. Quanquam non absolute, pręsupposita tamen charitate potest quilibet non tantum sibi, sed alteri æternam sperare uitam.

AR. IIII. Vtrum aliquis possit licitè sperare in hoĩe.

Conclusio. Sicut non licet sperare aliquod bonum præter beatitudinem sicut ultimum finem, sed solum sicut id quod est ad finem beatitudinis ordinatũ: ita etiam non licet sperare de aliquo homine, uel de aliqua creatura, sicut de prima causa mouente in beatitudinem, sed sicut de agente secundario & instrumẽtali, per quod aliquis adiuuatur ad quæcunque bona consequenda in beatitudinem ordinatã.

AR.

ART. V. Vtrum ſpes ſit uirtus Theologica.

Concluſio. Cùm ſpei obiectum ſit ipſe Deus, ipſa eſt uirtus Theologica.

ART. VI. Vtrum ſpes ſit uirtus diſtincta ab aliis uirtutibus Theologicis.

Concluſio. Spes contra alias Theologicas uirtutes diſtinguitur, quod ea ſola eſt qua Deo inhæremus, ut in nobis principium eſt bonitatis perfectæ, & per eam diuino auxilio nitimur ad beatitudinem obtinendam.

ART. VII. Vtrum ſpes præcedat fidem.

Concluſio. Fides ſpem abſolutè præcedit cum per illam nobis innoteſcat, quod poſſumus uitam adipiſci æternam, & quòd ad hoc diuinum paratum eſt auxilium.

ART. VIII. Vtrum charitas ſit prior ſpe.

Concluſio. Quãquam origine ſpes charitate prior ſit, perfectione tamen charitas ſpem ipſam præcedit.

QVAESTIO XVIII.

De ſubiecto ſpei, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ſpes ſit in uoluntate ſicut in ſubiecto.

Concluſio. Cùm ſpei obiectum ſit bonum diuinũ: ipſa non in appetitu ſenſitiuo, ſed in intellectiuo, & in uoluntate eſt, ut in ſuo proprio ſubiecto.

ART. II. Vtrum ſpes ſit in beatis.

Concluſio. Non poteſt in beatis ſpes eſſe, ſicut nec fides cùm eorum beatitudo non iam futura, ſed præſens ſit.

AR-

AR. III. Vtrum spes sit in damnatis.

Conclusio. Nulla est in damnatis spes, cum certi sint, se nunquam pœnas æternas euasuros.

AR. IIII. Vtrum spes uiatorum habeat certitudinem.

Conclusio. Est spes in uiatoribus certa, non quidē essentialiter, sed participatiuè per fidem. Nam spes non innititur principaliter gratiæ iam habitæ: sed diuinæ omnipotentiæ & misericordiæ, per quam etiam qui gratiam non habet, eam consequi potest, ut sic ad uitam ęternam perueniat. De omnipotentia autē Dei & misericordia eius certus est, quicunque fidē habet.

QVAESTIO XIX.

De dono timoris, in duodecim articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus posśit timeri.

Conclusio. Potest Deus timeri, non quidem sicut aliquod malum, sed ut à quo malum aliquod pœnæ esse potest: quod est bonum simpliciter, malum autem secundùm quid.

ART. II. Vtrum timor conuenienter diuidatur in filialem, initialem, seruilem & mundanum.

Conclusio. Quilibet timor aut filialis, aut initialis, aut seruilis, uel mundanus est.

ART. III. Vtrum timor mundanus sit semper malus.

Conclusio. Cùm timor mūdanus à mala sit radice, scilicet ab amore mundi: sēper malus necessariò est.

AR. IIII. Vtrum timor seruilis sit bonus.

Conclusio. Quanquam timoris seruilitas mala sit: ipse tamen seruilis timor charitate ordinatus, secundùm suam substantiam bonus est.

ART. V. Vtrum timor seruilis sit idem in substantia cum timore filiali.

Conclusio. Cùm timor seruilis pœnæ refugiat malum, filialis uerò culpam: necessariò specie distinguntur filialis ac seruilis timor.

ART. VI. Vtrum timor seruilis remaneat cum charitate.

Conclusio. Timor, inquantum seruilis, non manet cum charitate. Sed substantia timoris seruilis cum charitate manere potest, sicut amor serui manere potest cum charitate.

ART. VII. Vtrum timor sit initium sapientiæ.

Conclusio. Articuli fidei principia & initia sunt essentialiter ipsius sapientiæ, cuius tamen, quò ad effectum, timor tam seruilis, quàm filialis initium esse dicitur, etsi non eadem ratione.

ART. VIII. Vtrum timor initialis differat, secundùm substantiam, à timore filiali.

Conclusio. Non differunt essentialiter initialis & filialis timor, sed unus & idem prorsus timor est, secundùm perfectum & imperfectum uariatus.

ART. IX. Vtrum sit timor donum Spiritussancti.

Conclusio. Timor Domini Dei castus uel filialis donum est Spiritussancti, quo nos uoluntariè Deum reueremur, & nos ipsi subducere refugimus.

ART. X. Vtrum crescente charitate, diminuatur timor.

Conclusio. Crescente charitate crescit filialis ac castus timor, & diminuitur is qui seruilis est.

ART. XI. Vtrum timor remaneat in patria.

Conclusio. Nullo modo seruilis, seu pœnæ timor erit in patria, cum ibi sit secura & æterna beatitudinis participatio.

AR. XII. Vtrum paupertas ſpiritus ſit beatitudo reſpondens dono timoris.

Concluſio. Paupertas ſpiritus ad eos pertinere certum eſt, qui filiali timore Deo ſe uoluntariè ſubijciunt.

QVAESTIO XX,

De deſperatione, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum deſperatio ſit peccatum.

Concluſio. Deſperatio, qua quis falſam de Deo exiſtimationem habet, peccatum eſt: ſicut ſpes, qua quis ueram de Deo, exiſtimationem habet, uirtus, ac bonum eſt.

AR. II. Vtrum deſperatio ſine infidelitate eſſe poſsit.

Concluſio. Poteſt deſperatio abſque infidelitate eſſe, ſicut cætera peccata.

ART. III. Vtrum deſperatio ſit maximum peccatorum.

Concluſio. Quanquam infidelitatis, & odij Dei peccata, magis homines à Deo auertentia, grauiora ſint ſecundùm ſe deſperatione; quò ad nos tamen ea eſt grauior, & maioribus periculis obnoxios reddit.

AR. IIII. Vtrum deſperatio ex acedia oriatur.

Concluſio. Nonnunquam deſperationis peccatum ex luxuria oritur, qua homini carnalibus affecto, diuina uileſcunt: nonnunquam autem ex acedia, qua homo animo ita deijcitur ac proſternitur, ut impoſsibile reputet poſſe conſequi aliquod bonum, ſiue per ſe, ſiue alterius auxilio.

QVAESTIO XXI.

De Præſumptione, in quatuor articulos diuiſa.

AR.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum præsumptio innitatur Deo, an propriæ uirtuti.

Conclusio. Non modò Deo, sed & propriæ innititur uirtuti præsumptionis peccatum. Præsumptio autem, qua quis inordinatè innititur Deo, grauius peccatum est, quàm præsumptio, qua quis innititur propriæ uirtuti.

ART. II. Vtrum præsumptio sit peccatum.

Conclusio. Præsumptio, qua quis existimat Deum iniustum, peccatum est in Spiritumsanctum, quanquam minus desperationis uitio.

ART. III. Vtrum præsumptio magis opponatur timori, quàm spei.

Conclusio. Præsumptio directius cõtrariatur spei, quàm timori. Nam spei contrariatur ratione proprię differentiæ, sicut inordinatum ordinato. Totaliter autem excludit timorem etiam secundùm genus.

ART. IIII. Vtrũ pręsumptio causetur ex inani gloria.

Conclusio. Præsumptio, quæ propriæ innititur uirtuti, ex inani gloria nascitur: quæ uerò diuinæ uirtuti, ex superbiæ uitio.

QVAESTIO XXII.

De Præceptis pertinentibus ad spem & timorem, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum de spe debeat dari aliquod præceptum.

Conclusio. Dari necessarium fuit ante legem præcepta aliqua spei per modum promissionis, quibus homines ad legis obseruantiam inducerentur; & post legem, eadem dari oportuit per modum admonitionis uel præcepti, ut maiori diligentia legem custodirent.

ART. II. Vtrũ de timore fuerit dandum aliquod præceptum.

Concluſio. Sicut ſpei dari oportuit aliqua præcepta; ita & timoris, tam filialis quàm ſeruilis.

QVAESTIO XXIII.

De charitate ſecundùm ſe, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum charitas ſit amicitia.

Concluſio. Charitas eſt quædam ſingularis amicitia hominis ad Deum.

ART. II. Vtrùm charitas ſit aliquid creatum in anima.

Concluſio. Charitas eſt habitus in anima creatus, quo homo inclinatur in actus omnium uirtutum propter Deum, ut illos promptè & faciliter operetur.

ART. III. Vtrum charitas ſit uirtus.

Concluſio. Charitas, cùm Deum attingat, ipſi nos coniungens, uirtus eſt.

ART. IIII. Vtrum charitas ſit uirtus ſpecialis.

Concluſio. Cùm bonum diuinum ut obiectũ beatitudinis ſit charitatis obiectum, alijs neceſſariò annumeratur uirtutibus ut ſpecialis uirtus.

AR. V. Vtrum charitas ſit una uirtus.

Concluſio. Cùm una ſit ſimpliciter diuina bonitas, & æternæ beatitudinis communicatio: charitas quæ hæc reſpicit, una eſt ſimpliciter uirtus, non in plures diſtincta.

AR. VI. Vtrum charitas ſit excellentiſsima uirtutum.

Concluſio. Charitas inter omnes uirtutes excellentiſsima eſt, cùm Deum attingat ut in ipſo ſiſtat, & non ut ex eo nobis aliquid proueniat.

ARV. VII. Vtrum sine charitate possit esse aliqua uera uirtus.
Conclusio. Cùm per charitatem homo in ultimum finem dirigatur; nulla potest absque illa simpliciter uera uirtus esse.
ART. VIII. Vtrum charitas sit forma uirtutum
Conclusio. Charitas omnium uirtutum forma est, cum per ipsam omnium uirtutum actus in debitum & ultimum finem ordinentur.

QVAESTIO XXIIII.

De charitatis subiecto, in duodecim articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum uoluntas sit subiectum charitatis.
Cōclusio. Cùm charitatis obiectum nō sit aliquod sensibile bonum, sed diuinum: eius subiectum non appetitus sensitiuus, sed intellectiuus est, qui dicitur uoluntas.
AR. II. Vtrū charitas causetur in nobis ex infusione.
Conclusio. Ipsa uirtus charitatis cùm sit fundata super communicationem æternæ beatitudinis; nō est naturalis, uel per uires naturales acquisita, sed per infusionem Spiritussancti in anima hominis infusa.
ART. III. Vtrum charitas infundatur secundùm capacitatem naturalium.
Cōclusio. Charitas non dependet secundùm suam quantitatem ex natura conditione, uel naturali capacitate, sed ex sola Spiritussancti gratia eam infundentis.
ART. IIII. Vtrum charitas augeri possit.
Conclusio. Charitas uiæ usque ad uiæ terminum augeri potest.

ART. V. Vtrum charitas augeatur per additionem.

Concluſio. Charitas nullo modo augeri poteſt per additionem charitatis ad charitatem, ſed augetur in quantum intenditur in ſubiecto.

ART. VI. Vtrum quolibet actu charitatis charitas augeatur.

Concluſio. Non augetur charitas actu quocunque charitatis niſi diſpoſitiuè; in quantum ex uno ipſius actu redditur homo promptior ad agendum ſecundũ charitatem.

AR. VII. Vtrum charitas augeatur in infinitum.

Concluſio. Charitas, cùm ſit Spiritusſancti participatio, à Deo in anima humana: nullus eius augmento terminus præfigi in hac uita poteſt.

ART. VIII. Vtrum charitas in hac uita poſsit eſſe perfecta.

Cõcluſio. Quanquam charitas ex parte diligibilis, non ualet eſſe perfecta: ex parte tamen diligentium perfecta eſſe poteſt, cùm quantum poſsibile eſt ipſi Deum diligant.

ART. IX. Vtrum conuenienter diſtinguantur tres gradus charitatis, incipiens, proficiens, & perfecta.

Concluſio. Diſtinguitur charitas ſecundùm triplicem gradum: 1. incipientium, 2 proficientium, & 3. perfectorum: quod incipientium charitas receſſu à peccato, proficientium uerò in uirtutum exercitatione, perfectorum uerò in æterna gloriæ fruitione conſiſtit.

ART. X. Vtrum charitas poſsit diminui.

Concluſio. Quanquam charitas ſecundùm ſe, ac directè nullatenus diminui posſit: diſpoſitiuè tamen, & indirectè per uenialia peccata, & ceſſando ab opere uirtutum, poteſt diminui.

ART.

ART. XI. Vtrũ charitas ſemel habita poſsit amitti.

Concluſio. Quanquã patriæ charitas, ubi Deus per eſſentiã uidetur, amitti nullatenus poſsit: charitas tamen uiæ, in cuius ſtatu Dei eſſentia nõ uidetur, amitti aliquo actu peccati poteſt.

AR. XII. Vtrum charitas amittatur per unum actum peccati mortalis.

Concluſio. Quouis actu peccati mortalis poteſt amitti charitas.

QVAESTIO XX V.

De obiecto charitatis, in duodecim articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrũ dilectio charitatis ſiſtat in Deo, an ſe extendat etiam ad proximum.

Concluſio. Cùm charitatis obiectũ Deus ſit: ea non ſolùm ſe extẽdit ad Deum, ſed etiam ad dilectionem proximi.

AA. II. Vtrum charitas ſit ex charitate diligenda.

Concluſio. Diligitur charitas, non quidẽ ſicut amoris obiectum, ſed tanquã bonum quod uolumus his quos ex charitate diligimus.

AR. III. Vtrũ creaturæ irrationales ſint ex charitate diligendæ.

Cõcluſio. Ad irrationales creaturas charitatis amor non extenditur, ut ad id, cui bonũ uelimus, ſed ut bonũ quod hominibus à nobis ex charitate dilectis uolumus.

AR. IIII. Vtrũ homo debeat ſeipſum ex charitate diligere.

Cõcluſio. Inter ea, quæ ex charitate diligimus quaſi ad Deũ pertinentia, ſeipſum homo diligere debet.

AR.V. Vtrũ homo debeat corpus suum ex charitate diligere.

Cõclusio. Corpus nostrũ, cùm sit à Deo, ipsum quoque ex charitate, qua Deũ diligimus, amare debemus quanquam ipsum odisse potius, quàm amare teneamur quò ad culpæ ac pœnæ infectionem.

AR. VI. Vtrum peccatores sint ex charitate diligendi.

Conclusio. Quãuis quò ad eorum culpam diligendi ex charitate peccatores non sint; secundũ tamen naturam suã, ut diuinæ beatitudinis capaces, ipsos quoque diligere debemus.

ART. VII. Vtrum peccatores diligant seipsos.

Conclusio. Diligunt mali seipsos, secundũ exterioris hominis corruptionẽ: sicut boni amant seipsos, secundùm interioris hominis integritatẽ & perfectionem.

AR. VIII. Vtrum sit de necessitate charitatis, ut inimici diligantur.

Cõclusio. Nõ sunt inimici, ut inimici, ex charitate diligẽdi, sed potius odiendi; secundùm suam autem naturã excipiendi non sunt à dilectionis generalitate & non nisi in necessitatis articulo in particulari tenemur illos diligere etsi perfectionis esset eos absq; necessitatis articulo amare.

AR. XI. Vtrum sit de necessitate salutis quòd aliquis signa & effectus dilectionis inimico exhibeat.

Conclusio. Sunt quædã signa uel beneficia dilectionis, quæ exhibentur proximis in communi, puta cũ aliquis orat ꝓ omnibus fidelibus. Et talia inimicis exhibere est de necessitate pręcepti. Alia uerò sunt, quæ quis exibet particulariter aliquibus personis. Et talia inimicis exhibere non est de necessitate salutis, nisi in articulo necessitatis. Sed quòd præter articu-

lum

lum neceſſaria huiuſmodi beneficia aliquis inimicis exhibeat,pertinet ad perfectionem charitatis.

ART. X. Vtrum debeamus angelos ex charitate diligere.

Concluſio. Non modo proximos nobis,ſed angelos etiam ex charitate diligere debemus.

AR.XI.Vtrũ debeamꝰ dæmões ex charitate diligere.

Concluſio.Illud bonum uitæ æternæ, quod reſpicit charitas ſpiritibus illis à Deo æternaliter dãnatis ex charitate uelle non poſſumus.Sed naturam dæmonum ex charitate diligere poſſumus, inquantum ſcilicet uolumus illos ſpiritus in ſuis naturalibus conſeruari ad gloriam Dei.

AR.XII. Vtrum conuenienter enumerentur quatuor ex charitate diligenda,ſcilicet,Deus,proximus,corpus noſtrum,& noſipſi.

Concluſio. Quatuor ſunt ex charitate diligibilia; 1.Deus,2.proximus,3. corpus noſtrum,ac 4.nos ipſi.

QVAESTIO XXVI,

De ordine charitatis,in tredecim articulos diuiſa

ARTICVLVS I.

Vtrum in charitate ſit ordo.

Concluſio.Charitatis aliquem oportet ordinẽ eſſe cùm ea ſe extendat in Deum tanquam beatitudinis principium in cuius communicatione charitatis amicitia fundatur.

AR.II. Vtrum Deus ſit magis diligendus,quam proximus.

Cõcluſio. Cum Deus ſit obiectum ac beatitudinis cauſa,ipſe quoque magis & prius diligendus eſt.

ART. III. Vtrum homo debeat ex charitate plus

Deum diligere, quàm seipsum

Conclusio. Vnaquæque pars naturaliter plus amat commune bonum totius, quàm particulare bonum proprium. Vnde multo magis hoc uerificatur in amicitia charitatis, quæ fundatur super communicationem donorum gratiæ. Et ideo ex charitate magis debet homo diligere Deum, qui est bonum commune omnium, quam seipsum: quia beatitudo est in Deo sicut in communi & fontali principio omnium, qui beatitudinem participare possunt.

ART. IIII. Vtrum homo ex charitate magis debeat diligere seipsum, quàm proximum.

Conclusio. Sicut unitas prior est, quam unio: ita quod homo ipse participet bonum diuinum, est potior ratio diligendi, quam quod alius associetur sibi in hac participatione. Et ideo homo ex charitate debet magis seipsum diligere quam proximum.

AR. V. Vtrum homo magis debeat diligere proximum, quàm corpus proprium.

Conclusio. Proximum magis, quò ad animæ salutē quam corpus proprium ex charitate diligere homines tenentur.

AR. VI. Vtrum unus proximus sit magis diligendus. quam alius.

Conclusio. Non æqualiter proximi sunt à nobis ex charitate diligendi, sed magis uel minus, secundum quod illos contingit nobis, seu Deo propinquiotes esse.

AR. VII. Vtrum magis debeamus diligere meliores, quam nobis coniunctiores.

Conclusio. Ad eos qui non sunt nobis cōiūcti, non habemus nisi amicitiam charitatis. Ad eos uerò, qui sunt nobis coniuncti, habemus aliquas alias amicitias, secūdū modum coniunctionis eorum ad nos. Et

ita ex

ita ex charitate eliciente cum imperāte pluribus modis diligimus magis nobis coniunctos.

A R T. VIII. Vtrum ſit magis diligendus ille, qui nobis eſt magis coniunctus ſecundùm carnalem originem.

Concluſio. Coniunctio naturalis originis eſt prior & immobilior, quia eſt ſecundum id quod pertinet ad ſubſtantiam: aliæ autem coniunctiones ſunt ſuper uenientes, & remoueri poſſunt. Et ideo amicitia conſanguineorum eſt ſtabilior, ſed aliæ amicitiæ poſſunt eſſe potiores ſecundùm illud, quod eſt proprium uni cuique amicitiæ.

A R T. IX. Vtrum homo ex charitate magis debeat diligere filium, quàm patrem.

Concluſio. Pater naturaliter plus diligit filium ſecundùm rationem cōiunctionis ad ſeipſum. Sed ſecūdùm rationem eminentioris boni, filius naturaliter plus diligit patrem. Et propter hoc parentibus à filijs magis debetur honor: filijs autem magis debetur cura prouiſionis.

A R T. V X. Vtrum homo magis debeat diligere matrem, quàm patrem.

Concluſio. Pater magis eſt per ſe diligendus quàm mater, cùm ſit actiuum generationis principium, mater uerò paſsiuum.

A R T. XI. Vtrum homo plus debeat diligere uxorem quàm patrem & matrem.

Concluſio. Quanquam intenſius uxor ſit ex charitate diligenda, tanquam nobis magis coniuncta: maior tamen eſt parentibus ex charitate reuerentia exhibenda.

A R T. XII. Vtrum homo magis debeat diligere benefactorem, quàm beneficiatum.

Concluſio. Benefactor eſt à nobis magis diligēdus,

cùm sit boni in beneficiato principium: beneficiatos tamen magis diligunt benefactores, tanquam sibi magis coniunctos.

AR. XIII. Vtrum ordo charitatis remaneat in patria.

Conclusio. Ordo charitatis, quo Deus semper omnia diligendus est, necessariò manet in patria. Sed de ordine suiipsius ad alios, secundum intentionem dilectionis, aliquis plus seipsum diliget, quàm proximũ etiam meliorem: ad hoc enim donum charitatis unicuique confertur à Deo, ut primò quidem mentem suam in Deum ordinet, quod pertinet ad dilectionẽ suiipsius. Secundariò uerò ordinem aliorum in Deum uelit. Sed quantum ad ordinem proximorum adinuicem, simpliciter quis magis diliget meliorem, secundum charitatis amorem. Continget tamen in patria quòd aliquis sibi cõiunctum pluribus modis diliget. Non enim cessabunt ab animo beati honestæ dilectionis causæ. tamen omnibus istis rationibus præfertur incomparabiliter ratio dilectionis, quæ sumitur ex propinquitate ad Deum.

QVAESTIO XXVII.

De principali actu charitatis, qui est dilectio, in septem articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum charitati sit magis proprium amari, quàm amare.

Conclusio. Charitas, cum sit uirtus, magis cõsistit in amare, quàm in amari.

ART. II. Vtrum amare, secundum quod est actus charitatis, sit idem quod beneuolentia.

Conclusio. Quanquã in dilectione secundum quod est charitatis actus, includatur beneuolentia; addit tamen dilectio beneuolentiæ unionẽ affectus amãtis

ad

ad amatum, quam non includit beneuolentia, quæ est simplex uoluntatis actus, quo alicui bonum uolumus.

ART. III. Vtrum Deus sit propter seipsum ex charitate diligendus.

Cóclusio. Cum Deus sit ipsa essentia bonitatis per se, & ultimus finis omnium propter seipsum quoque diligendus est, quanquam dispositiue ipse propter aliquid a nobis diligi possit, quo inducimur ad ipsum amantum.

ART. IIII. Vtrum Deus in hac uita possit immediatè amari.

Conclusio. Quanquam mediatè Deum in uia cognoscamus; ipsum tamen charitatis dilectione immediate diligimus, alia uerò Deo mediante.

ART. V. Vtrum Deus possit totaliter amari.

Conclusio. Quamuis homo possit Deum totaliter id est, omnia quę ad ipsum spectant diligere, uel quæcunque hominis sunt, in eius dilectionem referre, nó potest tamen ipsum homo diligere totaliter, id est, quantum ipse diligibilis est.

AR. VI. Vtrum diuinæ dilectionis sit aliquis modus habendus.

Conclusio. Cùm omnium humanarum actionum atque affectionum ultimi finis sit ipsa Dei dilectio, nullus ei est modus, uel terminus imponendus, sed quanto plus diligitur, tantò erit dilectio melior.

ART. VII. Vtrum sit magis meritorium diligere inimicum, quàm amicum.

Conclusio. Sicut idem ignis in propinquiora fortius agit, quam in remotiora: ita etiam charitas feruētius diligit coniuctos, quàm remotos. Et quantum ad hoc dilectio amicorum secundum se considerata, est feruentior & melior, quam dilectio inimicorum.

ART.

ART. VIII. Vtrum ſit magis meritorium diligere proximum, quam diligere Deum.

Cõcluſio. Comparatio iſta poteſt intelligi uno modo, ut ſeorſum conſideretur utraq; dilectio: & tũc nõ eſt dubiũ, quin dilectio Dei eſt magis meritoria. Alio modo, ut dilectio Dei accipiatur, ſm quod ſolus diligitur; dilectio aũt proximi accipiatur, ſecũdum quod proximus diligitur propter Deum. Et ſic dilectio proximi includit dilectionem Dei: ſed dilectio Dei non includit dilectionẽ proximi. Vnde erit comparatio dilectionis Dei perfectæ, quæ extendit ſe etiã ad proximum ad dilectionem Dei inſufficientem imperfectam: & in hoc ſenſu dilectio proximi præeminet:

QVAESTIO XXVIII.

De Gaudio, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum gaudium in nobis ſit effectus charitatis.

Concluſio. Spirituale gaudium, quod de Deo habetur ex charitatis dilectione cauſatur.

ART. II. Vtrum gaudium Spirituale, quod ex charitate cauſatur, recipiat admixtionem triſtitiæ.

Concluſio. Ex charitate cauſatur duplex gaudium de Deo: Vnum principale, quod eſt proprium charitatis, quo ſcilicet gaudemus de bono diuino ſecũdum ſe conſiderato. Et tale gaudium permixtionem triſtitiæ non patitur, ſicut nec illud bonum, de quo gaudetur, poteſt aliquam mali admixtionem habere. Aliud autem eſt gaudium charitatis, quo gaudet aliquis de bono diuino, ſecundum quod participatur à nobis, quod poteſt habere permixtionem triſtitiæ: prout ſcilicet aliquis triſtatur de eo, quod repugnat participationi diuini boni uel in nobis, uel in proximis.

ART.III. Vtrum spirituale gaudium, quod ex charitate causatur, possit in nobis impleri.

Conclusio. Spirituale gaudium, quod in nobis ex charitate causatur quanquam in uia impleri non possit, in patria tamen sic implebitur, quod in ea omne nostrum desiderium quiescet.

ART.IIII. Vtrum gaudium sit uirtus.

Conclusio. Gaudium nō est aliqua uirtus à charitate distincta, sed est quidam charitatis actus siue effectus. Et propter hoc connumeratur inter fructus.

QVAESTIO XXIX.

De Pace, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS

Vtrum pax sit idem quod concordia.

Cōclusio. Vbicunque est pax, ibi est concordia; nō tamen ubicunque est concordia, ibi est pax, si nomen pacis propriè sumatur. Concordia enim importat unionem appetituum diuersorum appetentium. Pax autem supra hanc unionem importat etiam appetituum unius appetentis unionem.

ART.II. Vtrum omnia appetant pacem.

Conclusio. Cùm pax in tranquillitate ordinis consistat, omnia pacem appetere necesse est, inquantum tranquillè & absque impedimento peruenire desiderant ad id, quod appetunt.

ART.III. Vtrum pax sit proprius effectus charitatis.

Conclusio. Pax proprius est charitatis effectus, ut ipsa charitatis dilectio se ad Deum & proximum extendit.

ART.III. Vtrum pax sit uirtus.

Concluſio. Non eſt pax aliqua à charitate diſtincta uirtus, ſed eſt illius effectus, quemadmodum & gaudium.

QVAESTIO XXX.

De Miſericordia, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum malum ſit propriè motiuum ad miſericordiam.

Concluſio. Malum præcipue, quod quis iniuſtè patitur motiuum eſt ad miſericordiam.

ART. II. Vtrum defectus ſit ratio miſerendi ex parte miſerentis.

Concluſio. Semper aliquis defectus poteſt alicui eſſe ratio miſerendi, uel inquantum quis alterius malū ut ſuum reputat propter unionem amoris, uel quia posſibile eſt ipſum quoque ſimilia pati.

ART. III. Vtrum miſericordia ſit uirtus.

Concluſio. Miſericordia, non quæ dolor eſt ſenſitiui appetitus, ſed intellectiui, à ratione regulata, uirtus neceſſario eſt.

ART. IIII. Vtrum miſericordia ſit maxima uirtutum.

Concluſio. Miſericordia, quamuis ſecundum ſe maxima ſit, reſpectu tamen habentis, ſolum in Deo maxima eſt: in cæteris autem charitatis maior eſt, quam miſericordia.

QVAESTIO XXXI.

De Beneficentia, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum beneficentia ſit actus charitatis.

Concluſio. Beneficentia, ſecundum ſuam communem rationem amicitiæ, ſeu charitatis actus eſt: ſecundum ſpecialem autem boni rationem, posſibile eſt eſſe alicuius alterius uirtutis actum.

AR-

ART. II. Vtrum ſit omnibus benefaciendum.

Concluſio. Cum dilectio charitatis ſe extendat ad omnes, etiam beneficentia ſe debet extendere ad omnes, pro loco tamen & tempore.

ART. III. Vtrum ſit benefaciendum his, qui ſunt nobis magis coniuncti.

Concluſio. Quanquam coniunctis magis benefaciendum ſit, quàm extraneis: in caſu tamen neceſsitatis nonnunquam extraneis magis benefaciendum eſt.

AR. IIII. Vtrum beneficentia ſit uirtus ſpecialis.

Concluſio. Beneficentia non eſt uirtus à charitate diſtincta, ſed eſt illius quidam ſpecialis actus, uel effectus.

QVAESTIO XXXII.

De Eleemoſina, in decem articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum dare eleemoſynam ſit actus charitatis.

Concluſio. Eleemoſynam dare actus charitatis eſt per miſericordiæ effectum.

ART. II. Vtrum conuenienter eleemoſynarum genera diſtinguantur.

Concluſio. Septem ſunt miſericordiæ opera, ſeu corporales eleemoſynæ in corporalibus defectibus proximis exhibendæ, & totidem ſpirituales, in ſpiritualibus defectibus exhibendæ.

ART. III. Vtrum eleemoſynæ corporales ſint potiores, quàm ſpirituales.

Concluſio. Cùm ſimpliciter ſpirituales eleemoſynæ ſint corporalibus præferendæ: aliqua tamen corporalis eleemoſyna in caſu, eſt ſpirituali eminentior ac præſtantior.

ART.

ART. IIII. Vtrum eleemosynæ corporales habeant effectum spiritualem.

Conclusio. Quanquam corporalium eleemosynarum secundùm suam naturam, non sit spiritualis aliquis, sed corporalis effectus: ex parte tamē motiui ad corporales eleemosynas, quod est charitas Dei & proximi, reliqua ex ipsis est expectāda spiritualis utilitas.

ART. V. Vtrum dare eleemosynam sit in præcepto.

Conclusio. Eleemosynam de superfluo dare, & necessitatem patienti, est in præcepto: cæteris autem largiri eleemosynas, cōsilij potius, quàm pręcepti est.

ART. VI. Vtrum quis debeat dare eleemosynam de necessario.

Conclusio. De eo quòd simpliciter ad uitam uel ad personæ statum necessarium est, eleemosyna dari non debet, nisi in casu, quo bono communi subueniretur: quanquam laudabile esset, necessaria etiam ad status & personæ conditionem, largiri indigentibus.

ART. VII. Vtrum posit fieri eleemosyna de iniustè acquisitis.

Conclusio. Ex iniustè acquisitis per furtum, usurā uel rapinam non potest fieri eleemosyna, sed restitutio fieri debet: iniustè uerò quæ quis per simoniam, aut subuersionem iustitiæ accepit, in eleemosynas elargiri tenetur: ex turpi lucro uerò eleemosyna fieri potest si uelit qui acquisiuit.

ART. VIII. Vtrum ille, qui est in potestate alicuius constitutus, posit eleemosynam facere.

Conclusio. Sub alterius potestate constitutus de his tantùm quorum ipse dominus est, eleemosynam licitè facere potest: non autem de his, quæ domini sui sunt, nisi in casu extremæ necessitatis.

ART. IX. Vtrum sit magis propinquioribus elemosyna danda.

Con-

Cõclusio. Illi qui sunt nobis magis coniuncti, quasi quadã forte nobis obueniũt, ut eis magis prouidere debeamus. Est tamẽ circa hoc discretionis ratio adhibẽda secũdùm differentiã cõiunctionis, & sanctitatis & utilitatis. Nam multò sanctiori magis indigentiam patiẽti, & magis utili ad commune bonum est magis eleemosina danda, quàm personæ propinquiori.

ART. X. Vtrum eleemosina sit abundanter facienda.

Conclusio. Abundanter eleemosinã facere, ut indigentiã suppleat recipientis, & ut sit secundũ propriæ facultatis proportionẽ facta, laudabile est: sed uitium est abundanter sic dare, nt recipiens superfluũ habeat.

QVAESTIO XXXIIII.

De correctione fraterna, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum fraterna correctio sit actus charitatis.

Conclusio. Duplex est correctio delinquentis. Vna quidem, quæ adhibet remedium peccato, inquantum est quoddã malum ipsius peccãtis, & ista est propriè fraterna correctio, quæ ordinatur ad emendationem delinquẽtis. Et est actus charitatis potius quã curatio infirmitatis corporalis, uel subuentio, qua excluditur exterior egestas. Alia uerò correctio est, quæ adhibet remediũ peccati delinquẽtis, secundùm quod est in malum aliorũ, & præcipuè in nocumentum cõis boni. Er talis correctio est actus iustitiæ, cuius est conseruare rectitudinem iustitiæ unius ad alterum.

ART. II. Vtrum correctio fraterna sit in præcepto.

Conclusio. Correctio fraterna ordinatur ad fratris emendationem, & ideo hoc modo cadit sub præcepto, secundùm quod est necessaria ad istum finem; nõ autem ita, quòd quolibet loco uel tempore frater delinquens corrigatur.

ART.

ART.III. Vtrum correctio fraterna pertineat solùm ad Prælatos.

Conclusio. Correctio quæ actus est charitatis, non modò ad Prælatos, sed ad quoscunque charitatem habentes spectat: sed correctio quæ est actus iustitiæ, ad solos Prælatos & iudices attinet.

ART.IIII. Vtrum quis teneatur corrigere Prælatum suum.

Conclusio. Correctio, quæ est actus iustitiæ per correctionem pœnæ, nō competit subditis respectu Prælati. Sed correctio fraterna, quæ est actus charitatis, pertinet ad unumquemque respectu cuiuslibet personæ, ad quam charitatem debet habere, si in eo aliquid corrigibile inueniatur. Sed in correctione, qua subditi corrigūt Prælatos, debet modus cōgruus adhiberi, ut scilicèt non cum proteruia & duritia, sed cum mansuetudine & reuerentia corrigantur.

ART. V. Vtrum peccator debeat corrigere delinquentem.

Conclusio. Cùm peccatū non tollat totum rationis iudicium, potest peccator absque incursu peccati, delinquentem corrigere, quanquam nonnullum correctioni talis peccatoris afferatur impedimentum.

ART. VI. Vtrum quis debeat à correctione cessare, propter timorem, ne ille fiat deterior.

Cōclusio. Quanquam nunquam iustitiæ correptio quæ ad Prælatos spectat, dimittenda sit propter turbationem eius qui corripitur: correptio tamen charitatis fraternæ, ubi probabiliter æstimatur quòd peccator admonitionem non suscipiens, in peiora labatur, est laudabiliter dimittenda.

AR.VII. Vtrum in correctione fraterna debeat ex necessitate præcepti, admonitio secreta præcedere denuntiationem.

Con-

Conclusio. Oportet secretã admonitionẽ publicã procedere delinquẽtis denuntiationẽ,ubi peccata occulta sunt,& nõ contra commune bonũ:ubi uerò publica peccata sunt,uel occulta cõtra bonũ commune commissa,non est necesse præcedere secretam admonitionem sed procedendùm est ad denuntiationem.

ART. VIII. Vtrum testium inductio debeat præcedere publicam denuntiationem.

Conclusio. In correctione fraterna Dominus uoluit,quòd principium esset occultum,dum frater corriperet fratrem inter se & ipsum solum. Finẽ aũt uoluit esse publicum,ut scilicet Ecclesiæ denuntiaretur. Et ideò conuenienter in medio ponitur testium inductio:ut primò paucis indicetur peccatum fratris,qui possint prodesse,& non obesse,ut saltem sic sine multitudinis infamia emendetur.

QVAESTIO XXXIIII.

De odio in sex articulos diuisa,

ARTICVLVS I.

Vtrum quis possit Deum odio habere.

Conclusio. Quanquam Deus per essentiam suam à nullo possit odio haberi; quò ad quosdam tamen iustitiæ suæ effectus potest ab aliquibus odio haberi.

ART. II. Vtrũ odium Dei sit maximum peccatorũ.

Conclusio. Voluntaria auersio à Deo per se quidẽ importatur in odio Dei:in alijs autem peccatis quasi participatiuè,& secundum aliud. Vnde odium Dei inter alia peccata est grauius.

ART. III. Vtrum omne odium proximi sit peccatũ.

Conclusio. Licet habere odio peccatum in fratre, & omne illud quod partinet ad defectum diuinæ iustitiæ. Sed ipsam naturam & gratiam fratris non potest aliquis habere odio sine peccato.

ART.IIII. Vtrum odium proximi ſit grauiſſimum peccatorum, quæ in proximum committuntur.

Concluſio. Quanquam quò ad nocumētum quod homini infertur, peiora ſint exteriora peccata, quàm odium interius: quo tamen ad interiorem uoluntatis deordinationem, odium proximi cæteris grauius eſt.

ART.V. Vtrum odium ſit uitium capitale.

Concluſio. Vitium capitale eſt, ex quo ut frequentius alia uitia oriuntur. Sed odium, quod dilectioni opponitur nō eſt primum in deiectione uirtutis, quæ ſit per uitia, ſed ultimum. Et ideo odium non eſt uitium capitale.

ART.VI. Vtrum odium oriatur ex inuidia.

Concluſio. Vt ex delectatione cauſatur amor, ita ex inuidia, quæ interior triſtitia eſt de bono proximi, cauſatur odium.

QVAESTIO XXXV.

De acidia, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS

Vtrum acidia ſit peccatum.

Concluſio. Acidia, cum triſtitia ſit de bono diuino, quod ſecundum charitatem diligendum eſt; eam ſemper peccatum eſſe neceſſarium eſt

ART.II. Vtrum acidia ſit ſpeciale uitium.

Concluſio. Illa triſtitia, qua quis triſtatur de bono ſpirituali, quod eſt in actibus ſingularum uirtutum, non pertinet ad aliquod uitium ſpeciale, ſed ad omnia uitia. Sed triſtari de bono diuino, de quo charitas gaudet, pertinet ad ſpeciale uitium, quod acidia uocatur.

ART.III. Vtrum acidia ſit peccatum mortale.

Concluſio. Acidia, quæ triſtitia eſt perfecta de Spirituali bono diuino, peccatū mortale ex ſuo genere

eſt,

est, cùm charitati contrarietur; at acidia imperfecta, secundùm sensualitatis motum præter rationis consensum, ueniale peccatum esse constat.

AR. IIII. Vtrum acidia debeat poni uitiũ capitale.

Conclusio. Cùm acidia tristitia sit de spirituali bono diuino; uitium capitale necessariò est, cui filiæ sunt, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, ac mentus euagatio.

QVAESTIO XXXVI.

De inuidia, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum inuidia sit tristitia.

Conclusio. Inuidia est tristitia de bono proximi, prout proprium malum æstimatur, & diminutiuum proprij boni.

AR. II. Vtrum inuidia sit peccatum.

Conclusio. Tristari de bono proximorum, cùm sit contra proximi dilectionem, & charitatem, semper peccatum est.

AR. III. Vtrum inuidia sit peccatum mortale.

Conclusio. Inuidia, cùm charitati proximi perfectè aduersetur, peccatum mortale est.

ART. IIII. Vtrum inuidia sit uitium capitale.

Conclusio. Inuidiæ peccatum uitium capitale est: cuius filiæ sunt, odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersus proximi, & in prosperis afflictio.

QVAESTIO XXXVII.

De discordia, quæ paci opponitur, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum discordia sit peccatum.

Cõclusio. Discordia, quæ per se concordiæ aduersatur, peccatum mortale est, nisi ex imperfectione actus excusetur.

AT. II. Vtrum discordia sit filia inanis gloriæ.

Conclusio. In discordia consideratur quid ut terminus à quo, hoc est, recessus à uolũtate alterius: & quãtum ad hoc causatur ex inuidia. Consideratur etiam quid ut terminus ad quem, hoc est, accessus ad id qđ est sibi propriũ: & quantum ad hoc causatur ex inani gloria Et quia in quolibet motu terminus ad quē est potior termino à quo, finis enim est potior principio potius ponit discordia filia inanis gloriæ, q̃ inuidiæ, licet ex utraque oriri posit secũdũ diuersas rationes.

QVAESTIO XXXVIII.

De Contentione, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum contentio sit mortale.

Conclusio. Contentio, qua impugnatur ueritas inordinato modo, & intentione, peccatum mortale est: at contentio, qua debito ordine ac modo impugnatur falsitas, laudabilis existit: ea uerò, qua falsitas, sed inordinatè, impugnatur, potest esse peccatum ueniale, nisi fortè tanta inordinatio fiat in contendendo, quòd ex hoc generetur scandalum aliorum.

ART. II. Vtrum contentio sit filia inanis gloriæ.

Conclusio. Contentio inanis gloriæ filia dicitur, sicut & ipsa discordia.

QVAESTIO XXXIX.

De Schismate, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum schisma sit peccatum speciale.

Con-

Concluſio. Schiſmatis peccatum ſpeciale uitium eſt charitati oppoſitum, per quod quidam Chriſto, at eius Vicario ſubeſſe renuunt, & membris Eccleſię ei ſubiectis communicare recuſant.

ART. II. Vtrum ſchiſma ſit grauius peccatum infidelitate.

Concluſio: Cùm infidelitatis peccatũ Deo & primæ ueritati, cui fides innititur, aduerſetur: ex ſuo genere maius ſchiſmate peccatũ eſt, quod unitati contrariatur, quæ eſt diuinũ bonũ, ſed participatum: licet poſsit cõtingere ꝙ aliquid ſchiſmaticus grauius peccet, quàm quidam infidelis propter circunſtantias.

AR. III. Vtrum ſchiſmatici habeant aliquam poteſtatem.

Concluſio. Quanquam ſchiſmatici habere ordiuis poteſtatem poſsint, iuriſditionis tamen auctoritate priuantur.

ART. IIII. Vtrum pœna ſchiſmaticorum ſit conueuiens, ut excommunicentur.

Concluſio. Cùm ſchiſmatici uoluntariè ſe ab Eccleſiæ unitate ſeparent, & nolint per ſpiritualem poteſtatem coerceri; conueniens eſt, eos nõ modò excõmunicationis ſententiæ ſubiacere, ſed per temporalem poteſtatem coerceri.

QVAESTIO XL,

De Bello, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum bellare ſit ſemper peccatum.

Concluſio. Bellũ pro defenſione reipublicæ, & pro bono communi, ab auctoritatem habentibus, uidelicet principibus indictum, ſi recta intẽtione geratur, nullum peccatum eſt; ſecus autẽ bellare, illicitum eſt.

AR. II. Vtrum clericis & epiſcopis ſit licitũ pugnare.

Conclusio. Cùm bellica exercitia hominẽ maximè à diuinorũ contẽplatione auertant, & ad humani sanguinis effusionẽ tẽdãt: minimè clericis ac spiritualibus psonis bellare licet, nisi in necessitatis articulo.

ART. III. Vtrum sit licitum in bellis uti insidijs.

Conclusio. Insidiæ uel fraudes cõtra promissam fidem in bellis illicitæ sunt: at insidijs occultandi gratia uti in bello licet.

AR. IIII. Vtrum liceat diebus festis bellare.

Conclusio. Si adsit necessitas bellare diebus festiuis pro tutela Reipublicæ licet: secus autem nõ licet.

QVAESTIO XLI.

De Rixa, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum rixa sit semper peccatum.

Conclusio. Rixa, cùm ex inordinata procedat uoluntate, semper peccatum est, & in eo, qui alium iniustè inuasit, mortale: & in eo qui se defendit, quandoque ueniale quandoque mortale, secundùm animi sui inordinatam dispositionem.

ART. II. Vtrum rixa sit filia iræ.

Conclusio. Dupliciter unus alium lædere intẽdit. Vno modo quasi intendens absolutè malum ipsius. Et talis læsio pertinet & odium, cuius intentio est ad lædẽdum inimicum uel in manifesto, uel in occulto. Alio modo aliquis intendit alium lædere eo sciente & repugnante: qđ importatur nomine rixæ. Et hoc propriè pertinet ad iram, quæ est appetitus uindictę.

QVAESTIO XLII.

De Seditione quæ paci opponitur, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum seditio sit speciale peccatũ ab alijs distinctũ.

Con-

Conclusio. Seditio propriè est inter partes unius multitudinis inter se dissentientes: Et quia seditio habet speciale bonum, cui opponitur, scilicet unitatem & pacem multitudinis, ideo est speciale peccatum.

AR. II. Vtrum seditio sit semper peccatum mortale.

Conclusio. Seditio, cùm sit contra commune bonum Reipublicæ iniusta pugna, semper mortale peccatum ex suo genere est. Illi uerò qui bonum commune defendunt, eis resistentes, non sunt dicendi seditiosi: sicut nec illi qui se defendunt dicuntur rixosi.

QVAESTIO XLIII.

De Scandalo, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm scandalum conuenienter diffiniatur quòd est dictum uel factum minus rectum, præbens occasionem ruinæ.

Cōclusio. Conuenienter dicitur, quòd dictum, uel factum minus rectum, præbens occasionem ruinæ, sit scandalum.

ART. II. Vtrum scandalum sit peccatum.

Conclusio. Scandalum passiuum semper est peccatum in eo qui scandalizatur. Non enim scandalizatur nisi inquātum aliqualiter ruit spirituali ruina. Potest tamen esse scandalum passiuum sine peccato eius, ex cuius facto aliquis scādalizatur: sicut cū aliquis scāda lizatur de his, quę alius benefacit. Similiter etiā scādalū actiuū semper est peccatū in eo, qui scandalizat. Potest tamen esse scandalum actiuum sine peccato alterius, qui scādalizatur, puta cùm alius non cōsentit.

ART. III. Vtrum scandalum sit speciale peccatum.

Conclusio. Quāquam passiuum scandalū speciale peccatum minimè sit: tamē scandalum per se actiuū speciale peccatū est, correptioni fraternæ oppositū.

ART. IIII. Vtrum ſcandalum ſit peccatum mortale.

Concluſio. Scandalum paſſiuum ueniale & mortale contingit eſſe pro qualitate criminis, in quod quis dicto, uel facto alterius impingit: actiuũ ſimiliter ueniale, uel mortale eſt, ſecundum diſpoſitionem actus & interiorem ſcandalizantis.

ART. V. Vtrum ſcandalum paſſiuum poſſit etiam in perfectos cadere.

Concluſio. Cùm uiri perfecti firmiter, & quaſi immobiliter Deo inhæreant: non poteſt in eis ſcandalũ inueniri.

ART. VI. Vtrum ſcandalum actiuum poſſit inueniri in uiris perfectis.

Concluſio: Cùm perfecti ea, quæ agunt, ſecundum rectam rationẽ agant Deo ſemper per charitatem inhærentes: non poteſt in eis ſcandalum aliquod actiuum eſſe, niſi forte leue aliquod & modicum, ex ipſa carnis infirmitate procedens.

ART. VII. Vtrum bona ſpiritualia ſint propter ſcandalum dimittenda.

Concluſio. Ea quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, prætermitti non debent propter ſcandalum uitandum. In his autem ſpiritualibus bonis quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis, uidetur diſtinguendũ. Quia ſcandalũ quod ex eis oritur, quandoque ex malitia procedit: Quandoque uerò ex infirmitate, uel ignorantia. Et huiuſmodi eſt ſcandalum puſillorum, propter quod ſunt ſpiritualia bona uel occultãda, uel etiam interdum differenda, quouſque reddita ratione huiuſmodi ſcandalum ceſſet. Si autem poſt redditam rationẽ huiuſmodi ſcandalum duret iam uidetur ex malitia eſſe. Et ſic propter ipſum non ſunt huiuſmodi ſpiritualia opera dimittenda.

ART.

ART. III. Vtrùm propter ſcandalum ſint temporalia dimittenda.

Concluſio: Temporalia bona Eccleſiæ uel reipublicæ, nobis commiſſa, non ſunt propter ſcandalum dimittenda: bona uerò noſtra propter ſcandalum puſillorum, uel ſunt dimittenda, uel eſt ſcandalũ prius ſe dandum: propter ſcandalum autem ex malitia non ſunt dimittenda, ſed repetenda.

QVAESTIO XLIIII.

De præceptis charitatis, in octo articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrũ de charitate debeat dari aliquod præceptum.

Concluſio. Cùm per charitatem dirigatur homo in ultimum finem, ac ad ea diſponatur, quibus ipſum aſſequitur: conueniens fuit de diuina dilectione aliqua dari præcepta.

ART. II. Vtrum de charitate fuerint dãda duo præcepta.

Concluſio. Non modo de Dei dilectione fuit dandum præceptum: ſed propter minus eruditos in lege diuina, adhiberi explicitè oportuit & præceptum de proximi dilectione.

ART. III. Vtrum ſufficiant duo præcepta charitatis.

Concluſio. Cùm bonum quod eſt charitatis obiectum ſit finis, & ea quæ ad finem ſunt: duo tantùm de charitate, præcepta conuenienter poſita ſunt: alterum de Dei, alterum de proximi dilectione.

AR. IIII. Vtrum conuenienter mandetur, quòd Deus diligatur ex toto corde.

Concluſio. Deus cùm ſicut ultimus finis ſit diligẽdus, ad quem omnia ſunt referenda, decuit nobis mãdari, ut cùm ex toto corde diligeremus.

ART.

AR. V. Vtrùm super hoc, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, conuenienter addatur, Et ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.

Conclusio. Cõuenienter nobis præcipitur, ut Deũ diligamus ex toto corde, id est, ut tota nostra in Deũ referatur intentio: & ex tota mente, id est, ut noster intellectus Deo subdatur: & ex tota anima, uidelicet ut omnis noster appetitus reguletur secundùm Deũ: & ex tota fortitudine, id est, ut omnis noster Deo subdatur exterior actus.

ART. VI. Vtrum hoc præceptum de dilectione Dei possit in uia impleri.

Conclusio. Quanquam in patria tantùm perfectè dilectionis præceptum impleatur: in uia tamen imperfectè adimpleri potest, & magis uel minus, secundùm diuinæ bonitatis participationem.

ART. VII. Vtrum conuenienter detur præceptum de dilectione proximi.

Conclusio. Præter Dei dilectionem, conuenienter homini mandatum fuit, ut proximum suum sicut seipsum diligeret, id est, sanctè iustè, & ueraciter.

ART. VIII. Vtrum ordo charitatis cadat sub præcepto.

Conclusio. Ordo charitatis cùm pertineat ad rationem uirtutis, conuenienter sub præcepto cadere debet.

QVAESTIO XLV.

De dono sapientiæ, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum sapientia debeat inter dona Spiritussancti computari.

Conclusio. Ille qui cognoscit causam altissimam simpliciter, quæ est Deus, dicitur sapiens simpliciter, inquan-

inquantum per regulas diuina omnia poteſt iudicare & ordinare. Huiuſmodi autem iudicium conſequitur homo per Spiritumſanctum.

ART. II. Vtrum ſapientia ſit in intellectu ſicut in ſubiecto.

Concluſio. Sapientia, quæ eſt donum, cauſam quidem habet in uolũtate, ſcilicet charitatem. Sed eſſentiã habet in intellectu, cuius actus eſt rectè iudicare.

ART. III. Vtrum ſapientia ſit ſpeculatiua tantùm, an etiam practica.

Concluſio. Sapientia, quæ donum Spirituſſancti eſt, non modo ſpeculatiua, ſed practica eſt.

ART. IIII. Vtrum ſapientia poſsit eſſe ſine gratia, & cum peccato mortali.

Concluſio. Sapientiam, quæ eſt donum Spirituſſancti, cum præſupponat charitatem, impoſsibile eſt in aliquo eſſe, qui peccato mortali obnoxius ſit.

ART. V. Vtrum ſapientia ſit in omnibus habentibus gratiam.

Concluſio. Sapientiæ donũ, quod eſt gratia gratis data, ad aliorum ſalutem ordinatum, non omnibus gratiam gratum faciẽtem habentibus commune eſt, ſed magis pertinet ad gratias gratis datas, quas Spirituſſanctus diſtribuit, prout uult: at ſapientia, qua ad noſtram dirigimur ſalutem ſolum diuinam ſortitis gratiam largita eſt.

ART. VI. Vtrum ſeptima beatitudo reſpondeat dono ſapientiæ.

Concluſio. Congruum fuit, ut ſapientiæ dono pollentibus ea Euangelica adſcriberetur fœlicitas, quæ dicitur: Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur, non modo meritoriè, ſed etiam quantum ad præmium.

QVAESTIO XLVI.

De stultitia, quæ sapientiæ opposita est, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS

Vtrum stultitia opponatur sapientiæ.

Conclusio. Stultitia opponitur sapientiæ sicut contrarium: fatuitas autem sicut pura negatio. Nã fatuus caret sensu iudicandi: Stultus autem habet sensum, sed hebetatum: sapiens uerò subtilem & perspicacem.

AR. II. Vtrum stultitia sit peccatum.

Conclusio. Stultitia, quę naturalis quædam amẽtia est, minimè peccatum est: at stultitia carnalis, & quasi uoluntaria, inquantum immergit homo sensum suũ rebus terrenis, ex quo redditur eius sensus ineptus ad percipienda diuina: est peccatum.

ART. III. Vtrum stultitia sit filia luxuriæ.

Cõclusio. Maximè sensus hominis immergitur ad terrena per luxuriam, quæ est circa maximas delectationes, quibus anima maximè absorbetur. Et ideò stultitia, quæ est peccatũ, maximè nascitur ex luxuria.

QVAESTIO XLVII.

De prudentia secundum se, in sexdecim articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum prudentia sit in ui cognoscitiua, an in appetitiua.

Conclusio. Prudentiam, qua futura ex præteritis & præsentibus iudicamus, in parte cognoscitiua, ac rationali esse oportet: non autem in sensitiua, per quã cognoscimus solùm ea, quæ præstò sunt, & sensibus offeruntur.

ART. II. Vtrum prudentia pertineat solùm ad rationem practicam, an etiam ad speculatiuam.

Con-

Conclusio. Prudentia est bene posse consiliari. Cõsilium autem est de his, quæ sunt per nos agenda in ordine ad finem aliquem. Ratio autem eorum, quæ sunt agenda propter finem, est ratio practica. Vnde prudentia non consistit nisi in ratione practica.

ART. III. Vtrum prudentia sit cognoscitiua singularium.

Conclusio. Operationes sunt in singularibus. Et ideo necesse est, quod prudens & cognoscat uniuersalia principia rationis, & cognoscat singularia, circa quæ sint operationes.

ART. IIII. Vtrum prudentia sit uirtus.

Conclusio. Cùm rectæ rationis ad opus applicatio ad prudentiam spectet; ipsa necessariò non modò intellectualis, sed & moralis uirtus est.

ART. V. Vtrum prudentia sit uirtus specialis.

Conclusio. Prudentia, cùm sit in ratione, materialiter quidem à uirtutibus intellectualibus distincta, quòd circa agibilia contingentia sit, ars uerò circa factibilia; sapientia uerò & scientia circa necessaria; etiam formaliter a mortalibus uirtutibus distincta est.

ART. VI. Vtrum prudentia præstituat finem uirtutibus moralibus.

Cõclusio. Cùm prudentia sit uniuersalium principiorum ad particulares operabilium conclusiones applicatio: non spectat ad ipsam præstituere rationalibus uirtutibus finem, sed solummodo de his, quæ ad finem sunt, disponere.

ART. VII. Vtrum ad prudentiam pertineat inuenire medium in uirtutibus moralibus.

Conclusio. Quanquam medium attingere moralis uirtutis finis sit: nihilhominus hoc non contingit, nisi per eorũ, quæ sunt ad finem, conuenienter in dispositionem

sitionem, quæ pertinet ad rationem prudentiæ.

ART. VIII. Vtrum præcipere sit principalis actus prudentiæ.

Conclusio. Quanquam consiliari, iudicare de inuētis, & præcipere, actus sint rationis practicæ: ex his tamen præcipere, prudentiæ est propriè actus.

AR. IX. Vtrum sollicitudo pertineat ad prudentiā.

Conclusio. Sollicitus dicitur quasi solers citus, inquantum scilicet aliquis ex quadam solertia animi uelox est ad prosequendum ea, quæ sunt agenda. Hoc autem pertinet ad prudentiam.

ART. X. Vtrū prudentia se extendat ad regimen multitudinis.

Conclusio. Cùm ad prudentiam spectet rectè consiliari, ac iudicare, & ea præcipere, quæ ad debitum finem conducunt; ea non modò priuatum, sed commune multitudinis bonum respicit.

ART. XI. Vtrum prudentia, quæ est respectu boni proprij, sit eadem specie cum ea, quæ se extendit ad bonum commune.

Cōclusio. Necesse est, quòd prudentiæ differant specie secundùm differentiam finium: ut scilicet una sit prudētia simpliciter dicta, quæ ordinatur ad bonum proprium. Alia autem œconomica, quæ ordinatur ad bonum commune domus, uel familiæ. Et tertia politica, quæ ordinatur ad bonum commune ciuitatis, uel regni.

ART. XII. Vtrum prudentia sit in subditis, an solùm in principibus.

Conclusio. Prudentia non est uirtus subditi, inquātum est subditus. Sed quia quilibet homo inquantum est rationalis, participat aliquid de regimine secundū arbitrium rationis, in tantum conuenit ei prudentiā habere. Vnde prudentia quidem in principe est ad

mo-

modum artis architectonicæ, in subditis autẽ admodum artis manu operantis.

AR. XIII. Vtrũ prudentia possit esse in peccatoribus.

Conclusio. Prudẽtia dicitur tripliciter. Est.n. quædã prudẽtia falsa, uel per similitudinẽ dicta. Et huiusmodi est prudentia carnis, quæ scilicet finem ultimũ constituit in delectatione carnis. Secunda autem est quidem uera, sed est imperfecta, uel quia non est communis finis totius humanę uitæ, sed alicuius specialis negotii: uel quia deficit in principali actu prudentiæ: puta cum aliquis rectè consiliatur, & bene iudicat etiam de his, quæ pertinent ad totam uitam, sed non efficaciter præcipit. Tertia autem prudentia est & uera & perfecta, quæ ad bonum finem totius uitæ rectè consiliatur, iudicat, & præcipit. Et hæc sola dicitur prudentia simpliciter, quæ in peccatoribus esse non potest. Prima autem prudentia est in solis peccatoribus. Prudentia aũt imperfecta, est cõmunis bonis & malis, maximè illa quæ est imperfecta propter finẽ particularem. Nã illa quæ est imperfecta propter defectum principalis actus, etiam non est nisi in malis.

A R. XIIII. Vtrum prudentia sit in omnibus habentibus gratiam.

Conclusio. Prudentia, cum sit uirtus, eam habere oportet omnes, qui Dei gratiam habent.

ART. XV. Vtrum prudentia insit nobis à natura.

Conclusio. Prudentia cum non circa fines sed circa ea, quæ sunt ad finem, uersetur: non natura nobis inest, sed doctrina & experimento comparatur.

AR. XVI. Vtrũ prudẽtia possit amitti per obliuionẽ.

Conclusio. Prudentia cũm non in sola cognitione sed in appetitu perficiatur: non per obliuionem per se, sicut scientiæ & artes, amitti potest, sed per passiones corrumpitur.

Quæ-

QVAESTIO XLVIII.

De partibus Prudentiæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum conuenienter assignentur tres partes pruden dentiæ.

Conclusio. 1. Integrales prudentiæ parte sunt, Memoria intellectus, Docilitas. Solertia, Ratio, Prouidētia, Circunspectio, & Cautio: 2. Partes uerò subiectiuæ sunt, Prudentia sui regitiua, & prudentia multitudinis directiua: 3. Partes uerò eius potestatiuæ sunt, Eubulia, Synesis. & prudētia ſm quod est pręceptiua.

QVAESTIO XLIX.

De singulis prudentiæ partibus integralibus, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum memoria sit pars prudentiæ.

Conclusio. Cùm ad prudentiam requiratur experimentum, necessariò ipsa memoria pars prudētiæ est.

ART. II. Vtrum intellectus sit pars prudentiæ.

Conclusio. Cùm prudentia sit agibilium recta ratio intellectus, non ut potentia quædam, sed ut quædā recta æstimatio est alicuius extremi principii, prudentiæ pars est.

ART. III. Vtrū docilitas debeat poni pars prudentię.

Conclusio. Cùm prudentia consistat circa particularia operabilia contingentia; conueniēter eius pars ponitur docilitas.

ART. IIII. Vtrum solertia sit pars prudentiæ.

Conclusio. Sicut docilitas pars dicitur prudentiæ, qua homo bene se habet in suscipiēdo ab alio de agēdis rectam æstimationem; ita solertia eiusdem pars esse dicitur, qua homo per seipsum bene se habet in inueniendo talem æstimationem.

ART.

ART.V. Vtrum ratio debeat poni pars prudentiæ.

Conclusio. Cùm prndentis: sit esse bene consiliatiuum: rectè ipsa ratio pars prudentiæ est.

ART. VI. Vtrum prouidentia debeat poni pars prudentiæ.

Conclusio. Contingentia futura, secundùm quòd sunt per hominem in finem humanæ uitæ ordinabilia pertinent ad prudentiam: quod importatur in nominê prouidẽtiæ. Vnde prouidẽtia est pars prudẽtiæ.

ART. VII. Vtrum circunspectio possit esse pars prudentiæ.

Conclusio. Circunspectio prudentiæ pars necessario est, qua homo id, quod ordinatur in finem, his cõparat quæ circunstant.

ART. III. Vtrum cautio debeat poni pars prudentiæ

Conclusio. Cùm contingentia operabilia materia sint prudentiæ; cautio conuenienter pars prudentiæ ponitur, ut sic accipiantur bona, quòd uitentur mala.

QVAESTIO L.

De prudentiæ pratibus subiectiuis in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I

Vtrum regnatiua debeat poni species prudentiæ.

Conclusio. Cùm ad prudentiam spectet regere ac præcipere conuenienter pars prudentiæ specifica est ipsa regnatiua, quæ est ipsa Regis prudentia, quæ ciuitatem uel regnum regit.

ART. II. Vtrum politica conuenienter ponatur pars prudentiæ.

Conclusio. Politica est pars specifica prudẽtiæ, per

S quam

quam homines ſeipſos regunt in obediendo principantibus in ordine ad commune bonum.

ART. III. Vtrum œconomia debeat poni ſpecies prudentiæ.

Concluſio. Oeconomia eſt ſpecies prudentiæ media inter politicam, & prudentiam quæ ad unius regimen eſt ordinata.

ART. Vtrũ militaria debeat poni ſpecies prudentiæ.

Concluſio. Præter politicam prudentiam, qua cõmoda cuique rei diſponũtur, eſt militaris ſpecies prudentiæ, qua noxia quæque repelluntur.

QVAESTIO LI,

De Virtutibus adiunctis prudentiæ, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum eubulia ſit uirtus.

Concluſio. Eubulia eſt quædam uirtus humana bene conſiliatiua.

AR. II. Vtrũ eubulia ſit uirtus diſtincta à prudentia.

Concluſio. Eubulia diuerſa eſt à prudentia, quod ea eſt bene conſiliatiua, & ad prudentiam ordinatur quæ præceptiua uirtus eſt.

ART. III. Vtrum ſyneſis ſit uirtus.

Concluſio. Præter eubuliam, quæ uirtus eſt bene conſiliatiua: eſt ſyneſis uirtus, quæ bene iudicatiua eſt de operabilibus ab homine.

ART. IIII. Vtrum gnome ſit ſpecialis uirtus.

Concluſio. Præter ſyneſim uirtutem bene iudicatiuam de agendis ſecundum quædam uniuerſalia & cõmunia principia: eſt alia uirtus altior iudicatiua de agendis ſecundum illa altiora principia, quæ uocatur gnome, quæ importat quandã perſpicacitatẽ iudicij.

Quæ-

QVAESTIO LII.

De Dono conſilij, in quatuor articulos diuiſa

ARTICVLVS I.

Vtrum conſilium debeat poni inter dona Spirituſſancti.

Concluſio. Conſilium eſt ſpirituſſancti donũ, quo rationalis creatura à diuina bonitate mouetur ſufficienter ad conſiliandum ſe de ſingulis agendis.

ART. II. Vtrum donum conſilij reſpondeat uirtuti prudentiæ.

Concluſio. Prudentia quæ importat rationis rectitudinem, maximè perficitur, & iuuatur ſecundùm quòd regulatur & mouetur à Spirituſancto; quod pertinet ad donum conſilij. Vnde donum conſilij reſpondet prudentiæ, ſicut ipſum adiuuans & perficiens.

ART. III. Vtrum donum conſilij maneat in patria.

Concluſio. Manet in patria in beatis donum conſilij, non quidem ſecundùm aliquam de agendis conſultationem, ſed inquantum in eis à Deo continuatur cognitio eorum quæ ſciunt, & inquantum illuminãtur de his quæ neſciunt circa agenda.

AR. IIII. Vtrum quinta beatitudo, quæ eſt de miſericordia reſpondeat dono conſilij.

ſpecialiter reſpondet, non quaſi elicienti, ſed ſicut dirigenti.

QVAESTIO LIII.

De Vitijs prudentiæ oppoſitis, & primò de Imprudentia in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum imprudentia ſit peccatum.

Conclusio. Imprudentia priuatiuè peccatū est, secū dùm rationem negligentiæ: contrariè uerò accepta peccatum est, & mortale quidem si adsit contemptus eorum quæ ad prudentiam requiruntur, ueniale uerò si contemptus absit, & si sit absque detrimento eorū, quæ sunt de necessitate salutis. Negatiuè autem non propriè dicitur, ut importat solam carentiam pruden tiæ, quæ potest esse sine peccato.

AR. II. Vtrum imprudentia sit speciale peccatum.

Conclusio. Quanquam imprudentia uitium generale sit secundùm participationem, non autem per essentiam: est nihilominus sic imprudentia generale uitium, non absolutè, sed in genere speciale, quod diui ditur in multas imprudentiæ species, oppositas diuersis prudentiæ partibus.

ART. III. Vtrum præcipitatio sit peccatum sub imprudentia contentum.

Cōclusio. Præcipitatio uitium est sub imprudentia contentum, quo quis per impetum uoluntatis, uel passionis, partibus prudentiæ contemptis in ruinam labitur.

ART. IIII. Vtrum inconsideratio sit speciale peccatū sub imprudentia contentum.

Cōclusio. Inconsideratio speciale peccatum est sub imprudentia contentum, quo quis contemnit uel negligit ea, ex quibus rectum iudicium procedit.

ART. V. Vtrum inconstantia sit uitium sub imprudentia contentum.

Conclusio. Inconstantia uitium est sub imprudentia contentum, quo quis contemnit præcipere ea quæ secundùm rectam rationem sunt.

ART. VI. Vtrum prædicta uitia oriantur ex luxuria.

Conclusio. Præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, ex ipso luxuriȩ uitio oriuntur. Nam delectatio

maximè

maximè corrumpit æstimationem prudentiæ: & præcipuè delectatio, quæ est in uenereis.

QVAESTIO LIIII.

De Negligentia, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum negligentia sit peccatum speciale.

Conclusio. Negligentia speciale uitium est, quę solicitudinis defectum importat.

ART. II. Vtrum negligentia opponatur prudentiæ.

Conclusio. Negligentia directè opponitur solicitudini. Solicitudo autem pertinet ad rationem, & rectitudo solicitudinis ad prudentiam. Vnde per oppositū negligentia ad imprudentiam pertinet.

ART. III Vtrum negligentia posſit eſſe peccatum mortale.

Conclusio. Negligentia, quæ ex remiſſa uoluntate procedit circa ea agenda, quæ sunt de necesſitate salutis peccatum mortale est: Alioquin si consistat in prætermisſione alicuius actus, uel circunstantiæ, quæ nō sit de necesſitate salutis, nec hoc fiat ex contemptu, sed ex aliquo defectu feruoris, non est peccatum mortale, sed ueniale.

QVAESTIO LV.

De uitijs oppositis prudentiæ secundùm similitudinem, & primò de prudentia carnis, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum prudentia carnis sit peccatum.

Conclusio. Prudentia carnis, qua homo in carnalibus finem constituit ultimum peccatum est.

ART. II. Vtrum prudentia carnis sit peccatum mortale.

Conclusio. Prudentia carnis tunc mortale uitium est, quando in carnalibus ultimus finis simpliciter cō stituitur; ueniale uerò, quando non constituitur finis ultimus in carnis delectatione.

ART. III. Vtrum astutia sit speciale peccatum.

Conclusio. Astutia peccatum est prudentiæ oppositum, quo quis non ueris uijs, sed falsis & simulatis utitur ad finem siue bonum, siue malum consequendum.

ART. IIII. Vtrum dolus sit peccatum, ad astutiam pertinens.

Cōclusio. Dolus importat quandam executionem astutiæ, & secundùm hoc ad astutiam pertinet.

AR. V. Vtrum fraus ad astutiam pertineat.

Conclusio. Sicut dolus astutiæ executio est, secundùm quod per uerba seu facta fit; ita fraus ad astutiam spectat, prout astutiæ opus expletur per facta.

ART. VI. Vtrum licitum sit sollicitudinem habere de temporalibus rebus.

Conclusio. Temporalium sollicitudo illicita est, 1. si ea, ut ulterius finis, quærantur, 2. & si ad ea inquirēda superfluum studium adhibeatur, 3. uel nimium in his timeamus, ne nobis in necessitate deficiant.

ART. VII. Vtrum quis debeat esse solicitus futurorum.

Conclusio. Debet quis tēporibus debitis de futuris solicitari, non autem pręter tempora debita.

ART. VIII. Vtrum huiusmodi uitia oriantur ex auaritia.

Conclusio. Prudentia carnis, astutia, dolus, & fraus ac temporalium solicitudo maximè ex auaritiæ uitio originem habent.

QVAE-

QVAESTIO LVI.

De præceptis ad prudentiam pertinentibus, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum de prudentia fuerit dandum aliquod præceptum inter præcepta decalogi.

Conclusio. Quanquam omnia decalogi præcepta ad prudentiam spectent, quò ipsa omnium uirtuosorum actuum directiua; de ea tamen non fuit aliquod speciale præceptum dandum, quia prudentia non est circa finem, sed circa ea quæ sunt ad finem.

ART. II. Vtrum in ueteri lege fuerint conuenienter præcepta prohibitiua proposita de uitijs oppositis prudentiæ.

Conclusio. Conueniens fuit in lege, aliqua prohibitiua præcepta dari de uitijs prudentiæ oppositis, ut contra iustitiam sunt.

QVAESTIO LVII,

De iure, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum ius sit obiectum iustitiæ.

Conclusio. Ius, siue iustum, est, quòd ut speciale obiectum uirtuti iustitiæ attribuitur.

ART. II. Vtrum ius conuenienter diuidatur in ius naturale, & ius positiuum.

Conclusio. Ius conuenienter diuiditur in naturale, & legale seu positiuum.

ART. III. Vtrũ ius gẽtiũ sit idem cum iure naturali.

Conclusio. Quanquam absolutè idem esse uideatur ius naturæ, & gentium: diuersa tamen sunt, relata ad id quod ex ipsa ratione procedit, ut ius naturæ, cõmune sit omnibus animalibus, ius autem gentium hominibus proprium sit.

AR. IIII. Vtrum debeat ſpecialiter diſtingui ius paternum, & dominatiuum.

Concluſio. Filius eſt aliquid patris: quia quodammodo eſt pars eius, & ſeruus eſt aliquid Domini, quia eſt inſtrumentum eius. Et ideo patris ad filium non eſt comparatio, ſicut ad ſimpliciter alterum. Et propter hoc non eſt ibi ſimpliciter iuſtum, ſed quoddam iuſtum ſcilicet paternum: & eadem ratione, inter dominum & ſeruum, dominatiuum iuſtum. Inter uirũ etiam & uxorem non eſt ſimpliciter politicum iuſtũ, ſed magis iuſtum œconomicum.

QVAESTIO LVIII.

De Iuſtitia, in duodecim articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum conueniẽter diffiniatur iuſtitia quòd eſt perpetua & conſtans uoluntas, ius ſuum unicuique tribuens.

Concluſio. Iuſtitia perpetua & conſtans uoluntas eſt ius ſuum unicuique tribuens: uel eſt habitus, ſecũdùm quem aliquis conſtanti & perpetua uoluntate ius ſuum unicuique tribuit: uel, eſt habitus, ſecundũ quem aliquis dicitur operatiuus ſecundùm electionem iuſti.

ART. II. Vtrum iuſtitia ſemper ſit ad alterum.

Concluſio. Iuſtitia propriè dicta requirit diuerſitatem ſuppoſitorum, & ideo non eſt niſi unius hominis ad alium. Sed ſecundùm ſimilitudinem accipiuntur in uno & eodem homine diuerſa principia actionum, quaſi diuerſa agentia: & ideo metaphoricè in uno & eodem homine dicitur eſſe iuſtitia.

ART. III. Vtrum iuſtitia ſit uirtus.

Concluſio. Cùm iuſtitia humanæ rectificentur operatio-

rationes, ipſa neceſſariò eſt uirtus.

AR. IIII. Vtrum iuſtitia ſit in uoluntate ſicut in ſubiecto.

Concluſio. Iuſtitia, cùm non ad actum cognoſcitiuum rectificandum ordinetur, ſed ſit operis appetitus intellectiui directiua; ipſa non in intellectu, neque in parte aliqua ſenſus, ſed in uoluntate eſt tanquam in proprio ſubiecto.

ART. V. Vtrum iuſtitia ſit uirtus generalis.

Concluſio. Cùm per iuſtitiam omnium uirtutum actus ad bonum commune ordinentur ipſa eſt uirtus generalis.

ART. VI. Vtrum iuſtitia, ſecundùm quod eſt generalis, ſit idem per eſſentiam cum omni uirtute.

Concluſio. Eſt quidem legalis iuſtitia ſpecialis quædam uirtus à cæteris diſtincta, cùm bonum reſpiciat commune: & non niſi communiter & cauſaliter generalis uirtus exiſtens, idem eſt cùm omni uirtute.

ART. VII. Vtrum ſit aliqua iuſtitia particularis pręter iuſtitiam generalem.

Concluſio. Præter legalem iuſtitiam, neceſſarium eſt, eſſe aliquam aliam uirtutem, ſeu iuſtitiam, qua homo ordinetur in his quæ ad ſingularem perſonam attinent.

A R. VIII. Vtrum iuſtitia particularis habeat materiam ſpecialem.

Concluſio. Cùm iuſtitia ordinetur ad alterum: nō eſt circa totam materiam uirtutis moralis, ſed ſolum circa exteriores actiones & res ſecundùm quandam rationem obiecti ſpecialem prout ſcilicet ſecundùm eas unus homo alteri coordinatur.

A R T. IX. Vtrum iuſtitia ſit circa paſsiones.

Concluſio. Quia operationes exteriores nō habēt.

ſpeciem

ſpeciem ab interioribus paſsionibus, ſed magis à rebus exterioribus, ſicut ex obiectis: ideo per ſe loquendo, operationes exteriores magis ſunt materia iuſtitiæ, quàm aliarum uirtutum moralium.

ART. X. Vtrum medium iuſtitiæ ſit medium rei.

Concluſio. Cùm iuſtitia uerſetur circa exteriores operationes, & res: medium in ea eſt medium rei, cõſiſtens in quadam proportionis æqualitate rei exterioris ad exteriorem perſonam.

AR. XI. Vtrum actus iuſtitiæ ſit reddere unicuique quod ſuum eſt.

Concluſio. Proprius iuſtitiæ actus eſt unicuique quod ſuum eſt reddere.

ART. XII. Vtrum iuſtitia præemineat inter omnes uirtutes morales.

Cõcluſio. Cùm iuſtitia tam moralis quàm legalis ſit uirtus exiſtens in uoluntate, & qua ad alterum homo ordinatur: ea eſt omnium uirtutum moralium excellentiſsima.

QVAESTIO LIX.

De iniuſtitia, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum iniuſtitia ſit uitium ſpeciale.

Concluſio. Illegalis iniuſtitia eſſentialiter quidem ſpeciale uitium eſt: ſecundùm intentionem uerò generale; quòd per contemptum communis boni poteſt homo ad omnia peccata deduci.

ART. II. Vtrum aliquis dicatur iniuſtus ex hoc, quòd facit iniuſtum.

Concluſio. Quippiam ex intentione, ac electione iniuſtum facere, iniuſtum reddit: non autem facere iniuſtum præter intentionem uel ex paſsione.

ART.

ART. III. Vtrum aliquis poſsit pati iniuſtum uolēs.

Concluſio. Iniuſtum per ſe & formaliter nullus per ſe facere poteſt niſi uolens, nec pati niſi nolens: poteſt tamen quis materialiter facere, uel pati iniuſtum nolens.

ART. IIII. Vtrum quicunque facit iniuſtum, peccet mortaliter.

Concluſio. Cùm iniuſtitia in alterius læſione & nocumento conſiſtat; iniuſtum quippiam agere, mortale peccatum eſt.

QVAESTIO LX.

De iudicio, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum iudicium ſit actus iuſtitiæ.

Concluſio. Iudicium, quod importat rectam determinationem eius quod eſt iuſtum, propriè pertinet ad iuſtitiam.

ART. II. Vtrum ſit licitum iudicare.

Concluſio. Iudicium intantum eſt licitum, inquātum eſt iuſtitiæ actus, ad quòd tria requiruntur. Primò, ut procedat ex inclinatione iuſtitiæ. Secundo, ex auctoritate præſidentis. Tertio, ſecundùm rectam rationem prudentiæ.

AR. VIII. Vtrum iudicium ex ſuſpicione procedens, ſit licitum.

Concluſio. Iudicium ex ſuſpicione procedens ad alicuius condemnationem, illicitum & mortale peccatum eſt: ex leuibus tamen indicijs de alterius probitate dubitare, leue eſt: grauatur tamen æſtimatio iudicantis ex illius grauitate, quod quis de altero ex leuibus ſuſpicatur.

ART. IIII. Vtrum dubia ſint in meliorem partem interpretanda.

Con

Conclusio. Vbi non apparent manifesta indicia de malitia alicuius, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est.

AR. V. Vtrum sit semper secundum leges scriptas iudicandum.

Conclusio. Ius positiuum scripturam legis & continet & instituit, dans ei auctoritatis robur. Et ideo necesse est, q iudicium fiat secundũ legis scripturam.

ART. VI. Vtrum iudicium per usurpationem reddatur peruersum.

Conclusio. Sicut cogẽs aliquem ad seruandam aliquam legem non publica auctoritate sancitam, iniustè facit: ita quis alium iudicans, non habens auctoritatem, uel usurpando sibi iudicandi potestatem, grauiter peccat.

QVAESTIO LXI,

De diuisione Iustitiæ in commutatiuam & distributiuam, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum conuenienter ponantur duæ species iustitiæ, scilicet commutatiua & distributiua.

Conclusio. Duæ sunt iustitiæ species altera commutatiua, qua homo in his dirigitur, quæ mutuo inter duas personas adinuicem sũt: altera distributiua, quæ communium distributiua est secundum quandam proportionabilitatem.

ART. II. Vtrum medium eodem modo accipiatur in iustitia distributiua, & commutatiua.

Conclusio. In iustitia distributiua nõ accipitur medium secundùm æqualitatem rei ad rem, sed secundũ proportionem rerum ad personas. Et tale medium est secundùm geometricam proportionalitatem, in qua attenditur æquale non secundùm quantitatem, sed secundum proportionem. Sed in commutationibus

bus redditur aliquid alicui singulari personæ propter rem eius,quæ accepta est. Et ideo oportet adæquare rem rei. Et sic fit æqualitas secundùm arithmeticam medietatem,quæ attenditur secundùm partem quantitatis excessum.

ART.III.Vtrũ materia utriusque iustitiæ sit diuersa.

Conclusio.Non una sed diuersa est materia distributiuæ,& commutatiuæ iustitiæ,cum illa in distributionibus hæc in commutationibus uersetur.

ART.IIII. Vtrum iustum sit simpliciter idem quod contrapassum.

Conclnsio. Contrapassum est commutatiuum iustũ. In distributiua autem iustitia locum non habet quia in distributiua iustitia non attenditur æqualitas secundùm proportioné rei ad rem, uel passionis ad actionem,unde dicitur cõtrapassum:sed secundũ proportionalitatem rerum ad personas.

QVAESTIO LXII.

De Restitutione in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS

Vtrum restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ.

Conclusio.Restitutio est actus commutatiuæ iustitiæ.

ART.II.Vtrum sit necessarium ad salutem,quod fiat restitutio eius quod ablatum est.

Conclusio.Cùm conseruare iustitiam sit de necessitate salutis,consequens est, quod restituere id quod iniustè ablatum est alicui,sit de necessitate salutis.

ART.III. Vtrùm sufficiat restituere simplum quod iniustè ablatum est.

Conclusio.Ante iudicis condemnationem nõ plus quam quis accepit restituere tenetur: sed ex culpa iniustè ablationis,potest pro sententia iudicis plus restituere,quam accepit.

ART.

AR.IIII. Vtrũ aliqs debeat restituere qđ nõ abstulit.

Conclusio. Non tenetur quis illud, restituere quod non abstulit.

AR. V. Vtrum oporteat semper restitutionem facere ei, à quo acceptum est aliquid.

Conclusio. Ei semper facienda est restitutio, à quo acceptum est, si suum sit, quod quis accepit.

ART. VI. Vtrũ teneatur sp restituere ille qui accepit.

Cõclusio. Is semper restituere tenetur, qui rem alterius iniustè suscepit, uel inuito domino detinet: qui uerò rem alienam accepit absque iniuria, non pro sua utilitate, sicut patet in depositis, si ei subtrahatur res absque sua culpa, non tenetur ad restitutionem: secus autem esset, si cum magna sua culpa rem depositam amitteret.

AR. VII. Vtrum illi qui non acceperunt, teneantur restituere.

Conclusio. Nõ modo qui aliena rapuerunt, sed qui iniustæ acceptionis aliquo modo causa fuerunt, restituere tenentur, quanquã ipsi nõ acceperint: causæ aũt seu modi consentiẽdi his uersibus cõprehenduntur.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus.

Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Sciendum tamen, quod quinque præmissorũ semper obligant ad restitutionem. In alijs autem casibus non semper obligatur aliquis ad restituendum: nisi quando probabiliter æstimari potest, quòd ex huiusmodi causis fuerit iniusta acceptio subsecuta.

ART. VIII. Vtrum quis teneatur statim restituere, an uerò possit restitutionem differre.

Conclusio. Sicut accipere rem alienam est peccatũ contra iustitiam, ita etiam detinere eam: sed quilibet tenetur peccatum statim deserrere, & ideo quilibet tenetur statim restituere, si potest, uel petere dilatio-

nem

nem ab eo, qui habet usum rei, concedere.

QVAESTIO LXIII.

De Acceptione personarum, in quatuor articulos diuisa

ARTICVLVS I.

VTrum personarum acceptio sit peccatum.

Conclusio. Si aliquis consideret proprietatem personæ propter quam aliquid quod ei confertur, est ei debitum: non est acceptio personæ, sed causæ. Ad personam autem refertur quæcunque conditio non faciens ad causam, proprer quàm sit dignus hoc dono. Et ideo eadem conditio personæ in uno negotio considerata facit acceptionem personæ, in alio autem non facit. Personarum ergo acceptio opponitur iustitiæ distributiuæ, in hoc quòd præter proportionē agitur: unde consequens est, quòd sit peccatum.

ART. II. Vtrum in dispensatione spiritualium locum habeat personarum acceptio.

Conclusio. Nonnunquam in spiritualium bonorū dispēsatione, personarum acceptio peccatum nō est, si sit ad bonum commune ordinata, quod in spiritualium distributione intenditur: secus autem, pecccatū eò maius esse certum est, quò spiritualia temporalibus præstant.

ART. III. Vtrum in exhibitione honoris, & reuerētiæ locum habeat peccatum acceptionis personarū.

Conclusio. Acceptionis personarum peccatum in honoris exhibitione contingit, si non adsit uirtutis ratio, quæ causa est honoris. Sciendum tamen, quòd aliquis potest honorari non solum propter uirtutem propriam, sed etiam propter uirtutem alterius. Sicut Principes & Prelati honorantur, etiam si sint mali, inquantum gerunt personam Dei & communitatis.

QVAE-

ART.IIII.Vtrum in iudicis locum habeat peccatum acceptionis perſonarum.

Concluſio. Perſonarum acceptio in iudicio,peccatum eſt,cum ipſum iudicium peruertat & corrũpat.

QVAESTIO LXIIII.

De uitijs oppoſitis commutatiuæ iuſtitiæ,& primò de homicidio, in octo articulos diuiſa

ARTICVLVS I.

Vtrum occidere quæcunque uiuentia ſit illicitum.

Cõcluſio.Licitũ eſt & plantas mortificare in uſum animalium & animalia in uſus hominum ex ipſa ordinatione diuina.

ART.II.Vtrum ſit licitum occidere peccatores.

Concluſio.Quælibet perſona ſingularis cõparatur ad totam communitatem ſicut pars ad totum:& ideo ſi aliquis homo ſit periculoſus communitati,& corruptiuus ipſius propter aliquod peccatum , laudabiliter & ſalubriter occiditur,ut bonum commune conſeruetur.

ART.III.Vtrum occidere hominem peccatorem liceat priuatæ perſonæ.

Concluſio. Principibus & iudicibus tantum,non autem priuatis perſonis peccatoribus occidere licet.

AR. IIII. Vtrũ occidere malefactores liceat clericis,

Concluſio.Clericis, cùm ſint ad altaris miniſteriũ electi,ut noui Teſtamenti miniſtri nullatenus malefactores occidere licet.

ART.V.Vtrum liceat alicui occidere ſeipſum.

Cõcluſio. Seipſum occidere,cum ſit contra Dei,& ſui,ac proximi charitatem,nullo modo alicui licet.

ART.VI. Vtrum liceat in aliquo caſu interficere innocentem.

Con-

Concluſio. Iuſti & innocentes, cùm ad boni communis conſeruationē neceſſarii ſint: nullo pacto eos occidere licet. Deus autem habet dominum mortis & uitæ. Et ideo ille qui mandato Dei occidit innocentem, non peccat, ſicut nec Deus, cuius eſt executor.

Item: Iudex ſi ſcit aliquē innocētē eſſe, qui falſis teſtib⁹ cōuincitur, debet diligētius examinare teſtes ut inueniat occaſionē liberandi innoxiū, ſicut Daniel fecit. Si aūt hoc nō poteſt; debet eū ſuperiori relinquere iudicādū. Si aūt hoc nō poteſt nō peccat, ſm allegata ſentētiā ferēs quia ipſe non occidit innocētē, ſed illi qui eū aſſerūt nocētē. Miniſter aūt iudicis condēnantis innocētē, ſi ſententia intolerabilē errorē cōtineat nō debet obedire: alias excuſarent carnifices, qui martyres occiderūt. Si uerò nō contineat manifeſtā iniuſtitiā nō peccat præceptū exequēdo quia ipſe nō habet diſcutere ſuperioris ſentētiā, nec ipſe occidit innocētem, ſed iudex cui miniſterium exhibet.

ART. VII. Vtrum liceat alicui occidere aliquem, ſe defendendo.

Concluſio. Si aliquis ad defendendam propriam uitam utatur maiori uiolentia quam oporteat, erit illicitum. Si uerò moderatè uiolentiam repellat, erit licita defenſio. Nam ſecundum iura, uim ui repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec eſt neceſſariū ad ſalutem, ut hunc actum moderatæ tutelæ prætermittat ad euitandum occiſionem alterius: quia plus tenetur homo uitæ ſuæ prouidere quàm alienę. Sed quia occidere hominem non licet niſi publica auctoritate propter bonum commune, illicitum eſt ꝙ homo intendat occidere hominem, ut ſeipſum defendat, niſi ei qui habet publicām auctoritatem, qui intendens hominē occidere ad ſui defenſionē refert hoc ad publicum bonū, ut patet in milite pugnante

contra hostes.& in ministro iudicis pugnante contra latrones,quamuis etiam & isti peccent,si priuata libidine moueātur. Nā omnis prohibetur defensio,quæ est cum liuore uindictæ. Vnde gloss.dicit: Non uos defendentes,id est,non referientes.

ART.III. Vtrum aliquis casualiter occidens hominē incurrat homicidii reatum.

Conclusio. Casu aliquem occidens homicidii reatum minimè incurrit,nisi rei illicitè uel operam dederit,uel ad hoc euitandum minus diligens fuerit.

QVAESTIO LXV

De Mutilatione membrorum in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum mutilare aliquem membro suo, aliquo casu possit esse licitum.

Conclusio Non licet aliquem quouis membro mutilare,nisi publicis personis: priuatis autem non,nisi de licentia eius,cuius est membrum,in casu quo mēbri putredo totius corporis saluti aduersatur.

ART.II. Vtrum liceat patribus uerberare filios,aut dominis seruos.

Conclusio. Quia filius subditur potestati patris,& seruus potestati domini licitè potest uerberare pater filium,& dominus seruum, causa correctionis & disciplinæ.

ART.III. Vtrum liceat aliquem hominē incarcerare.

Conclusio. Incacerare aliquem uel qualitercūque detinere est illicitū:nisi fiat secundū ordinem iustitiæ, aut in pœnam,aut ad cautelam alicuius mali uitādi.

ART. IIII. Vtrum peccatum aggrauetur ex hoc quòd prædictæ iniuriæ inferūtur in personas aliis cō iunctas.

Con-

Concluſio. Cùm infertur iniuria in aliquam perſonam coniunctam alteri, qualitercunque illa iniuria pertinet ad duas perſonas. Et ideo cæteris paribus ex hoc ipſo aggrauatur peccatum: poteſt tamen contingere, quòd ſecundùm aliquas circunſtãtias ſit grauius peccatum, quod ſit contra perſonam nulli coniunctam, uel propter dignitatem perſonæ, uel propter magnitudinem nocumenti.

QVAESTIO LXVI.

De peccatis iuſtitiæ oppoſitis, & primò de furto, in nouem articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum naturalis ſit homini poſſeſsio exteriorum rerum.

Concluſio. Eſt homini rerũ exteriorum aliqua naturalis poſſeſsio & dominum, non quidem quò ad naturas rerum, ſed quantum ad uſum quo ipſis ſecundùm rationem & uoluntatem uti poteſt ad ſui commodùm & utilitatem.

AR. II. Vtrum liceat alicui rem aliquam quaſi propriam poſsidere.

Concluſio. Quanquam hominem non deceat aliquid proprium habere quò ad uſum: impium tamen eſt, & erroneum aſſerere, ipſum non poſſe quippiam proprium habere, quò ad poteſtatem procurandi & diſpenſandi alijs.

ART. III. Vtrum ſit de ratione furti occultè accipere rem alienam.

Concluſio. Propria ratio furti eſt, u ſi t occulta acceptio rei alienæ.

ART. IIII. Vtrum furtum & rapina ſint peccata differentia ſpecie.

Concluſio. Furtum & rapina ex hoc habent rationem peccati, quòd acceptio eſt in uolũtaria ex patre eius, cui aliquid ſubtrahitur. Inuolũtarium autem dupliciter dicitur, ſcilicet per ignorantiam, & uiolẽtiam. Et ideo aliam rationem peccati habet rapina, & aliam furtum. Ergo propter hoc differunt ſpecie.

ART. V. Vtrum furtum ſemper ſit peccatum.

Concluſio. Furtũ cùm ſemper iuſtitiæ aduerſetur: ſemper quoque peccatum neceſſariò eſt. At accipere rẽ alienam uel occultè, uel manifeſtè auctoritate iudicis hoc decernentis, nõ eſt furtum, quia iam fit ſibi debitum per hoc, quod ſententialiter ſibi adiudicatum. Vnde multò minus furtum fuit, ꝙ filij Iſrael tulerunt ſpolia Aegyptiorũ de præcepto Domini, hoc decernentis. Præterea quæ nunquã fuerunt in bonis alicuius, ſit lapilli & gẽmæ, quæ inueniũtur in litore maris, talia occupanti cõceduntur. Et eadem ratio eſt de theſauris antiquo tẽpore ſub terra occultatis, quorum non eſt aliquis poſſeſſor, niſi ꝙ ſecundùm leges ciuiles tenetur inuentor dare Principi uel Domino agri. Quædã uerò res inuenta fuerunt de propinquo in alicuius bonis. Et tunc ſi quis eas accipiat non animo retinendi, ſed animo reſtituendi domino, qui eas pro derelictis nõ habet, nõ cõmittit furtum. Et ſimiliter ſi pro derelictis habeãtur, & hoc credat inuẽtor, licet ſibi eas retineat, non committit furtũ: alias autẽ cõmittitur peccatũ furti. Itẽ qui furtim accepit rẽ ſuã apud aliũ depoſitã, grauat depoſitariũ: quia tenetur ad reſtituendũ eam, uel ad oſtẽdendũ ſe eſſe innoxiũ. Vnde peccat, & tenetur ad reuelãdũ grauamẽ depoſitarij. Qui uerò furtim accipit rẽ ſuã apud aliũ iniuſtè detentam, peccat quidẽ, non quia grauet eum qui detinet (& ideo nõ tenetur ad reſtituẽdũ aliquid uel ad recompenſandum) ſed peccat contra commu

nem

nem iuſtitiam, dum ipſe ſibi uſurpat ſuæ rei iudiciũ, iuris ordine prætermiſsio. Et ideo tenetur Deo ſatiſfacere, & dare operam, ut ſcandalum proximorum, ſi inde exortum fuerit, ſedetur.

ART. VI. Vtrum furtum ſit peccatum mortale.

Concluſio. Cùm furtum ſit contra proximi charitatem, peccatum mortale de neceſsitate eſt.

AR. VII. Vtrũ liceat alicui furari ꝓpter neceſsitatẽ.

Concluſio. Poteſt homo in extrema cõſtitutus neceſsitate, ea quæ alijs ſuperſunt, furto, uel rapina accipere abſque alicuius furti reatu. Nam res quas aliqui ſuperabundanter habent, ex naturali iure debentur pauperum ſuſtentationi.

ART. VIII. Vtrum rapina poſſit fieri ſine peccato.

Cóclufio. Non poteſt quippiam à priuatis perſonis abſq; mortalis peccati macula. Circa prædam aũt, ſi illi qui deprædantur hoſtes, habeant bellum iuſtum, ea quæ per uiolentiã in bello acquirunt, eorum efficiuntur. Et hoc non habet rationem rapinæ. Quãuis poſſint peccare per cupiditatem ex praua intentione: ſi. ſ. non propter iuſtitiam, ſed propter prædam principaliter pugnent. Nam propter prædam militare, peccatum eſt. Si uerò habeant bellum iniuſtum: rapinam committunt, & ad reſtitutionem tenentur.

ART. IX. Vtrũ furtum ſit grauius peccatũ, q̃ rapina.

Cõcluſio. Rapina eſt grauius peccatum, quàm furtum: quia per rapinam nõ ſolum infertur alicui damnum in rebus, ſed etiam uergit in quandam perſonæ ignominiam ſiue iniuriam.

QVAESTIO LXVII.

De oppoſitis uitijs commutatiuæ iuſtitiæ, & primò de iniuſtitia iudicis in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS

Vtrum quis possit iustè iudicare eum qui non est sibi subiectus.

Conclusio. Nullus aliquem iudicare potest, nisi sibi uel per ordinariam potestatem, uel comissionem subiectus sit.

AR. II. Vtrũ iudici liceat iudicare contra ueritatem, quam nouit, propter ea quæ in cõtrariũ proponũtur.

Conclusio. Cùm iudicium ad iudices spectet non secundùm priuatam, sed publicam potestatem: oportet eos iudicare, non quam ipsi nouerunt ueritatem, sed quòd secundùm leges, allegata & probata, per testes sibi publicè innotuit.

ART. III. Vtrum iudex possit aliquem condemnare, etiam si non sit aliquis accusator.

Conclusio. Non potest in criminibus iudex quenquem iudicare, uel condemnare, nisi habeat accusatorem: cum uti iustitiæ interpres non nisi inter duos iustitiam administrare possit.

ART. IIII. Vtrum iudex licitè possit pœnã relaxare.

Conclusio. Iudex inferior non habet potestatem absoluendi reum à pœna contra leges à superiore sibi impositas: sed Princeps qui habet plenariam potestatem in Reipublica, si ille qui passus est iniuriam, uelit eam remittere, poterit reum licitè absoluere, si hoc publicæ uilitati uiderit non esse nocumentum.

QVAESTIO LXVIII.

De pertinentibus ad iniustam accusationem, in quatuor ariculos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum homo teneatur ad accusandum.

Conclusio. Si quod crimen quis sciuerit, quod uergat in damnum reipublicæ, si possit probare, tenetur ad accu-

ad accuſationem, ſecus autem, ſi crimen fuerit; quod probare non poſſit, minimè tenetur.

ART. II. Vtrum ſit neceſſarium accuſationem in ſcriptis fieri.

Concluſio. Non modò accuſatio, ſed & quæcunque in publicis aguntur iudiciis in ſcriptis fieri debent.

ART. III. Vtrum accuſatio reddatur iniuſta propter calumniam, præuaricationem, & tergiuerſationem.

Concluſio. Iniuſta omnis redditur accuſatio, uel per calumniam, falſa crimina imponẽdo, uel per præuaricationem fraudem ſcilicet in accuſatione adhibẽdo: uel per tergiuerſationem, totaliter uidelicet ab accuſatione deſiſtendo.

ART. IIII. Vtrum accuſator, qui in probatione defecerit teneatur ad pœnam talionis.

Concluſio. AEquum eſt: ut ſi quis accuſator in criminis probatione defecerit, & in periculum grauis pœnæ aliquem induxerit, ſimilem uel talionis patiatur pœnam.

QVAESTIO LXIX,

De uitijs contra iuſtitiam ex parte rei, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS

Vtrum abſque peccato mortali poſſit accuſatus ueritatem negare, per quam condemnaretur.

Concluſio. Non poteſt accuſatus in iudicio ueritatem interrogatus a iudice, mentiri uel negare, abſque mortalis criminis incurſu: poteſt tamen non reſpondere iudici in his quæ interrogatur non ſecundùm iuris ordinem, ac ſuperfugere per appellationem ad ſuperiorem iudicem.

ART. II. Vtrum accuſato liceat calumnioſe ſe defendere.

Concluſio. Non poteſt reus accuſatus in iudicio calumnioſe ſe defendere: ſed poteſt in his, ad quæ non tenetur reſpondere, uel ueritatem occultare, uel aliquo alio modo iuſtè ſe defendere, nullo autem modo ei licet uel falſitatem dicere, uel ueritatem, quam cõfiteri tenetur, tacere, uel quoquo modo mentiri.

ART. III. Vtrum reo liceat iudicium per appellationem declinare.

Concluſio. Superiorem appellare in cauſa iuſta, ubi quis nimiũ à iudice grauatur, reo licet; appellare autem iniuſtè, cauſa afferendæ moræ, ne ſentẽtia proferatur, minimè licet. Item non licet Catholico ad infidelem iudicem appellare. Sed & rationabiliter denegatur ſubſidium appellationis à iudicibus arbitrariis, qui non habent poteſtatem, niſi ex conſenſu litigantium. Sed ſi ſit ſimul ordinarius & arbitrarius iudex poteſt ab eo appellari: quia uidetur ordinaria poteſtas occaſio fuiſſe quod arbiter eligeretur. Non autem eſt licitum appellare poſt decimum diem neque tertio ſuper eodem.

ART. IIII. Vtrum liceat condemnato ad mortem, ſe defendere, ſi poſſit.

Concluſio. Ad mortem iuſtè condemnatus, nõ poteſt abſque peccato ſe defendere: poteſt autem ſe defendere in cauſa iniuſtæ condemnationis. Nam iniuſtum iudicium ſimile eſt uiolẽtiæ latronum: Et ideo ſicut licet reſiſtere latronibus: ita licet reſiſtere in tali caſu malis principibus, niſi forté propter ſcandalum uitandum cum ex hoc aliqua grauis turbatio timeretur. Fuga etiam conſulere ſibi licet. Et ſi quis ſit condemnatus, ut fame moriatur, non peccat, ſi cibum ſibi occultè miniſtratum ſumat: quia non ſumere, eſſet ſeipſum occidere.

QVAESTIO LXX.

De Iniustitia ad testes pertinente, in quatuor articulos diuisa

ARTICVLVS I.

VTrum homo teneatur ad testimonium ferendum.

Concl. Si requiritur testimonium alicuius subditi auctoritate superioris cui in his quæ ad iustitiã pertinẽt obedire tenetur: tenetur testimoniũ ferre ĩ manifestis, & ĩ his de qb⁹ infamia præcessit Si aũt exigatur ab eo testimoniũ ĩ occultis, & de qbus infamia nõ præcessit, nõ teneť ad testificãdũ: si uerò requirať ei⁹ testimoniũ nõ auctoritate superioris, si sit ad liberãdũ hoĩem, uel ab iniusta morte seu pęna quæcunq;, uel à falsa infamia, uel ẽt ab iniquo damno: tũc teneť homo ad testificãdũ. Et si eius testimoniũ nõ requirať, tenetur facere qđ in se est, ut ueritatẽ denũciet alicui, qui ad hoc possit prodesse. Super his uerò q̃ pertinẽt ad cõdẽnationẽ alicuius nõ teneť aliquis ferre testimoniũ, nisi cũ à superiori cõpellitur ẞm ordinẽ iuris. Et si immineat periculum accusatori, nõ est curãdũ, quia ipse ĩ hoc periculũ spõte se ingessit. Porrò de illis quæ hoĩ sunt cõmissa in secreto per confessionẽ. nullo modo debet testimoniũ ferre, quia huiusmodi non fit ut homo, sed tanquã Dei minister. Circa ea uerò quæ aliter homini sub secreto committũtur, si sunt talia quę quis prodere non tenetur: nullo modo debet ea prodere, etiam ex præcepto superioris, quia seruare fidem est de iure naturali. Denique ministri altaris secundum iuris ordinem compelli non possunt ad feriendum testimonium in causa sanguinis.

ART. II. Vtrum sufficiat duorũ uel triũ testimonium.

Cõclusio. Duos uel tres testes in quouis iudicio, diuino ac humano iure statutũ est, ratiõabiliter adhiberi.

ART.

ART.III. Vtrũ alicuius teſtimonium ſit abſque eius culpa repellendum.

Concluſio. Teſtimonium alicuius nonnũquam ob culpam nonnunquam ſine culpa repelli poteſt.

ART.IIII. Vtrum falſum teſtimonium ſemper ſit pec catum mortale.

Concluſio. Falſum teſtimonium ferens, cùm ſit periurus, & contra iuſtitiam agẽs & mentiens ueritatem peccat mortaliter, Sed quia contingit ex labilitate humanæ memoriæ, quod reputat ſe homo quandoque certum eſſe de eo quod falſum eſt, ſi aliquis hoc cum debita ſolicitudine recogitans æſtimet ſe certũ eſſe de eo quod falſum eſt, non peccat mortaliter, hoc aſſerens, quia non dicit falſum teſtimonium per ſe & ex intentione, ſed per accidens contra id quod intendit. Teſtis autem iuramentum ad maiorem certitudinem teſtimonii requiritur.

QVAESTIO LXXI.

De Iniuſtitia in iudiciis ex parte aduocatorum, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum aduocatus teneatur præſtare patrocinium cauſæ pauperum.

Concluſio. Vbi pauperum cauſis aliter ſubueniri non poteſt tenentur aduocati eorum ſuſcipere cauſas & illis patrocinari, ſicut tenentur neceſſitatem patiẽti miſericordiæ opus impendere. Et idem dicendum eſt de medico, quantum ad curationem pauperum.

ART.II. Vtrum conuenienter aliqui ſecundùm iura arceantur ab officio aduocandi.

Concluſio. Iure nonnulli ab officio aduocandi arcentur, non modò propter impotentiam ut furioſi, impu-

 158

impuberes, surdi & muti, & imperiti, sed & propter indecentiam, ut clerici, monachi, cæci, & infideles, infames, ac damnati de grauibus criminibus, quanquam clerici pro suis ecclesijs, & monachi in causis monasterij aduocare non prohibeantur, quia interdum necessitas indecentiam tollere potest.

ART. III. Vtrum aduocatus peccet, si iniustam causam defendat.

Conclusio. Aduocatus, si iniustam causam scienter defendat, grauiter peccat, & uinculo restitutionis tenetur: si uerò ignoranter defenderit, excusatur à peccato, pro ignorantiæ qualitate & excusatione. Quòd si in principio credidit causam iustam esse, & postea in processu appareat eam esse iniustam, non debet eam prodere, ut scilicet aliam partem iuuet, uel secretà suæ causæ alteri parte reuelet; potest tamen & debet causam deserere, uel eum cuius causam agit ad cedendum inducere, siue ad componendum sine aduersarij damno. Sed & aduocato defendendi causam iustam licet prudenter occultare ea, quibus impediri posset processus eius; non autem licet ei aliqua falsitate uti.

ART. IIII. Vtrum aduocato liceat pro suo patrocinio pecuniam accipere.

Conclusio. Licet aduocatis pro patrocinio suo in aliorum causis exhibito, pecuniam moderatè suscipere, secundùm personæ patriæ & conditionem.

QVAESTIO LXXII.

De uerborum iniurijs extra iudicium, & primò de contumelia, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum contumelia consistit in uerbis.

Con-

Conclusio. Contumelia consistit in uerbis, quibus aliquis id, quod est cõtra alicuius honorem, deducit ad sui & aliorum notitiam. Tamen quia etiam facta aliqua habent uim uerborum, inde est quòd contumelia extenso nomine, etiam in factis dicitur. Porrò conuitium & improperium cõsistunt in uerbis, sicut & contumelia, quia per omnia hæc repræsentatur aliquis defectus alicuius in detrimẽtum honoris ipsius. Vnde quandoque quidem unumquodque istorum pro alio ponitur.

AR. II. Vtrum contumelia seu conuitium sit peccatum mortale.

Cõclusio. Contumelia, uel conuitium formaliter, animo uidelicet iniuriandi prolata, mortale peccatum est.

ART. III. Vtrum aliquis debeat contumelias sibi illatas sustinere.

Cõclusio. Illatas contumelias nonnunquam repellere homo potest propter bonum illius, qui contumeliam infert, ad reprimendam illius audaciã, & ad suã tuẽdam dignitatem, & auctoritatem: quanquam animo paratus quisque esse debet, omnes sustinere iniurias, si suæ & aliorum saluti expedire conspexerit.

ART. IIII. Vtrum contumelia oriatur ex ira.

Conclusio. Cùm contumelia ad uindictã properet ex ira magis, quàm ex alio quouis uitio oriri uidetur.

QVAESTIO LXXIII.

De Detractione, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum detractio conuenienter diffiniatur, quòd sit denigratio alienæ famæ per uerba.

Conclusio. Detractio est alienæ famæ per uerba denigratio. Et differt à contumelia: tùm quia contume-

liosus

lioſus manifeſtè contra aliquem loquitur, detractor autem occultè: tum quia contumelioſus derogat honori, detractor famæ.

ART. II. Vtrum detractio ſit peccatum mortale.

Concluſio. Detractio per ſe loquendo, eſt peccatũ mortale. Contingit tamen quandoque, quòd aliquis dicit aliqua uerba, per quæ diminuitur fama alicuius non hoc intendens, ſed aliquid aliud. Hoc autem non eſt detrahere per ſe, & formaliter loquẽdo, ſed ſolum materialiter & quaſi per accidens. Et ſi quidẽ uerba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum uel neceſſarium, debitis circunſtantijs obſeruatis: nõ eſt peccatum, nec poteſt dici detractio. Si autem proferat ex animi leuitate, uel propter cauſam aliquam non neceſſariam, non eſt peccatum mortale, niſi fortè uerbum quod dicitur, ſit adeo graue, quod notabiliter famã alicuius lædat, & præcipuè in his, quæ pertinẽt ad honeſtatem uitæ.

ART. III. Vtrum detractio ſit grauius omnibus peccatis, quę in proximum committuntur.

Concluſio. Vitium detractionis, quo proximi læditur honor, ex genere ſuo grauius eſt quàm furtum: minus autem homicidio ac adulterio, quibus uita aufertur.

ART. IIII. Vtrum audiens, qui tolerat detrahentem, grauiter peccet.

Concluſio. Audiens detrahentem, cui poſſet reſiſtere, ſi ei placet detractio: eodem detractionis uitio reus eſt. Sed uerò non placeat ei peccatum, ſed ex timore, uel negligentia, uel etiam uerecundia quadam omittat repellere detrahentem: peccat quidem, ſed multò minus quàm detrahens, & plerunque uenialiter. Licet quandoque etiam hoc poteſt eſſe peccatum mortale, propter circunſtantias.

QVAE-

QVAESTIO LXXIIII.

De Susurratione, in duos articulos diuisa,

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum susurratio sit peccatum distinctum à detra ctione.

Conclusio. Eò diuersa est detractio à susurratione, quòd detractione proximi honor: susurratione uerò amicitia læditur, & illius intenditur separatio.

AR. II. Vtrum detractio sit grauius peccatum, quàm susurratio.

Cóclusio. Maius uitium est susurrationis peccatū, quàm detractionis; quo amicitiam, quæ susurratione tollitur honori præstare certum est.

QVAESTIO LXXV.

De Derisione, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum derisio sit speciale peccatum, ab alijs præmissis distinctum.

Conclusio. Derisio diuersa est à cæteris linguæ uitijs, quòd per illam intenditur proximi erubescentis. Est autem erubescentia timor dehonorationis.

AR. II. Vtrum derisio possit esse peccatum mortale.

Conclusio. Derisio in paruis; ueniale peccatū est: at in magnis, pensatis tamen conditionibus personarum, peccatum mortale est.

QVAESTIO LXXVI.

De Maledictione, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum liceat maledicere aliquem.

Conclusio. Maledicere animo maledicendi, optando, seu imprecando malum alicui, illicitum est.

ART.

AR. II. Vtrum liceat creaturam irrationalem maledicere.

Conclusio. Creaturis irrationalibus maledicere, ut Dei creaturæ sunt, & ad rationalem creaturam ordinatæ blasphemia est: eis aũt maledicere, ut in seipsis sunt, illicitum est, cùm sit hoc otiosum, & uanum.

AR. III. Vtrum maledicere sit peccatum mortale.

Cõclusio. Maledicere formaliter, & magnũ impre cari malũ, ex suo genere mortale uitium est, ueniale autem esse potest, uel si leue sit malũ, uel secundùm animi leuem motum ad alterius malum.

AR. IIII. Vtrum maledicere sit grauius peccatũ, quàm detractio.

Conclusio. Detractio secundùm suam generalem rationem grauius peccatum est maledictionis uitio, quod desiderium exprimit: potest tamen per accidẽs maledictio grauior esse detractionẽ.

QVAESTIO LXXVII.

De Fraudulentia in emptionibus, & uenditionibus contingente, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum licitè aliquis posit uendere rem plus quàm ualeat.

Conclusio. Quanquam emere quippiam uilius quàm ualeat, seu uendere carius, secundum se illicitum & iniustum sit: potest tamen per accidens secundum conditiones ementis ac uendentis, & illorum indigentiam, licitè aliquid carius uendi, ac uilius emi: semper autem peccatum est, ubi aliqua circa hoc fraus contigerit. Et quidem iustum pretium rerum non est punctaliter determinatum, sed magis

Conclusio. Cùm pecuniæ usus sit illius cõsumptio ac distractio: iniustum & illicitum est, pro eius usu aliquid accipere.

ART. II. Vtrum liceat pro pecunia mutuata aliquam aliam commoditatem expetere.

Conclusio. Non licet aliquid pecunia æstimabile pro mutui recompensatione accipere, nisi sicut quoddam gratuitum donum quis aliquid susceperit.

ART. III. Vtrum quicquid de pecunia usuraria quis lucratus fuerit, reddere teneatur.

Conclusio. Ea, quæ quis lucratus fuerit ex rebus, quarum usus est illarum consumptio, reddere tenetur: non autem illa, quæ consecutus fuerit ex rebus, quarum usus non est illarum consumptio.

ART. IIII. Vtrum liceat pecuniam accipere mutuò sub usura.

Conclusio. Quanquam nullatenus liceat quenquã ad mutuandum sub usuris inducere: ab eo tamen qui hoc paratus est facere, & exercet, mutuum sub usuris accipere illicitum non est, dummodo propter suæ necessitatis subuentionem hoc fiat.

QVAESTIO LXXIX.

De his iustitiæ partibus, quæ sunt facere bonum, & declinare à malo, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum declinare à malo, & facere bonum, sint partes iustitiæ.

Conclusio. Declinare à malo, & facere bonum, ad omnem iustitiam pertinet, ut eius partes secũdũm propriam rationem boni & mali.

ART. II. Vtrum transgressio sit speciale peccatum.

non quidem ut diuina immutetur dispositio, sed ut impetremus quod Deus per Sãctorum orationes disposuit implendum.
ART. III. Vtrum oratio sit actus religionis.
Conclusio. Oratio est actus religionis, per quam Deum homo reueretur, illi se subijciendo.
AR. IIII. Vtrum solus Deus debeat orari.
Cóclusio. Oratio porrigitur alicui dupliciter. Vno modo quasi per ipsum implenda. Alio modo sicut per ipsum impetranda. Primo quidem modo soli Deo orationem porrigimus: quia omnes orationes nostræ ordinari debent ad gratiam, & gloriam consequendã, quæ solus Deus dat. Sed secũdario modo orationem porrigimus sanctis angelis, & hominibus, non ut per eos Deus nostras petitiones cognoscat, sed ut eorum præcibus & meritis orationes nostræ sortiantur effectum. Et ideo dicitur Apocal. 8. quod ascẽdit fumus incensorum de orationibus sanctorũ de manu Angeli coram Deo. Et hoc etiam patet ex ipso modo quo Ecclesia utitur in orando. Nam à sancta Trinitate petimus, ut nostri misereatur: ab alijs autem Sanctis quibuscunque petimus, ut orent pro nobis.
ART. V. Vtrum in oratione debeamus aliquid determinatè à Deo petere.
Conclusio. Sunt quædam bona, quibus homo malè uti non potest, quæ scilicet malum euentum habere non possunt. Hæc autem sunt quibus beatificamur, & quibus beatitudinem meremur: quæ quidem Sancti orando absolutè petunt: cætera autem non simpliciter & determinatè, sed eatenus à Deo sunt petenda, quatenus cùm Dei uoluntate poterunt conformari.
ART. VI. Vtrum homo debeat temporalia petere à Deo orando.

Conclusio: Quanquam non principaliter, secundariò tamen, & quasi organicè licet orando temporalia petere, sicut & eadem desiderare licet.

ART. II. Vtrum debeamus pro alijs orare,

Conclusio. Cùm non modo nobis, sed alijs ex charitate desiderare bona debeamus: pro alijs quoque orare, & non tantùm pro nobis oportet.

ART. VIII. Vtrum debeamus pro inimicis orare.

Conclusio. Necessitatis est, ut in communibus nostris orationibus quas pro alijs facimus, inimicos non excludamus. Qđ aũt ꝓ eis specialiter oremus, ꝑfectionis ẽ nõ necessitatis, nisi in aliquo casu speciali.

ART. IX. Vtrum conuenienter septem petitiones Orationis Dominicæ assignentur.

Conclusio. Oratio quàm Dominus in Euangelio septẽ petitionibus conclusit, perfectissima est: quia si rectè & cõgruenter oramus, nihil aliud dicere possumus, quàm quod in ista Oratione Dominica positũ est. In qua non solum petuntur omnia quæ rectè desiderare possumns, sed etiam eo ordine quo desideranda sunt: ut hæc oratio non solum instruat postulare, sed etiam sit informatiua totius nostri affectus.

ART. X. Vtrum orare sit proprium rationalis creaturæ.

Conclusio. Illi propriè competit orare, cui conuenit rationem habere, & superiorem, quem deprecari possit. Diuinis autem personis nihil est superius. Bruta autem animalia non habent rationem. Vnde neque diuinis personis, neque brutis animalibus conuenit orare, sed proprium est rationalis creaturæ.

ART. XI. Vtrum Sancti, qui sunt in patria, orent pro nobis.

Conclusio. Vigilantij error fuit, quòd dum uiuimus, mutuò pro nobis orare possumus. Postquã autẽ

mortui

mortui fuerimus, nullius pro alio sit exaudienda oratio. Sed hoc est omnino falsum: q̄a cũ oratio pro aliis facta ex charitate proueniat: quãtò Sancti qui sunt ĩ patria sũt perfectioris charitatis, tãto magis orãt pro uiatoribus q̄ orationibus iuuari possunt: & quãto sũt Deo cõiunctiores, tãtò eorũ orationes sunt magis efficaces. Habet. n. hoc diuinus ordo, ut ex superiorũ excellẽtia in inferiora refundatur, sicut, ex claritate solis in aerẽ. Vnde & de Christo dicit Hebr. 7. Accedens per semetipsũ ad Deũ ad interpellandũ pro nobis. Et propter hoc Hieronym. ↄtra Vigilãtiũ dicit: Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti, qñ pro se adhuc debent esse soliciti, pro aliis orãt: quanto magis post coronas, uictorias & triumphos?

ART. XII. Vtrum oratio debeat esse uocalis.

Conclusio. Communis oratio, quæ per Ministros Ecclesiæ in persona totius fidelis populi Deo offertur oportet q̄ innotescat toti populo ꝓ quo profertur: q̄ nõ posset fieri, nisi esset uocalis. Et ideo rationabiliter institutũ est, ut ministri Ecclesiæ huiusmodi oratiões ẽt alta uoce pronuntiẽt, ut ad notitiã omniũ possint peruenire. Oratio. uerò singularis, q̄ offertur à singulari persona cuiuscũq; siue pro se, siue pro aliis orantis, de necessitate nõ est q̄ sit uocalis. Adiũgit tñ uox tali orationi triplici ratione. 1. Quidẽ ad excitãdũ interiorẽ deuotionẽ qua mens orantis eleuetur in Deũ: quia per exteriora signa, siue uocũ, siue etiam aliquorum factorum, mouetur mens hominis secundum appræhensionem, & per consequens secundùm affectionem. 2. Adiungitur uocalis oratio quasi ad redditionem debiti, ut scilicet homo Deo seruiat secundùm illud totum quod ex Deo habet, id est, non solum mẽte, sed etiam corpore. 3. Ex quadam redundantia ab anima in corpus ex uehementi affectione.

AR.XIII. Vtrũ đ necesſitate orationis ſit, ꝙ ſit attẽta.

Concluſio. Quæſtio hæc præcipuè habet locum in oratione uocali. Neceſſarium autem dicitur aliquid uno modo per quod melius peruenitur ad finem: Et ſic attentio abſolutè orationi neceſſaria eſt. Alio modo aliquid dicitur neceſſariũ ſine quo res nõ poteſt cõſequi ſuũ effectũ. Eſt aũt triplex effectus orationis. Primus quidẽ cõmunis omnibus actibus charitate informatis, quod eſt mereri. Et ad hunc effectũ nõ ex neceſſitate requiritur quod attentio adſit orationi per totũ, ſed uis primæ intentionis, qua aliquis ad orandũ accedit, reddit totã orationẽ meritoriã, ſicut in aliis meritoriis actibus accidit. Secũdus aũt effectus oratio eſt ei proprius, ꝙ eſt impetrare. Et ad hunc etiam effectũ ſufficit prima intentio quã Deus principaliter attendit. Si autem prima intentio deſit oratio nec meritoria eſt, nec impetratiua. Tertius autem effectus orationis eſt quẽ præſentialiter efficit, ſcilicet quædam ſpiritualis refectio mentis. Et ad hoc de neceſſitate requiritur in oratione attentio. Triplex aũt eſt attentio quæ orationi uocali poteſt adhiberi: una quidẽ, qua attenditur ad uerba ne aliquis in eis erret: ſecũda qua attenditur ad ſenſum uerborũ: tertia, qua attẽditur ad finem orationis, ſcilicet ad Deum, & ad rẽ pro qua oratur, quæ quidem eſt maximè neceſſaria. Et hanc etiam poſſunt habere idiotæ. Et quandoque in tantum abũdat hæc intentio, qua mens fertur in Deũ ut etiam omnium aliorum mens obliuiſcatur.

ART. IIII. Vtrum oratio debeat eſſe diuturna.

Concluſio. De oratione loqui poſſumus, uel ſecũdùm ſeipſam: uel ſecundùm cauſam ſuam. Cauſa autem orationis eſt deſiderium charitatis, ex quo procedere debet oratio: quod quidem in nobis debet eſſe continuum uel actu, uel uirtute: manet enim uirtus

huius

huius desideriũ in oĩbus quæ ex charitate facimus. Omnia autem debemus in gloriam Dei facere: Et secũdum hoc oratio debet esse cõtinua. Sed ipsa oratio secundùm se considerata non potest esse assidua, quia oportet aliis operibus occupari. Vniuscuiusq; autem rei quantitas debet esse proportionata fini, sicut quã titas potionis sanitati: unde & conueniens est, ut oratio tantùm duret, quantum est utile ad excitandum interioris desiderij feruorẽ. Cùm uerò hanc mẽsurã excedit, ita quòd sine tædio durare non possit, nõ est ulterius protendenda.

ART. XV. Vtrum oratio sit meritoria.

Conclusio. Oratio non modo interius spiritualẽ consolationẽ affert: sed meredi, & ĩpetrandi efficaciã præstat, cũ ex charitate, mediãte religione procedat.

ART. XVI. Vtrum peccatores orando impetrent aliquid à Deo.

Conclusio. Si peccator orãdo aliquid petit, inquã tum peccator, id est, secundùm desiderium peccati, in hoc à Deo non auditur ex misericordia, sed quãdoq; auditur ad uindictam: dum Deus permittit peccatorem adhuc amplius ruere in peccata. Deus enim quædam negat propitius, quæ concidit iratus. Orationẽ uerò peccatores ex bono naturæ desiderio procedentem Deus audit, non quasi ex iustitia, quia peccator hoc non meretur, sed ex pura misericordia: obseruatis tamen præmissis cõditionibus: ut scilicet pro se petat necessaria ad salutem, piè, & perseueranter.

ART. XVII. Vtrum conuenienter dicantur esse orationis partes Obsecrationes Orationes, Postulationes, & Gratiarum actiones.

Conclusio. Quatuor hæ conueniunt orationi partes, 1. Obsecrationes, 2. Orationes, 3. Postulationes, & 4. Gratiarum actiones.

ART.

QVAESTIO LXXXIIII.

De exterioribus actibus latriæ, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum adoratio ſit actus latriæ ſiue religionis.

Concluſio. Adoratio, qua Deus adoratur à nobis, religionis eſt actus.

ART. II. Vtrum adoratio importet actum corporalẽ.

Concluſio. Quia ex duplici natura cõpoſiti ſumus, intellectuali ſcilicet & ſenſibili, duplicem adorationem Deo offerimus, ſcilicet ſpiritualem, quę conſiſtit in interiori mentis deuotione: & corporalem, quæ conſiſtit in exteriori corporis humiliationem.

AR. III. Vtrum adoratio requirat determinatũ locũ.

Concluſio. Quanquam non principaliter, ſecundario tamen aliquis eſt locus ad decentiam adorationis & diuinis honoribus deputandus.

QVAESTIO LXXXV

De his quæ Deo à fidelibus dantur, & primò de Sacrificijs, in quatuor articulos diuiſa

ARTICVLVS I

Vtrum offerre ſacrificium Deo, ſit de lege naturæ.

Concluſio. Ex naturali ratione procedit, quòd homo quibuſdam ſenſibilibus rebus utatur offerens eas Deo in ſignum debitæ ſubiectionis & honoris, ſecundùm ſimilitudinem eorum qui dominis ſuis aliqua offerunt in recognitionem domini. Hoc autem pertinet ad rationem ſacrificii: Et ideo oblatio ſacrificii pertinet ad ius naturale.

ART. II. Vtrum ſoli Deo ſit ſacrificium offerendum.

Concluſio. Cùm ſolus Deus ſit animarum noſtrarum creator ac beatificator: ei ſoli ſacrificiorum honor exhibendus eſt.

AR. III. Vtrum oblatio sacrificij sit specialis actus uirtutis.

Conclusio. Contingit & ea, quæ secundùm alias uirtutes fiunt in diuinam reuerentiam ordinari. Et secundùm hoc etiam actus aliarum uirtutum sacrificia dici possunt. Sunt tamen quidam actus, qui non habent ex alio laudem, nisi quia fiunt propter reuerentiam diuinam. Et isti actus propriè sacrificia dicuntur, & pertinent ad uirtutem religionis.

AR. IIII. Vtrũ omnes teneãtur ad sacrificia offerẽda.

Conclusio. Omnes tenentur aliquod interius sacrificium Deo offerre, deuotam uidelicet mentem, & exterius sacrificium eorum, ad quæ ex præcepto tenẽtur, siue sint uirtutum actus, siue certæ & determinatæ oblationes.

QVAESTIO LXXXVI.

De Oblationibus & primitijs, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum homines teneantur ad oblationes ex necessitate præcepti.

Conclusio. Tenentur homines, non quidem ad ueteris legis oblationes faciendas, sed ad quasdam alias in noua lege statutas.

ART. II. Vtrum solum sacerdotibus debeantur oblationes,

Conclusio. Cùm sacerdos medius sit inter Deum & populum: ei sunt à populo oblationes exhibendę, non solum ut eas in proprium usum assumat, sed ut fideliter dispenset, in his quæ ad diuinum spectãt cultum, seu in usu & sustentationem pauperum.

ART. III. Vtrum homo possit oblationes facere de omnibus rebus licitè possessis.

Con-

Conclusio. De iniustè acquisitis & possessis nō potest oblatio fieri. In ueteri autem lege, quædam propter significationem reputabantur immunda, quæ offerre non licebat. Sed in lege noua omnis creatura Dei reputatur munda. Et ideo quantum est de se, de quolibet licitè possesso potest oblatio fieri. Per accidens autem cōtingit, quòd de aliquo licitè possesso oblatio fieri non potest: puta si uergat in detrimentum alterius, ut si filius aliquis offerat Deo id unde debet patrem nutrire: Vel propter scandalum, uel proper contemptum, uel aliquid aliud huiusmodi.

ART. IIII. Vtrum ad primitias soluendas homines teneantur.

Conclusio. Tenentur omnes de fructibus à se ex terra perceptis, primitia soluere in lege quidem ueteri secundùm legis determinationem: in noua uerò secundum Patriæ & Ecclesiæ consuetudinem.

QVAESTIO LXXVVII.

De decimis, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum homines teneantur dare decimas ex necessitate præcepti.

Conclusio. Ad solutionem decimarum homines tenentur partim quidem ex iure naturali, partim etiā ex institutione Ecclesiæ. Quæ tamen pensatis opportunitatibus temporum, & personarum, posset aliam partem determinare soluendam.

AR. II. Vtrū d̄ oībus teneātur homines decimas dare.

Conclusio. Ex omnibus, quæ omnino possidet, cū carnalia sint, tenetur ad decimas personales, secundū consuetudinem Patriæ & indigentiam ministrorum. Debentur autem decimæ de fructibus terræ, inquantum proueniunt ex diuino munere. Et ideo decimæ

nō cadunt sub tributo, nec etiam sunt obonoxiæ mercedis operariorum. Et ideo non debent prius deduci tributa, & pretium operariorum, sed ante omnia debent decimæ solui ex integris fructibus.

ART. III. Vtrum decimæ sint clericis dandæ.

Conclusio. Ius accipiendi decimas spirituale est, quod ad solos clericos ꝑtinet habētes curā animarum, & ideo eis solū cōpetit hoc ius habere. Res autem q̄ noīe decimarū dant, corporales sunt. Vnde possūt in usum quorūlibet cedere & sic possūt ēt ad laicos peruenire.

ART. IIII. Vtrū etiā clerici teneantur decimas dare.

Conclusio. Clerici, inquantum clerici decimas dare non tenentur, ut uerò possessores propriorum bonorum, sunt ad eas soluendas obligati.

QVAESTIO LXXXVIII,

De Voto, per quod quippiam Deo homines promittunt, in duodecim articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS

Vtrū uotū consistat in solo proposito uoluntatis.

Conclusio. Ad uotum tria ex necessitate requiruntur. Primò quidem deliberatio. Secundo propositum uolūtatis. Tertio promissio, in qua perficitur ratio uoti. Superadduntur uerò quandoq; & alia quo ad quandam uoti confirmationem, scilicet pronunciatio oris & testimonium aliorum.

ART. II. Vtrum uotum semper debeat fieri de meliori bono.

Conclusio. Votum omne, cùm sit uoluntaria promissio Deo facta, de meliori bono oportet esse: non autem de malo, seu de eo, quod quis alias facere tenetur, uel de indifferenti.

ART. III. Vtrum omne uotum obliget ad sui obseruationem.

Con-

Conclusio. Cùm homines teneantur Deo fidelitatem seruare: necessarium est, quæ quis uouerit, omnino implere.

AR. IIII. Vtrum expediat aliquid uouere.

Conclusio. Promissio, qua Deo aliquid uouemus non cedit in eius utilitatem, qui à nobis certificari non indiget, sed ad utilitatem nostram, inquantum uouendo uoluntatem nostram immobiliter firmamus ad id quod expedit facere. Et ideo expediens est uouere.

ARTIC. V. Vtrum uotum sit actus latriæ religionis.

Conclusio. Vouere est propriè actus latriæ ac religionis, cùm ad diuinum cultum sint uota ordinata.

ART. VI. Vtrum magis sit laudabile, & meritorium facere aliquid ex uoto, quàm sine uoto.

Conclusio. Facere idem opus cum uoto est melius & magis meritorium, quàm facere sine uoto. Primò quidem, quia uouere est actus latriæ quæ est præcipua inter uirtutes morales. Secundo, quia ille qui uouet aliquid & facit, plus se Deo subijcit, quã ille qui solum facit. Tertio, quia per uotum immobiliter uoluntas firmatur in bonum.

ART. VII. Vtrum uotum solennizetur per susceptionem sacri ordinis, & per professionem ad certam regulam.

Conclusio. Duobus modis uoti solennitas celebratur, nimirum quando quispiam per susceptionem sacri ordinis se totum diuino ministerio tradit, & quãdo per certæ regulę professionem, relicto seculo, & abdicata propria uoluntate, perfectionis statum assumit.

ART. IIII. Vtrum illi, qui sunt alterius potestati subiecti, impediantur à uouendo.

Con-

ART. II. Vtrum religio sit una uirtus.

Cõclusio. Religio cùm unum Deum respiciat, tanquam unum principium creationis & gubernationis rerum: una simpliciter uirtus est.

ART. IIII. Vtrum religio sit specialis uirtus ab alijs distincta.

Cõclusio. Religio est specialis uirtus ab alijs distincta, cùm per illam Deo specialis honor exhibeatur.

ART. V. Vtrum religio sit uirtus Theologica.

Conclusio. Deus non comparatur ad uirtutem religionis sicut materia uel obiectum, sed sicut finis. Et ideo religio non est uirtus Theologica, cuius obiectũ est ultimus finis: sed est uirtus moralis, cuius esse est circa ea quæ sunt ad finem.

ART. VI. Vtrũ religio sit præferenda alijs uirtutibus moralibus.

Conclusio. Religio inter uirtutes morales de propinquo cum magis ad Deum accedat: earum quoque necessariò excellentissima est.

ART. VIII Vtrum religio habeat aliquem exteriorem actum.

Conclusio. Non modo interioribus actibus ipsa religionis uirtus perficitur, sed exterioribus: non quidem principaliter, sed quasi secundariò, & ut ad interiores ordinatis.

ART. VIII. Vtrum religio sit idem sanctitati.

Conclusio. Sanctitas dicitur per quam mens hominis seipsam, & suos actus applicat Deo. Vnde non differt à religione secundùm essentiam, sed solùm ratione. Nam religio dicitur secũdùm quòd exhibet Deo debitum famulatum in his quæ pertinent specialiter ad cultum diuinum, sicut in sacrificijs, oblationibus, & alijs huiusmodi.

Conclusio. Non potest quispiam alteri subiectus se per uotum firmiter obligare in his, in quibus alteri subijcitur, sine sui superioris consensu.

AR. IX. Vtrum pueri possint uoto se obligare ad religionis ingressum.

Conclusio. Pueri ante pubertatis annos si usum rationis non habuerint, non possunt se ad aliquid uoto obligare: si uerò rationis usum attigerint, possunt se uoto obligare; quanquam eorum uota per illos, qui supra ipsos potestatem habent, irritari possint. nullo autem modo solenni uoto possunt se obligare etsi rationis usum habuerint; post annum autem pubertatis, possunt se tam simplici, quàm solenni uoto astringere.

ART. X. Vtrum possit in uoto dispensari.

Conclusio. Minus est uotum commutare, quàm in uoto dispensare. Vtrunque tamen in potestate Ecclesiæ consistit.

A R. XI. Vtrum in uoto solenni continentiæ possit fieri dispensatio.

Conclusio. Non potest in solenni uoto continentiæ per possessionem religionis consecrato, fieri etiã per summum Pontificem dispensatio: in uoto autem solẽnizato per sacri ordinis susceptionem, potest Ecclesiæ auctoritate fieri dispensatio.

AR. XII. Vtrum ad commutationem uel dispensationem uoti requiratur prælati auctoritas.

Conclusio. Cùm prælatus in Ecclesia Dei uicẽ gerat: non potest aliqua absque eius auctoritate fieri in uotis dispensatio, uel commutatio.

QVAESTIO LXXXIX.

De iuramento, in decem articulos diuisa.

ART,

ATRICVLVS PRIMV

VTrum iurare sit testem Deum inuocar

Conclusio. Assumere Deum in testem dicit ut iurare, quia quasi pro iure introductũ est, ut quod sub inuocatione diuini testimonij dicitur, ꝓ uerò habeat.

ART. II. Vtrum sit licitum iurare.

Conclusio. Iurare secundùm se, licitum & honestum. Sed cedit in malum alicui, ex eo quòd male utitur eo, id est, sine necessitate, & cautela debita.

AR. III. Vtrum conuenienter ponantur tres comites iuramenti, uidelicet iustitia, iudicium & ueritas.

Conclusio. Iurantem omnem oportet in iudicio discretionis, ueritate probationis, & iustitia licitæ confirmationis iurare.

ART. IIII. Vtrum iurare sit actus religionis siue latriæ.

Conclusio. Iuramentum nõ est actus latriæ, sed religionis, quia in hoc ipso quod homo per Deum iurat, profitetur Deum potiorem, utpote cuius ueritas est indefectibilis, & cognitio uniuersalis. Et sic Deo aliquo modo reuerentiam exhibet.

ART. V. Vtrum iuramentum sit appetendum & frequentandum tanquam utile & bonum.

Conlusio. Iuramentum quæritur ad subueniendũ alicui defectui, quo scilicet unus homo alteri discredit. Et ideo iuramentum non est habendum inter ea quæ sunt per se appetenda, sed inter ea quæ sunt huic uitæ necessaria: quibus indebitè utitur, quicunque eis utitur ultra terminos necessitatis.

ART. VI. Vtrum liceat per creaturas iurare.

Conclusio. Iuramentum per simplicem contestationem non nisi per Deum principaliter, secundariò autem ꝓ creaturas, ut in ipsis diuina elucet ueritas fieri debet:

debet: in iuramento uerò per execrationem induci possunt quas diligimus creaturæ, ut in quibus diuinum exerceatur iudicium.

AR.VII. Vtrum iuramentum habeat uim obligādi.

Conclusio. Quicunq; iurat aliquid se facturum, obligatur ad id faciendum, ad hoc quòd ueritas impleatur: si tamen alij duo comites adsint, scilicet iudiciū & iustitia.

ART. VIII. Vtrum maior sit obligatio iuramenti, quàm uoti.

Conclusio. Votum secundum suam rationē magis est obligatorium, quàm iuramentum.

AR.IX. Vtrum aliquis possit in iuramēto dispēsare.

Cōclusio. Sicut in uoto aliqua necessitatis seu honestatis causa potest fieri dispensatio: ita & in iuramēto.

ART. X. Vtrum iuramentum impediatur per aliquam conditionem personę uel temporis.

Conclusio. Cū iuramentū in Dei reuerentiā exhibeatur in eorum confirmationē, quæ ab hominibus dicuntur: conueniēter pueri, ac periuri, iurare prohibētur, ac psonæ ecclesiasticæ, nisi in casu necessitatis, uel magnæ utilitatis, & in spiritualium cōfirmatione.

QVAESTIO XC.

De Diuini nominis assumptione per modum adiurationis, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum liceat adiurare hominem.

Conclusio. Sicut Deum, ita & homines adiurare licet, quanquam non secundùm eandem rationem. Nam adiurando hominem, eius uoluntatem per reuerentiam rei sacræ immutare intendimus. Sed quòd à Deo per æternam eius uoluntatem aliquid obtineamus, non est ex meritis nostris, sed ex eius bonitate.

ART. II. Vtrum liceat dæmones adiurare.

Conclusio. Licet dæmones adiurare, non quidem eos deprecando, uel inducendo ut nobis per sacra obsequantur: sed ipsos repellendo per diuini nominis uirtutem tanquam inimicos nostros, ne aliquo nobis noceant modo.

ART. III. Vtrũ liceat irrationalẽ creaturam adiurare.

Conclusio. Quanquam uanum sit irrationales creaturas secundùm se adiurare; ut tamen ad Deum referuntur, decet illas nonnunquam adiurare uel per modum deprecationis ad Deum directè, quod pertinet ad eos qui miracula faciunt, uel per modum compulsionis quæ refertur ad diabolum, qui in nocumentũ nostrũ utitur irrationalibus creaturis. Et talis est modus adiurandi in Ecclesiæ exorcismis: per quos dęmonum potestas excluditur ab irrationalibus creaturis.

QVAESTIO XCI,

De diuini nominis assumptione ad inuocandum per orationem uel laudem, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum Deus sit ore laudandus.

Cõclusio. Necessaria est laus oris, non quidem propter Deũ, sed propter ipsum laudantẽ: cuius affectus excitatur in Deũ ex laude ipsius. Prodest etiã laus oris ad hoc, quòd aliorum affectus prouocetur in Deum.

ART. II. Vtrum in diuinis laudibus sint cantus assumendi.

Conclusio. Salubriter fuit institutum, ut in diuinas laudes cantus assumerentur: ut animi infirmorum magis prouocarẽtur ad deuotionẽ. Et licet audientes aliquando non intelligant quæ cantantur, intelligũt tamen propter quid cantantur, scilicet ad laudem Dei. Et hoc sufficit ad deuotionem excitandam.

QVAE-

QVAESTIO XCII.

De uitijs religioni oppoſitis, & primò de ſuperſtitione, in duos articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum ſuperſtitio ſit uitium religioni contrarium.

Concluſio. Superſtitio eſt uitiū religioni oppoſitū ſecundū exceſſum, non quia plus exhibeat in cultū diuinum quā uera religio, ſed quia exhibet cultum diuinū, uel cui non debet, uel eo modo quo non debet.

ART. II. Vtrum ſint diuerſæ ſuperſtitionis ſpecies.

Cōcluſio. Multæ ſunt ſuperſtitionis ſpecies, ut indebitus ueri Dei cultus, idololatria, diuinationes ac uaria obſeruantiarum genera.

QVAESTIO XCIII.

De ſuperſtitione indebiti cultus diuini, in duos articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum in cultu ueri Dei posſit eſſe aliquid perniciosum.

Concluſio. Si per cultū exteriorem aliquid falſum ſignificetur, erit cultus pernicioſus.

AR. II. Vtrū ī cultu Dei poſsit eſſe aliquid ſuperfluū.

Concluſio. Secundùm abſolutam quantitatem, nō poteſt eſſe aliquid ſuperfluum in diuino cultu: quia nihil poteſt homo facere quod nō ſit minus eo quod Deo debet. Si autem aliquid ſit, quod quantum eſt de ſe, non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc ꝙ mēs hominis feratur in Deum, aut quòd carnis concupiſcentiæ moderatè refrenentur, aut etiā ſi ſit præter Dei & Eccleſiæ inſtitutionem, uel contra conſuetudinem communem: totum hoc reputandum eſt ſuperfluum & ſuperſtitioſum, quia in exterioribus ſolum conſiſtens, ad interiorem Dei cultum non pertinet.

QVAESTIO XCIIII.

De Idololatria, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum idololatria rectè ponatur species superstitionis.

Conclusio. Hæresis est species infidelitatis. Sed idololatria est species superstitutionis.

ART. II. Vtrum idololatria sit peccatum.

Conclusio. Idololatria est ex natura sua uitium ac mortale peccatum, tam interiori, quàm exteriori opere. Cæterum neque in ueteris legis tabernaculo seu, templo, neque etiam nunc, imagines in Ecclesia instituuntur, ut eis cultus latriæ exhibeatur: sed ad quãdam significationem, ut per huiusmodi imagines mentibus hominum imprimatur & confirmetur fides de excellentia Angelorum & Sanctorum.

ART. III. Vtrũ idololatria sit grauissimũ peccatorũ.

Conclusio. Quanquam idololatria secũdùm se grauissimum uitium sit: potest tamen ex mala peccantis dispositione, aliud uitiũ grauius idololatria esse. sicut nihil prohibet grauius peccare hæreticos, qui scienter corrumpunt fidem quam acceperunt, quã idololatras ignoranter peccantes.

ART. IIII. Vtrum causa idololatriæ fuerit ex parte hominis.

Conclusio. Ex parte hominũ causa idololatriæ fuit uel inordinatus affectus, uel repræsentationis delectatio. uel ignorãtia: cõsummatiua aũt eius causa fuerũt Dæmones, qui se hominibus colẽdos in idolorũ imaginibus exhibuerũt, aliqua in illis mirabilia faciẽdo,

QVAESTIO XCV.

De Superstitione diuinatiua, in octo articulos diuisa.

AR.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum diuinatio sit peccatum.

Conclusio. Diuinatio peccatum est, quo quis sibi usurpat futurorum, ut futura sunt, notitiam & prædictionem, quod soli Deo proprium esse, certum est.

ART. II. Vtrum diuinatio sit species superstitionis.

Conclusio. Diuinatio superstitionis species est, ex modo operationis: curiositatis autem ex fine.

ART. III. Vtrum sit determinare plures diuinationis species.

Conclusio. Tria genera diuinationis esse certum est, sub quibus uariæ extant diuinationis species, quorum alterum est per manifestã dæmonum inuocationem, quod attinet ad necromanticos: alterũ uerò sumptum penes dispositionem & motum alterius rei, quod spectat ad augures: aliud uerò ad sortes spectat.

ART. IIII. Vtrum diuinatio, quæ fit per inuocationes dæmonum, sit licita.

Conclusio. Diuinatio, quæ fit per dæmonum expressam inuocationem, omnino illicita est.

ART. V. Vtrum diuinatio, quæ fit per astra, sit illicita.

Conclusio. Contingentium & casualium per certitudinem diuinatio superstitiosa, & illicita est; diuinatio uerò naturalium futurorum, quæ ex cœlestium dispositione necessariò eueniunt, non illicita, sed honesta est.

ART. VI. Vtrum diuinatio quæ fit per somnia, sit illicita.

Conclusio. Diuinatio suscepta in somnis, quæ ex diuina sunt reuelatione, aut quauis naturali causa intrinseca, uel extrinseca, illicita non est: at ea, quæ ex dæmonum reuelatione procedit, superstitiosa, & omnino illicita est.

A R. VIII. Vtrum diuinatio, quæ fit per auguria & omina, & alias huiusmodi obseruatione exteriorum rerum sit illicita.

Conclusio. Omnis huiusmodi diuinatio si extēdat ultra illud, ad quod potest pertingere secundū ordinē naturæ, uel diuinæ ꝓuidētiæ, ē su pstitiosa & illicita.

ART. VIII. Vtrum diuinatio sortium sit illicita.

Conclusio. Diuinatio per srtes cœlestium dispositioni, seu dæmonum imperio commissas, illicita est: ut uerò in Deum referuntur, non illicitum est quippiam per sortes diuinari.

QVAESTIO XCVI.

De superstitionibus obseruantiarum, in quatuor articulos diuisa

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum uti obseruantijs artis notoriæ, sit illicitum.

Conclusio. Ars notoria est & illicita, & inefficax, quia utitur quibusdam ad scientiam acquirendā, quæ non habent secundùm se uirtutem causādi scientiā, sicut inspectione quarundā figurarum, & prolatione quorundā ignotorum uerborum, & alijs huiusmodi. Et ideo penitus est repudiāda, & fugiēda Christiano, sicut & aliæ artes nugatoriæ, uel noxiæ su pstitionis.

ART. II. Vtrum obseruationes ad corporum immutationem ordinatæ, puta ad sanitatem, uel ad aliquid huiusmodi, sint illicitæ.

Cōclusio. Si simpliciter adhibeantur res naturales ad aliquos effectus producendos, ad quos putantur naturalem habere uirtutem, non est superstitiosum, uel illicitum. Si uerò adiungantur uel characteres aliqui, uel aliqua nomina, uel aliæ quæcunque uariæ obseruationes, quæ manifestū est naturaliter efficaciam non habere, erit superstitiosum & illicitum.

ART.

AR. III. Vtrũ obseruatiões q̃ ordinant ad præcognoscendum aliqua fortuna uel infortunia sint illicita.

Concl. Obseruationes quibus hoies utunt ad futurorum euentuum siue bonorũ siue malorum notitiã superstitiosæ & illicitæ sunt, cùm ut signis, nõ autem ut causis eis homines utantur.

AR. IIII. Vtrũ suspẽdere diuina uerba ad collũ sit illicitum.

Conclusio. In omnibus incãtationibus uel scripturis suspensis duo cauẽda uidentur. Primò quidẽ quid sit quod profertur uel scribitur: quia si est aliquid ad inuocationẽ dæmonũ pertinẽs, manifestè est superstitiosum & illicitũ. Similiter ẽt uidetur esse cauendum si cõtineat ignota nomina, ne sub illis aliquid illicitũ lateat. Est etiã cauendũ, ne aliquid falsitatis contineat quia sic eius effectus non posset expectari à Deo, qui non est testis falsitatis, Deinde cauendũ est secũdo, ne cũ uerbis sacris contineantur aliqua uana: puta aliqui characteres inscripti præter signũ crucis. Aut si spes habeatur in modo scribẽdi aut ligãdi, aut in quacunq; huiusmodi uanitate, quæ ad diuinã reuerentiã nõ pertineat: quia hoc iudicaretur superstitiosum: alias aũt est licitũ. Nec in collectionibus herbarũ, quæ medicinales sunt, aliquas obseruationes, aut incantationes licet attendere, nisi tantùm cum symbolo diuino aut dominica oratione: ut tantũ creator & Deus omniũ adoretur & honoret. Etiã proferre diuina uerba aut inuocare diuinũ nomen, si respectus habeatur solum ad Dei reuerentiam, à qua expectatur effectus, licitũ erit. Si uerò habeatur respectus ad aliquid aliud uane obseruatum, illicitum erit. Etiam in incantationibus serpentum uel quorumcunque animalium, si respectus habeatur solum ad uerba sacra, & ad uirtutem diuinam, non erit illicitum. Sed plerunque tales incantationes habent illicitas obseruantias, & per

dæmones fortiuntur effectum: eadem etiam ratio est de portatione reliquiarum: quia si portētur ex fiducia Dei & sanctorum quorū sunt reliquiæ, non erit illicitū. Si autem circa hoc attenderetur aliquid aliud uanum quod non pertineret ad reuerentiam Dei & Sanctorum esset superstitiosum & illicitum.

QVAESTIO XCVII.

De tentatione Dei, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum Dei tentatio consistat in aliquibus factis, in quibus solius diuinæ potestatis expectatur effectus.

Conclusio. Deum tentare uerbis uel factis dicitur, qui potens facere quod in se est, sine ratione uarijs se exponit periculis experiēs utrū ualeat à Deo liberari.

ART. II. Vtrum tentare Deum sit peccatum.

Conclusio. Tentare Deum, ut quis diuinam cognoscat uirtutem, peccatum est, cùm ex ignorantia Dei procedat: non autem si quis Deum tentet, ut diuina alijs manifestetur uirtus. Neque enim Achaz signum petendo tentasset Deum: tùm quia ex mandato Dei petijsset, tùm quia hoc pertinebat ad utilitatem communem. Abraham autem signum petijt ex instinctu diuino, & ideo non peccauit. Gedeon uerò ex debilitate fidei signum petijsse uidetur, & ideò à peccato non excusatur. Sicut & Zacharias peccauit. Lucæ 1. Vnde & propter hanc incredulitatem punitus fuit. Sciendum autē quòd dupliciter aliquis signum petit à Deo. Vno modo, ád explorandum diuinam potestatem; aut ueritatem dicti eius: & hoc de se pertinet ad Dei tentationem. Alio modo, ad hoc quòd instruatur quid sit circa aliquod factum placitum Deo. Et hoc nullo modo pertinet ad Dei tentationem.

AR. III. Vtrū tētatio Dei opponat uirtuti religionis.

Con-

Concluſio. Tentare Deum uirtuti religionis aduerſatur, cùm ad eius irreuerentiam ſpectet.

ART. IIII. Vtrum tentatio Deo ſit grauis peccatum quam ſuperſtitio.

Concluſio. Grauius peccatũ eſt ſuperſtitionis uitiũ, quam Dei tentatio. Quia ſupeſtitioſus proteſtatur errorem de Deo. Ille autem qui tentat Deum uerbis uel factis, proteſtatur dubitationem de diuina excellentia.

QVAESTIO XCVIII.

De periurio, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum falſitas eius quod in iuramento confirmatur, requiratur ad periurium.

Concluſio. A falſitate precipuè ſpecificatur peruerſitas iuramẽti, quæ periurium dicitur. Et ideo falſitas eſt de ratione periurij.

ART. II. Vtrum omne periurium ſit peccatum.

Cõcluſio. Omne periurium peccatum eſt, quod religioni aduerſatur.

AR. III. Vtrum omne periurium ſit peccatũ mortale.

Concluſio. Periurium, cùm ſecundum ſuam rationem contemptũ Dei importet, manifeſtè mortale peccatum eſt. Ille autem qui ex lapſu linguæ falſum iurat, ſi quidem hoc nõ aduertat, non uidetur habere intentionẽ iurãdi, & ideo à crimine periurij excuſat.

ART. IIII. Vtrum peccet ille, qui iniungit iuramentum ei qui periurat.

Concluſio. Si quis ut priuatus exigat iuramentum ab aliquo, quem neſciat iuraturum falſum, non peccat, ſecus autem, ſi ſciret: perſona uerò publica exigens iuramentum ſecundùm ordinem iuris ad pe-

titionem alterius, non uidetur esse in culpa, si ipse iuramentum exigat, siue sciat eum falsum iurare, siue uerum: quia non uidetur ille exigere, sed ille ad cuius instantiam exigit.

QVAESTIO XCIX.

De sacrilegio in quatuor articulos diuisa

ARTICVLVS. I.

Vtrum sacrilegium sit sacræ rei uiolatio.

Conclusio. Omne illud quod ad irreuerentiam rerum sacrarum pertinet, ad iniuriam Dei pertinet, & habet sacrilegii rationem.

ART. II. Vtrum sacrilegium sit peccatũ speciale.

Conclusio. Cùm in sacrilegio res Deo dicata uioletur per aliquam irreuerentiam: oportet sacrilegii uitium speciale peccatum esse.

ART. III. Vtrum species sacrilegii distinguantur secundùm res sacras.

Conclusio. Res sacra, cum sacrilegii obiectum sit, distingui oportet sacrilegii species, per uaria rerum sacrarum genera.

AR. IIII. Vtrũ pęna sacrilegii debeat esse pecuniaria.

Conclusio. Excommunicationis pœna digni sunt sacrilegium committentes, secũdum quandam æqualitatem; mortis uero, uel pecuniarum secũdum quoddam medele remedium, quo à sacrilegiis reuocentur.

QVAESTIO C,

De Simonia in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Simonia sit studiosa uoluntas emendi uel uendendi aliquid spirituale, uel spirituali annexum.

Conclusio. Cùm spiritualia, gratis sub cura dispensationis prælatis commissa, nullo ualeant terreno com-

compensari prætio uitium Simoniæ incurrunt,quicũ que student uendere seu emere spiritualium aliquod, uel spirituali annexum.

ART.II. Vtrum semper sit illicitum pro Sacramentis pecuniam dare.

Conclusio. Pro spiritualiũ administratione aliquid suscipere tanquam mercedis pretium, simoniacum & illicitum est: non autem tanquam necessitatis & subuentionis stipendium.

ART.III. Vtrum liceat dare & accipere pecuniam pro spiritualibus actibus.

Cõclusio. Accipere uel dare aliquid pro spiritualia ministrantium sustentatione, dum tamẽ absit emptionis uel uenditionis cogitatio, illicitum minimè est.

ART.IIII. Vtrum sit licitum pecuniam accipere pro his, quæ sunt spiritualibus annexa.

Conclusio. Pecuniam suscipere pro spiritualibus annexis, ita quòd ex spiritualibus pendent, illicitum est: quia eis uenditis intelliguntur etiam spiritualia uenditioni subiici, quædam autem sunt annexa spiritualibus, inquantum ad spiritualia ordinantur, quæ non præsupponunt spiritualia, sed magis ea ordine tẽporis præcedunt. Et ideo aliquo modo uendi possunt, non autem inquantũ sunt spiritualibus annexa.

ART.V. Vtrum liceat spiritualia dare pro munere quod est ab obsequio, uel à lingua.

Conclusio. Sicut suscipientes pecuniam pro spiritualibus simoniaci sunt: ita quoduis munus linguæ, uel obsequii recipientes simoniaci censentur.

ART. VI. Vtrum sit conueniens simóniaci pœna, ut priuetur eo quod per simoniam acquisiuit.

Conclusio. Simoniacorũ pœna cõdigna est, ut his spiritualibus bonis priuentur, quæ per simoniam ac

quisi-

quisiuerunt. Insuper autem simoniaci tam uendētes quam ementes spiritualia, aut etiam mediatores aliis pœnis puniuntur, scilicet infamia & depositione, si sint clerici: & excommunicatione, si sint laici.

QVAESTIO CI

De pietate, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum pietas se extendat ad determinatas personas aliquorum hominum.

Conclusio. Pietas non modo in Deum, sed parentes, patriā, & consanguineos extēditur: quaquam in Deum principaliter, secundario ad alios extendatur.

ART. II, Vtrum pietas exhibeat parentibus sustentationem.

Conclusio. Quanquam pietatis officio honor parētibus per se sit exhibendus: decet tamen ut ex pietate beneficium subuentionis ac sustentationis præstetur parentibus necessitatem patientibus.

ART. III. Vtrum pietas sit specialis uirtus ab aliis distincta.

Conclusio. Pietas specialis est uirtus, qua quis officium & cultum exhibet parentibus, & patriæ, & consanguineis.

VR. IIII. Vtrum occasione religionis sint prætermittenda pietatis officia in parentes.

Conclusio. Cū pietas ac religio sint duæ uirtutes: non sunt propter religionem dimittenda pietatis officia, nisi ex his à cultu Dei ualde distrahamur.

QVAESTIO CII.

De Obseruantia & illius partibus, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I

Vtrū obseruātia sit specialis uirtus, ab alijs distincta.

Con-

Conclusio Obseruantia est quædam specialis uirtus pietate contenta, per quam personis in dignitate constitutis, cultum & honorem exhibemus.

ART. II. Vtrum ad obseruantiam pertineat exhibere cultum & honorem his, qui sunt in dignitate constituti.

Conclusio. Cultum & honorem his exhibere, qui sunt in dignitate constituti, obseruantiæ munus est: etiam si non simus eis subiecti.

ART. III. Vtrum obseruantia sit potior uirtus, quàm pietas.

Conclusio. Pietas obseruantiæ præeminet, inquantum cultum reddit personis magis coniunctis, quibus magis obligamur.

QVAESTIO CIII.

De Dulia, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS

VTrum honor importet aliquid corporale.

Conclusio. Honor, quò ad Deū, quanquam in interiori actu consistat: honor tamen, quò ad homines, in exterioribus signis, & corporalibus consistit.

ART. II. Vtrū honor propriè debeatur superioribus.

Conclusio. Honor alicui non debetur, nisi ratione alicuius superioritatis.

AR. III. Vtrū dulia sit specialis uirtus à latria distīcta.

Conclusio. Dulia, per quam cultum exhibemus homini dominanti, alia uirtus à latria est per quam diuino dominio cultum & honorem exhibemus.

A R. IIII. Vtrum dulia habeat diuersas species.

Conclusio. Dulia potest accipi uno modo, communiter, secundùm quod exhibet reuerētiam cuicunq; homini ratione cuiuscunque excellentiæ, & secundū hoc habebit partes specie diuersas. Alio modo potest

ſumi ſtrictè, prout ſecundum eam reuerētiā exhibet ſeruus domino. Nam dulia ſeruitus dicitur. Et ſecun dùm hoc non diuiditur in diuerſas ſpecies, ſed eſt una ſpecies obſeruantiæ.

QVAESTIO CIIII.

De Obedientia, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum unus homo teneatur alteri obedire.

Concluſio. Vt in naturalibus inferiora ſuperiorum motioni ſubijciuntur: ita in humanis ex ordine natu ralis ac diuini iuris tenentur inferiores ſuis ſuperiori bus obedire.

ART. II. Vtrum obedientia ſit ſpecialis uirtus.

Concluſio. Obedientia eſt quædā ſpecialis uirtus, cui obiectum eſt ſuperioris præceptum, tacitum uel expreſſum.

ART. III. Vtrum obedientia ſit maxima uirtutum.

Concluſio. Inter omnes uirtutes morales laudabilior, & longè excellentior eſt obedientia, qua propria uoluntas Deo conſecratur, quo omnes aliarum uirtu tum actus meritorij redduntur: at uirtutes Theologicæ ſunt potiores uirtutibus moralibus.

ART. IIII. Vtrum in omnibus ſit Deo obediendum.

Concluſio. Sicut naturali neceſsitate omnia ſubduntur diuinæ motioni: ita quadam iuſtitiæ neceſsitate omnes uolūtates diuino imperio parere tenētur.

ART. V. Vtrum ſubditi teneantur ſuis ſuperioribus in omnibus obedire.

Concluſio. Tenentur ſubditi ſuis ſuperioribus obe dire in omnibus, in quibus eis ſubijciuntur: niſi ſint contra ſuperioris Prælati, uel Dei uoluntatem.

ART.

ART. VI. Vtrum Christiani teneantur secularibus potestatibus obedire.

Conclusio. Cùm per fidem Christi firmetur magis quàm tollatur iustitiæ ordo: necessarium est, ut Christi fideles secularibus potestatibus subijciantur: At si non habeant iustum principatum, sed usurpatum, uel si iniusta præcipiant: non tenētur eis subditi obedire, nisi fortè per accidens, propter uitandum scandalum, uel periculum.

QVAESTIO CV.

De Inobedientia, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum inobedientia sit peccatum mortale.

Conclusio. Non obedire diuinis præceptis, & superiorum mandatis, peccatum mortale est, cùm charitati aduersetur.

AR. II. Vtrū inobedientia sit grauissimū peccatum.

Conclusio. Inobedientia, ut est speciale peccatum, non est simpliciter grauissimum peccatum.

QVAESTIO CVI.

De gratia siue gratitudine, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum gratia sit specialis uirtus ab alijs distincta:

Conclusio. Gratia siue gratitudo, quæ benefactoribus beneficium recompensat, est specialis uirtus à religione, pietate, & obseruantia distincta.

ART. II. Vtrum magis teneatur ad gratias reddendas Deo innocens, quàm pœnitens.

Conclusio. Magis tenetur ad gratiarū actiones pœnitens quàm innocens, quia magis gratis datur illud quod ei datur à Deo. Cū enim esset dign⁹ pęna, datur ei gratia. Et sic, licet illud donū qđ datur innocēti sit absolutè

absolutè consideratum maius tamen donum quod datur pœnitenti est maius in comparatione ad ipsum.

AR. III. Vtrum homo teneatur ad gratiarum actionum omni homini benefacienti.

Conclusio. Cùm benefactor sit causa beneficiati: tenetur is, cui benefit, suo benefactori gratias agere.

AR. IIII. Vtrum homo debeat statim beneficium recompensare.

Conclusio. Quantum quidem ad affectum, recompensatio statim fieri debet: quantũ autem ad donum debet expectari tempus, quo recompensatio sit benefactori opportuna.

ART. V. Vtrum gratiarum actio sit attendenda secundùm affectum beneficiantis, an secundùm effectum.

Conclusio. Recompensatio, quæ fit secundùm iustitiam, uel amicitiam utilis, secundùm effectum magis, quàm affectum attendenda est: in amicitia autem honesti & in gratia, magis secundùm affectum.

ARTIC. VI. Vtrum oporteat aliquem plus exhibere in recompensatione, quàm susceperit in beneficio.

Conclusio. Quãdiu aliquis recompensat minus, uel æquale, non uidetur facere gratis, sed reddere quod accepit. Et ideo gratiæ recompensatio semper tendit, ut pro suo posse aliquid maius retribuat.

QVAESTIO CVII.

De Ingratitudine, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum ingratitudo sit semper peccatum.

Conclusio. Quæuis ingratitudo, cum gratitudinis uirtuti aduersetur, peccatum est.

ART. II. Vtrum ingratitudo sit speciale peccatũ.

Con-

Concluſio. Sicut gratitudo ſpecialis eſt uirtus, cui ingratitudo aduerſatur: ita ingratitudo ſpeciale peccatum eſt, in uarios diſtinctum gradus uel modos.

AR. III. Vtrũ ingratitudo ſemper ſit peccatũ mortale.

Concluſio. Ingratitudo, quæ ex mortali procedit, mortale peccatũ eſt: quæ uerò ex ueniali, ueniale eſt.

AR. IIII. Vtrum ingratis ſint beneficia ſubtrahenda.

Concluſio. Quanquam beneficiorum gratia ſit ingrato ſubtrahenda ipſo iure ingratitudinis; conuenientius tamen eſt, eouſque ingrato benefacere, quo à tali uitio quoquo modo reſipiſcat. Si uerò ex beneficijs multiplicatis ingratitudinem augeat & peior fiat debet à beneficiorum exhibitione ceſſari.

QVAESTIO CVIII.

De Vindicatione, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum uindicatio ſit licita.

Concluſio. Si uindicantis intentio feratur principaliter in malum illius, de quo uindictam ſumit, & ibi quieſcat, eſt omnino illicitum: Si uerò feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod peruenitur per pœnam peccantis: puta ad emendationem peccantis, uel ſaltem ad cohibitionẽ eius, & quietem aliorum, & ad iuſtitiæ conſeruationem, & Dei honorem: poteſt eſſe uindicatio licita, alijs debitis circumſtantijs ſeruatis. Quando etiam iniuria, quæ infertur perſonæ alicui, redundat in Deum & in Eccleſiam: tunc debet aliquis propriam iniuriam ulciſci, alioqui debet eam tolerare patienter, ſi expediat.

ART. II. Vtrum uindicatio ſit ſpecialis uirtus.

Concluſio. Vindicatio eſt quædam ſpecialis uirtus, per quam in unoquoque perficitur naturalis inclinatio repellendi nociua.

ART. III. Vtrum uindicatio debeat fieri per pœnas apud homines conſuetas.

Concluſio. Multæ ac uariæ ſunt humanis & diuinis legibus pœnæ ſtatutæ, quibus omnis iuſtè ac digne uindicatur iniuria.

ART. IIII. Vtrum uindicta ſit exercenda in eos, qui in uoluntariè peccauerunt.

Concluſio. Pœnæ, ut pœnæ, non niſi in eos, qui uoluntariè peccauerunt, ſunt exercendæ: nonnunquam tamen pœnæ, ut medicinæ, iuſtis & inuoluntariè peccantibus infliguntur ſine culpa, nō tamen ſine cauſa.

QVAESTIO CIX.

De Veritate, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum ueritas ſit uirtus.

Concluſio. Veritas, ſiue ueracitas, neceſſe eſt quòd ſit uirtus: quia hoc ipſum, quod eſt dicere uerum, eſt bonus actus.

ART. II. Vtrum ueritas ſit ſpecialis uirtus.

Concluſio. Veritas eſt quædam ſpecialis uirtus, per quam homo exteriora ſua, uel uerba, uel facta debito ordine diſponit ad aliquid, ſicut ſignum ad ſignatum.

ART. III. Vtrum ueritas ſit pars iuſtitiæ.

Concluſio. Veritas eſt iuſtitiæ pars, prout annectitur ei, ſicut uirtus ſecundaria principali.

ART. IIII. Vtrum uirtus ueritatis magis declinet in minus.

Concluſio. Declinare in minus affirmatiuè magis ſpectat ad ueritatem, quàm negatiuè, quod ueritati aduerſatur: at in maius declinare, eſt omnino ueritati contrarium ac uitioſum.

QVAESTIO CX,

De Vitijs oppositis ueritati, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum mendacium semper opponatur ueritati.

Conclusio. Mendacium directè formaliter opponitur uirtuti ueritatis.

ART. II. Vtrum mendacium sufficienter diuidatur in mendacium officiosum, iocosum & perniciosum.

Conclusio. Mendaciũ inquantũ habet rationẽ culpæ diuiditur in officiosum, iocosum & perniciosum.

ART. III. Vtrum omne mendacium sit peccatum.

Conclusio. Mendacium omne est ex genere suo malum & peccatum, cum præter naturam sit mentiri.

ART. IIII. Vtrum omne mendacium sit peccatum mortale.

Conclusio. Mendacium perniciosum peccatũ mortale est: officiosum uerò, ac iocosum uenialia esse contingit.

QVAESTIO CXI,

De Simulatione & Hypocrisi, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum omnis simulatio sit peccatum.

Conclusio. Simulatio omnis peccatum est, cùm sit mendacium in exteriorum factorum signis consistẽs. Est autem simulatio, quando aliquis per exteriora signa factorum uel rerum significat aliquid quod non est: nõ autem si aliquis prætermittat significare quod est: Vnde aliquis potest peccatum suum occultare absque simulatione, scilicet ne exinde alijs scandalum generetur.

ART. II. Vtrum hypocrisis sit idem quod simulatio.

Conclusio. Hypocrisis simulatio est: non autē omnis simulatio, sed solum illa, qua quis simulat personam alterius: sicut cū peccator simulat personā iusti.

AR. III. Vtrū hypocrisis opponatur uirtuti ueritatis.

Conclusio. Hypocrisis, cum simulatio sit, qua simulat quis se habere personam, quam non habet, ueritati per se aduersatur, qua aliquis talem se exterius exhibet uita ac sermone, qualis est: quanquam per accidens multis aliis uirtutibus contraria esse possit.

AR. IIII Vtrū hypocrisis sēper sit peccatū mortale.

Conclusio. Hypocrisis, qua quis non curat sanctitatem, sed tantum sanctus apparere peccatum mortale est; qua uerò aliquis intendit simulare sanctitatem, quamuis sanctus non sit, potest & ueniale, & mortale esse secundùm quod contingit contrariari, uel non cōtrariari charitati.

QVAESTIO CXII.

De Iactantia, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS. I.

Vtrum iactantia opponatur uirtuti ueritatis.

Conclusio. Magis propriè dicitur iactantia, quando aliquis effert se supra id quod in ipso est, quā quando effert se supra id quod est in opinione aliorum, quamuis utroque modo iactantia dici possit. Et ideo iactantia propriè dicta opponitur ueritati per modū excessus.

ART. II. Vtrum iactantia sit peccatum mortale.

Conclusio. Iactanter quippiam de se proferre, cōtra gloriam Dei, & ad proximi cōtemptum, uel contumeliā, peccatum est mortale, alias autem ueniale, uel mortale secundùm causam suam

QVAVTIO CXIII,

De Ironia in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum ironia (per quã aliquis de se fingit minora) sit peccatum.

Conclusio. Ironia, qua aliquis de se minora dicit mentiendo, uel negando quod in se magnum est, peccatum est: non autem ea qua minora proferimus, uera tamen, maiora occultando.

ART. II. Vtrum ironia sit minus peccatũ q̃ iactantia.

Conclusio. Iactantia secundùm se grauior est ironia, quanquam ex animi deteriori intentione, contingat ironiam grauiorem esse iactantia.

QVAESTIO CXIIII.

De Amicitia quæ affabilitas dicitur, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum amicitia sit specialis uirtus.

Conclusio. Amicitia, seu affabilitas est quædam specialis uirtus, secundùm quam inter se homines bene disponuntur, simul conuenientes.

ART. II. Vtrum huiusmodi amicitia sit pars iustitię.

Conclusio. Amicitia, cùm sit ad alterum secundũ aliquam debiti rationem, est pars iustitiæ, ei sicut principali adiuncta, quæ quidẽ solum attendit quoddam debitum honestatis, quod magis est ex parte ipsius uirtuosi, quàm ex parte alterius, ut scilicet faciat alteri quod deceat eum facere.

QVAESTIO CXV,

De Adulatione, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum adulatio sit peccatum.

Conclusio. Adulatio est peccatum, quo aliqui supra debitum uirtutis modum alios uerbis, uel factis in communi conuersatione delectare quærunt.

ART. II. Vtrum adulatio ſit peccatum mortale.

Concluſio. Cuipiam adulari uel eius extollendo delicta, uel animo lædendi, uel ruinæ alicuius occaſionem præbendo, peccatum mortale eſt: alias uerò adulari, uel delectandi cauſa, uel commodi alicuius conſequendi, ueniale eſt.

QVAESTIO CXVI.

De Litigio, in duos articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum litigium opponatur uirtuti amicitiæ, ſeu affabilitatis.

Concluſio. Litigium, quo quis alicui contradicit propter perſonam dicentis, contrariatur charitati: at illud quo aliquid contradicit ad eum potius contriſtandum, quàm contradicendum, uirtuti affabilitatis & amicitiæ maximè aduerſatur.

ART. II. Vtrum litigium ſit grauius peccatum quàm adulatio.

Concluſio. Litigium eſt per ſe & ſecundùm ſuam ſpeciem grauius uitium, quàm adulatio: per accidẽs tamen ad exteriora motiua comparata inuicem grauiora eſſe contingit.

QVAESTIO CXVII.

De Liberalitate, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum liberalitas ſit uirtus.

Concluſio. Liberalitas eſt uirtus, qua bene uti poſſumus omnibus, quæ extra nos ſunt.

ART. II. Vtrum liberalitas ſit circa pecunias.

Concluſio. Ea quæ emittenda ſunt ab homine in alium ſunt bona poſſeſſa, quæ nomine pecuniæ ſignificantur. Et ideo propria materia liberalitatis eſt pecunia.

AR. III. Vtrum uti pecunia ſit actus liberalitatis.

Cõcluſio. Actus proprius liberalitatis eſt, pecunia uel diuitijs uti.

ART. IIII. Vtrum ad liberalem maximè pertineat dare.

Concluſio. Propriũ eſt liberali uti pecunia. Vſus autem pecuniæ eſt in emisſione ipſius. Vnde uerſus:

Si quis in hoc mundo uult multis gratus haberi:
Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

AR. V. Vtrum liberalitas ſit pars iuſtitiæ.

Concluſio. Quanquam liberalitas ſpecies iuſtitiæ minimè ſit: annectitur tamen ei, ut pars, & ut uirtus principalis.

AR. VI. Vtrum liberalitas ſit maxima uirtutum.

Concluſio. Quanquam ex conſequenti non tamen primò, & per ſe liberalitas eſt maxima uirtutum, ſed ipſi præeminent omnes, quæ circa nobilius obiectum ſunt.

QVAESTIO CXVIII.

De uitijs liberalitati oppoſitis, & primò de auaritia, in octo articulos diuiſa.

ATRICVLVS PRIMVS.

VTrum auaritia ſit peccatum.

Concluſio. Auaritia peccatũ eſt, quo quis ſupra debitum modum cupit acquirere, uel retinere diuitias.

AR. II. Vtrum auaritia ſit ſpeciale peccatum.

Concluſio. Auaritia, prout eſt immoderatus amor habendi pecunias, & poſſesſiones, ſpeciale peccatum eſt: ut uerò eſt inordinatus amor habendi quæcunq;, non eſt ſpeciale peccatum.

AR. III. Vtrum auaritia opponatur liberalitati.

Conclusio. Auaritia, inquantum indebitam quandam pecuniarum acceptionem, & conseruationem importat, iustitiæ aduersatur: inquantum uerò immoderantia quædam est circa interiores diuitiarum affectus, liberalitati contrariatur.

ART. IIII. Vtrum auaritia semper sit peccatum mortale.

Conclusio. Auaritia, quæ iustitiæ aduersatur, peccatũ mortale est, nisi imperfectio actus adsit: quæ uerò liberalitati contrariatur, nisi charitati contrarietur, semper ueniale est.

AR. V. Vtrum auaritia sit maximum peccatorum.

Conclusio. Auaritia non est simpliciter maximum peccatorum, quanquam forte periculosius.

ART. VI. Vtrum auaritia sit peccatum spirituale.

Conclusio. Auaritia cùm in spirituali diuitiarum perficiatur delectatione, ipsa quoque uitiũ spirituale necessariò est. Ratione tamen obiecti mediũ est inter peccata pure spiritualia, & uitia purè carnalia.

ART. VII. Vtrum auaritia sit uitium capitale.

Conclusio. Cùm ex pecuniarum cupidine, alia uitia oriantur secundùm rationem finis: auaritia, quæ consistit in appetitu pecuniæ, est uitium capitale.

ART. VIII. Vtrum proditio, fraus, fallacia, periurii, inquietudo, uiolentiæ, & cõtra misericordiam obduratio sint auaritiæ filiæ.

Conclusio. Proditio, fraus, fallacia, periurium, inquietudo, uiolentiæ, & contra misericordiam obduratio, auaritiæ filiæ dicuntur, ex ipsa secundùm appetitum finis procedentes.

QVAESTIO CXIX.

De prodigalitate, in tres articulos diuisa.

AR-

ARTICVLVS I.

VTrum prodigalitas opponatur auaritiæ.

Conclusio. Ad prodigalitatem pertinet excedere quidem in dando, deficere autem in retinendo, & acquirendo. Ad auaritiam autem pertinet econtrariò deficere quidem in dando, superabundare autem in accipiendo & retinendo. Vnde patet, quòd prodigalitas auaritiæ opponitur.

ART. II. Vtrum prodigalitas sit peccatum.

Conclusio. Cùm uirtuti liberalitatis prodigalitas aduersetur, ipsa est necessariò peccatum.

ART. III. Vtrum prodigalitas sit grauius peccatum, quàm auaritia.

Conclusio. Prodigus, cùm minus quàm auarus liberalitati obsit, & multis prosit, ac facilius à uitio sit sanabilis: erit prodigalitas minus peccatum auaritia.

QVAESTIO CXX.

De Epicheia, seu æquitate, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum epicheia sit uirtus.

Conclusio. Cùm epicheia sit legum directiua, secũdùm quod iustitiæ ratio, & cõmunis utilitas poscit, ipsa est quoque inter uirtutes annumeranda.

ART. II. Vtrum epicheia sit pars iustitiæ.

Conclusio. Epicheia est pars subiectiua iustitiæ. Et de ea iustitia dicitur per prius, quàm de legali. Nam legalis iustitia dirigitur secundùm epicheiam. Vnde epicheia est quasi superior regula humanorũ actuum.

QVAESTIO CXXI.

De Pietate, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum pietas sit donum.

Con-

Conclusio. Pietas, secundùm quam Deo, ut patri, cultum & debitum exhibemus officium ex Spirituſ ſancti instinctu, est donum Spirituſſancti.

AR. II. Vtrum dono pietatis respondeat secunda beatitudo, scilicet Beati mites.

Conclusio. Secundùm obiecta, & actus, pietati magis responderet quarta, & quinta beatitudo, quàm secunda. Secunda tamen beatitudo habet aliquam conuenientiam cum pietate: inquantum scilicet per mansuetudinem tolluntur impedimēta actuum pietatis.

QVAESTIO CXXII.

De Praeceptis iustitiæ, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum præcepta decalogi sint præcepta iustitiæ.

Conclusio. Præcepta decalogi pertinent ad charitatem sicut ad finem. Sed ad iustitiam pertinent, inquantum immediatè sunt de actibus iustitiæ.

ART. II. Vtrum primum præceptum decalogi conuenienter tradatur.

Conclusio. In eo qui erat per legem instituendus ad uirtutem primò oportuit quasi facere quoddam fundamentum religionis, per quam homo debitè ordinatur in Deum, qui est ultimus finis humanæ uolũtatis. Secundò attendendum fuit, ut circa religionē homo instituendus impedimenta ueræ religionis excluderet. Præcipuum autem impedimentum religionis est, quòd homo falso Deo inhæreat, & ideo in primo præcepto legis excluditur cultus falsorũ deorum.

ART. III. Vtrum secundùm præceptum decalogi, conuenienter tradatur.

Con-

Conclusio. Congruit hominem secundo legis præcepto institui, quo ei periurium prohiberetur, quòd ad irreligiositatem pertinet.

ART. IIII Vtrum tertium decalogi præceptum conueniēter tradatur, scilicet de sanctificatione sabbati.

Conclusio. Conueniens fuit, postquam primo & secundo legis præcepto homo à contrarijs religionis motus fuerat, ut tertio adhuc institueretur præcepto, de sabbati custodia, per quod in uera religione fundaretur in exteriori cultu Deo exhibendo.

ART. V. Vtrum conuenienter tradatur quartum pręceptum de honoratione parentum.

Conclusio. Conueniens, post præcepta quibus in Deum ordinamur, dari hominibus præceptum de honoratione parentum, qui nostri particulare principium sunt.

ART. VI. Vtrum alia sex præcepta decalogi conuenienter tradantur.

Conclusio. Præter præcepta, quibus homines religionis, & pietatis operibus in Deum & parentes instituti fuerunt: superaddi necessarium fuit alia præcepta, quibus secundùm iustitiam erga cæteros ordinarentur.

QVAESTIO CXXIII.

De Fortitudine, in duodecim articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum fortitudo sit uirtus.

Cōclusio. Fortitudo est uirtus perficiēs hominem, si secundùm rationem sit, & qua ea propelluntur, quæ usum rationis, & quæ secundùm rationem sunt, quoquo modo impedire possent.

ART. II. Vtrum fortitudo sit uirtus specialis.

Con-

Conclusio. Fortitudo, ut quædam animi firmitas, est uirtus generalis, uel potius uirtutis cuiuslibet cõditio est: ut uerò in grauibus & magnis periculis animum firmat, specialis, & determinata uirtus est.

AR. III. Vtrũ fortitudo sit circa timores & audacias.

Conclusio. Virtus fortitudinis circa timores & audacias uersatur, ut timorum cohibutiua, & audaciarum moderatiua.

ART. IIII. Vtrum fortitudo sit solum circa pericula mortis.

Conclusio. Versatur fortitudo circa pericula mortis cum mors sit inter omnia mala corporalia maximè terribile.

ART. V. Vtrum fortitudo propriè circa pericula mortis, quæ sunt in bello.

Conclusio. Fortitudo consistit maximè circa pericula mortis, non modò quæ in communi imminent bello, sed etiam in bello particulari, scilicet propter iustitiam & uirtutem.

ART. VI. Vtrum sustinere sit principalis actus fortitudinis.

Conclusio. Sustinere, id est, immobiliter in periculis sistere, principalior est actus fortitudinis, quàm aggredi pericula.

AR. VII. Vtrum fortis operetur propter bonum proprij habitus.

Conclusio. Fortis operatur propter bonum sui habitus, ut scilicet in actu similitudinem sui habitus exprimat, ut per proximum finem: quanquam propter beatitudinem & Dei amorem fortes ut propter ultimum finem operentur.

ART. VIII. Vtrum fortis delectetur in suo actu.

Conclusio. Cùm fortitudinis principalis actus sit sustinere tristia secundùm animæ apprehensionem, quan-

quanquam secundum animam delectetur fortis forti tudinis actu: tristatur tamen magis secundum tristitiam dolores corporis consequentem.

ART. IX. Vtrum fortitudo maximè consistat in repentinis.

Conclusio. Quòd aliquis absque præmeditatione faciat ea quæ sunt uirtutis, cũ necessitas imminet propter repentina pericula, hoc maximè manifestat quod sit fortitudo habitualis in anima confirmata. Potest autem aliquis, etiam qui habitu fortitudinis caret, ex diuturna præmeditatione, animum suum contra pericula præparare, quæ etiam præparatione fortis utitur, cum tempus adest.

ART. X. Vtrum fortis utatur ira in suo actu.

Conclusio. Fortis ad fortitudinis actum iram assumit, non omnem, sed ratione moderatam.

ART. XI. Vtrum fortitudo sit uirtus Cardinalis.

Conclusio. Fortitudo est annumeranda inter uirtutes cardinales, cum sibi potissime firmitatis ratio conueniat.

AR. XII. Vtrũ fortitudo præcellat inter omnes alias uirtutes,

Conclusio. Prudentia inter uirtutes cardinales potior est, quam sequitur iustitia: deinceps fortitudo, post quam est temperantiæ uirtus.

QVAESTIO CXXIIII,

De Martyrio, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum martyrium sit actus uirtutis.

Conclusio. Martyriũ est actus uirtutis, qua aliquis contra persequentium impetus firmiter in iustitia & ueritate permanet

ART. II. Vtrum martyrium sit actus fortitudinis.

Con-

Conclusio. Cùm in martyrio homo firmiter confirmetur in bono uirtutis, dum fidem & iustitiam non deserit propter imminentia pericula mortis, quæ etiã in quodam certamine periculari à persecutoribus imminet: manifestum est, quod martyrium sit fortitudinis actus.

ART. III. Vtrum martyrium sit actus maximæ perfectionis.

Conclusio. Martyrium inter cæteros actus humanos est perfectior secundum suum genus, quasi maximæ charitatis signum, secundum illud Ioan. 15. Maiorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

ART. IIII. Vtrum mors sit de ratione martyrij.

Conclusio. Ad perfectam martyrij rationem spectat, ut aliquis mortem propter Christum sustineat.

ART. V. Vtrum sola fides sit causa martyrij.

Conclusio. Non tantum fides, sed omniũ uirtutum opera, ut ĩ Deũ referũtur, martyrii causa esse possunt.

QVAESTIO CXXV.

De timore, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum timor sit peccatum.

Cõclusio. Timor, quo aliquis timet, & fugit ea quæ ratio dictat esse sustinẽda, ne ea, quæ prosequi debet dimittat, peccatum est; non autem is, quo timentur ea, quæ secundum rationem fugienda sunt.

ART. II. Vtrum peccatum timoris opponatur fortitudini.

Conclusio. Timor mortis inordinatus aduersatur fortitudini; timor autem communiter sumptus, non uni, sed uarijs uirtutibus contrariari potest.

ART. III. Vtrum timor sit peccatum mortale.

Con-

Concluſio. Inordinatio timoris in ſolo appetitu ſenſitiuo, non ſuperueniente conſenſu rationalis appetitus non poteſt eſſe peccatum mortale, ſed ſolum ueniale. Cùm uerò pertingit uſque ad appetitum rationalem, qui dicitur uolũtas, quæ ex libero arbitrio refugit aliquid non ſecundum rationem: quandoque eſt peccatum mortale, quandoque ueniale. Si enim aliquis ſic refugit periculum mortis, uel quodcunq; aliud temporale malum, ut faciat aliquid prohibitũ, uel prætermittat aliquid quod eſt præceptum in lege diuina, talis timor eſt peccatum mortale. Alioquin erit peccatum ueniale.

ART. IIII. Vtrum timor excuſet à peccato.

Concluſio. Timor intantũ habet rationẽ peccati, inquantũ eſt contra ordinẽ rationis. Et ideo quicũq; ut fugiat mala quæ ſecundũ rationẽ ſunt magis fugienda, nõ refugit mala quæ ſunt minus fugiẽda, non eſt peccatũ. ſi aũt aliquis per timorẽ fugiens mala, quæ ſecundũ rationẽ ſunt minus fugiẽda, incurrat mala quæ ſecundũ rationẽ ſunt magis fugiẽda: nõ poſſet totaliter à peccato excuſari, quia timor talis inordinatus eſſet. Diminuitur tamẽ ſecundùm aliquid eius peccatum, quia minus uoluntarium eſt quod ex timore agitur.

QVAESTIO CXXVI.

De intimiditate, in duos articulos diuiſa

ARTICVLVS I.

Vtrum intimiditas ſit peccatum.

Concluſio. Eſſe impauidum eſt uitioſum, ſiue cauſetur ex defectu amoris, ſiue ex elatione animi, ſiue ex ſtoliditate, quæ tamen excuſat à peccato, ſi ſit inuincibilis.

AR. II. Vtrũ eſſe impauidum opponatur fortitudini.

Con-

Conclusio. Intimiditas fortitudini aduersatur secũdùm defectum timoris, quo non timentur ea quæ timeri debent: sicut timiditas per excessum, inquantũ timentur, quæ timeri non debent. Nam fortitudo in utraque passione medium ponit.

QVAESTIO CXXVII,

De audacia, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS

Vtrum audacia sit peccatum.

Conclusio. Audacia per superabundantiam dicta, peccatum est.

AR. II. Vtrum audacia opponatur fortitudini.

Conclusio. Audacia, secundum quod sonat in uitium, importat excessum passionis, qui audacia dicitur. Et sic aduersatur fortitudini, quæ circa timores & audacias uersatur.

QVAESTIO CXXVIII.

De partibus fortitudinis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum partes fortitudinis cõueniẽter annumerẽtur.

Conclusio. Quatuor extant fortitudinis integrales partes, quarum fiducia ac magnificentia ad actũ eius aggrediendi, patientia uerò & perseuerantia ad sustinendi actum spectant.

QVAESTIO CXXIX.

De magnanimitate, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum magnanimitas sit circa honores.

Conclusio. Magnanimitas consistit circa honores, ut magni, uel ardui rationẽ habẽt, quo uidelicet magnanimus ea facere studet, quæ digna honore sunt.

AR. II. Vtrum magnanimitas de sui ratione habeat quod sit circa magnum honorem.

Con-

Conclusio. Propria materia, magnanimitatis est magnus honor. Et ad ea tendit, magnanimus, quæ sunt magno honore digna.

ART. III. Vtrum magnanimitas sit uirtus.

Conclusio. Magnanimitas est uirtus, quæ modum rationis ponit circa magnos honores.

ART. IIII. Vtrum magnanimitas sit uirtus specialis.

Conclusio. Quanquam magnanimitas ex consequenti omnes uirtutes respiciat, quia honor est cuiuslibet uirtutis præmium: est tamen absolutè specialis uirtus, cum circa honorem speciale bonum consistat.

ART. V. Vtrum magnanimitas sit pars fortitudinis.

Conclusio. Magnanimitas est pars fortitudinis, eique adiuncta, ut secundaria principali.

ART. VI. Vtrum fidutia pertineat ad magnanimitatem.

Conclusio. Fidutia, cùm robur quoddam spei boni consequendi importet, ad magnanimitatem spectat.

ART. VII. Vtrum securitas ad magnanimitatem pertineat.

Conclusio. Sicut fiducia ex consequenti pertinet ad fortitudinem, inquantum utitur audacia, ita & securitas ex consequēti pertinet ad magnanimitatem, inquantum repellit desperationem.

ART. VIII. Vtrum bona fortunæ conferant ad magnanimitatem.

Conclusio. Ad actus uirtutum organicè bona fortunæ deseruiunt: quia per diuitias & potētias, & amicos, datur nobis facultas operandi. Et ideo manifestum est, quòd bona fortunæ conferunt ad magnanimitatem.

QVAESTIO CXXX.

De Præsumptione, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum præsumptio sit peccatum.

Conclusio. Præsumptio peccatum est, quo aliquis ea agere assumit, quæ suæ praeferuntur uirtuti: non autem, siquis ad hoc tendat, ut proficiat in uirtutem perfectam cum fiducia diuini auxilij.

ART. II. Vtrum præsumptio opponatur magnanimitati per excessum.

Cõclusio. Præsumptio magnanimitati aduersatur ꝑ excessum, ſm proportionem propriæ facultatis.

QVAESTIO CXXXI.

De Ambitione, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum ambitio sit peccatum.

Conclusio. Ambitio peccatum est, quo quis inordinatè honorem desiderat, uel quem non meretur, uel quem non in Deum, uel non ut alijs prosit, sed ad sui ipsius tantum utilitatem refert.

ART. II. Vtrum ambitio opponatur magnanimitati per excessum.

Conclusio. Aduersatur ambitio magnanimitati, sicut inordinatum ordinato.

QVAESTIO CXXXII.

De Inanigloria, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum appetitus gloriæ sit peccatum.

Cõclusio. Appetitus gloriæ de se non nominat aliquid uitiosum. Sed appetitus inanis uel uanæ gloriæ, puta cum quis quærit gloriam de eo quod nõ est, uel de eo quod non est gloria dignum, uel gloriam quæ-

rit hominis, uel appetitum gloriæ ſuæ non refert ad honorem Dei uel proximi ſalutem, peccatum eſt.

ART. II. Vtrum inanis gloria magnanimitati opponatur.

Concluſio. Inanis gloriæ inordinata cupiditas directè magnanimitati aduerſatur.

AR. III. Vtrum inanis gloria ſit peccatum mortale.

Concluſio. Si amor humanæ gloriæ, quamuis ſit inanis, non tamen repugnet charitati, neque quantũ ad id de quo eſt gloria, neque quãtũ ad intẽtionẽ gloriã quærẽtis, non eſt peccatum mortale, ſed ueniale.

ART. IIII. Vtrum inanis gloria ſit uitium capitale.

Concluſio. Inanis gloriæ cupiditas uitium capitale eſt, ex quo multa uitia oriuntur.

ART. V. Vtrum conuenienter ennumerẽtur filiæ inanis gloriæ.

Concluſio. Inobediẽtia, Iactantia, Hypocriſis, Cõtentio, Pertinacia, diſcordia, & nouitatum præſumptio, ſunt filiæ inanis gloriæ.

QVAESTIO CXXXIII.

De Puſillanimitate, in duos articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum puſillanimitas ſit peccatum.

Concluſio. Sicut per præſumptionem aliquis excedit proportionem ſuæ potentiæ, dum nititur ad maiora quàm poſsit: ita puſillanimus etiam deficit à proportione ſuæ potentiæ, dum recuſat in id tendere quod eſt ſuæ potentiæ commenſuratum. Et ideo ſicut præſumptio eſt peccatum, ita & puſillanimitas.

ART. II. Vtrum puſillanimitas opponatur magnanimitati.

Concluſio. Puſillanimitas directè aduerſatur magnanimitati ſecundùm propriam ſpeciem.

QVAESTIO CXXXIIII.

De Magnificentia, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum magnificentia ſit uirtus.

Concluſio. Operari aliquid magnum, ex quo ſumitur nomen magnificentiæ, propriè pertinet ad rationem uirtutis.

AR. II. Vtrum magnificentia ſit ſpecialis uirtus.

Cōcluſio. Magnificentia eſt ſpecialis uirtus, qua ꝗppiã homines magnũ, pretioſum, ac laude & honore dignum faciunt. Propriè autem facere dicitur opari aliquid in exteriori materia. Itaq; magnificentia præcipuè magnum opus facit in ordine ad honorẽ Dei.

AR. III. Vtrum materia magnificentiæ ſint ſumptus magni.

Concluſio. Materia magnificentiæ poſſunt dici & ipſi ſumptus, quibus vtitur magnificus ad opus magnum faciendum: & ipſa pecunia, qua vtitur ad ſumptus magnos faciendos: & amor pecuniæ, quem moderatur magnificus, ne ſumptus magni impediantur.

ART. IIII. Vtrũ magnificẽtia ſit pars fortitudinis.

Cōcluſio. Magnificentia eſt pars fortitudinis, nō ꝗdẽ ſubiectiua, ſed ei adiuncta, vt ſecũdaria principali.

QVAESIIO CXXXV.

De Paruificentia, in duos articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum paruificentia ſit peccatum.

Concluſio. Paruificentia vitium eſt, quo homines ab ea proportione deficiunt, quæ debet eſſe ſecundum rationem, inter ſumptus, & opus.

AR. II. Vtrũ paruificentiæ aliquod vitiũ opponatur.

Cōcl. Paruificẽtię cōſumptio maxime aduerſatur.

QVAESTIO CXXXVI.

De Patientia, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum patientia sit uirtus.

Conclusio. Patientia est uirtus, qua bonum rationis conseruatur contra tristitiam, ne ei succumbat.

ART. II. Vtrum patientia sit potissima uirtutum.

Conclusio. Patientia non est potissima uirtutum, sed deficit non solum à uirtutibus Theologicis, & prudentia, & iustitia, quæ directè statuunt hominem in bono, sed etiam à fortitudine & temperantia, quæ retrahunt à maioribus impedimentis.

ART. III. Vtrum patientia possit haberi sine gratia.

Conclusio. Patientia, quæ uirtus est, à charitate causata, impossibile est quòd sit absque gratia.

ART. IIII. Vtrum patientia sit pars fortitudinis.

Conclusio. Patientia est pars fortitudinis quasi potentialis, quia adiungitur fortitudini sicut uirtus secundaria principali: ut autem circa pericula mortis uersatur, pars eius integralis esse potest.

ART. V. Vtrum patientia sit idem quod longanimitas.

Conclusio. Quanquam non est idem, ad longanimitatem tamen spectat uirtus patientiæ.

QVAESTIO CXXXVII.

De Perseuerantia, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum perseuerantia sit uirtus.

Conclusio. Perseuerantia est specialis uirtus, per quam homo diuturnè in uirtuosis operibus persistit, quantum necesse est.

ART. II. Vtrum perseuerantia sit pars fortitudinis

Cōclusio. Fortitudo, qua homo persistit in quocunque inchoato opere usq; ad uitæ finem,& quæuis pericula imminētia euadit, donū est Spiritus sancti.

AR.II. Vtrū quarta beatitudo, scilicet beati qui esuriūt & sitiūt iustitiam, respondeat dono fortitudinis.

Conclusio. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, dono fortitudinis aptatur. Est enim ualde arduum, quod aliquis opera uirtuosa faciat, quæ communiter dicuntur opera iustitiæ, cū insatiabili quodam desiderio, quod potest significari per famē & sitim iustitiæ.

QVAETIO CXL,

De præceptis Fortitudinis, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum conuenienter in lege diuina præcepta fortitudinis tradantur.

Conclusio. Quanquam non necessarium, cōueniēs tamen fuit, ut aliqua fortitudinis præcepta in lege diuina hominibus traderētur, ne homines ob corporis pericula à Dei cultu auerterentur.

ART.II. Vtrum conuenienter tradantur præcepta in lege diuina de partibus fortitudinis.

Conclusio. Ea quæ pertinent ad excellentiā magis cadunt sub cōsiliis perfectionis, quam sub præceptis necessitatis. Et ideo de magnificētia,& magnanimitate non fuerunt danda præcepta, sed magis consilia. Sed de patiētia,& perseuerātia fuerūt dāda præcepta.

QVAVSTIO CXLI,

De Temperantia in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum temperantia sit uirtus.

Conclusio. Temperantiæ nomine importatur quædam moderatio, seu temperies, quam ratio facit. Et ideo temperantia est uirtus.

ART.II. Vtrum temperantia sit specialis uirtus.

Conclusio. Temperantia ut moderatur appetitum in his, quæ maximè hominem alliciunt ad ea, quæ contra rationem sunt, est specialis uirtus.

ART. III. Vtrum temperantia sit solum circa concupiscentias & delectationes.

Conclusio. Temperantia est uirtus circa concupiscẽtias & delectationes, ut earũ moderatiua cõsistẽs.

ART. IIII. Vtrum temperantia sit solum circa cõcupiscentias & delectationes tactus.

Conclusio. Temperantia est circa concupiscentias maximarum delectationum. Nam tanto aliquæ delectationes sunt uehementiores, quanto consequuntur operationes magis naturales. Et ideo circa delectationes ciborum, potuum, & uenereorum, est propriè temperantia, quæ consequuntur sensum tactus.

ART. V. Vtrum circa proprias delectationes gustus sit temperantia.

Conclusio. Quia gustus propinquior est tactui quã alijs sensus, ideo temperantia magis est circa gustum, quàm circa alios sensus.

ART. VI. Vtrum regula temperantiæ sit sumenda secundùm necessitatem præsentis uitæ.

Conclusio. Regula temperantiæ secundùm præsentis uitæ necessitatem sumenda est.

ART. VII. Vtrum temperantia sit uirtus cardinalis.

Conclusio. Ea, quorum est concupiscentia & delectatio tactus, uehementius mouent appetitum: quia sunt magis naturalia. Et ideo temperantia, quæ in his modum statuit, est uirtus principalis.

ART. III. Vtrum temperantia sit maxima uirtutum.

Conclusio. Temperantia inter morales uirtutes nõ

est

est excellentissima, sed ea præstātiores sunt iustitia & fortitudo.

QVAESTIO CXLII.

De uitijs quæ aduersantur temperantiæ, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum insensibilitas sit uitium.

Conclusio. Si quis intantum delectationem refugeret, quòd prætermitteret ea quæ sunt necessaria ad cōseruationem naturæ, peccaret quasi ordini naturali repugnans. Et hoc pertinet ad uitium insensibilitatis.

AR. II. Vtrum intemperantia sit puerile peccatum.

Conclusio. Intemperantia puerile peccatum magis ex translatione dicitur, quàm secundùm attributionem: quòd quemadmodum puerum oportet secundùm præceptum pedagogi uiuere, sic & concupiscibile consonare rationi.

ART. III. Vtrum timiditas sit magis uitium, quàm intemperantia.

Conclusio. Intemperantia est simpliciter maius peccatum, quàm timiditas.

ART. IIII. Vtrum peccatum intemperantiæ sit maximè exprobrabile.

Conclusio. Inter omnia uitia humana, uitium intemperātiæ maximè exprobrabile est. Est enim circa delectationes communes nobis & brutis.

QVAESTIO CXLIII.

De partibus temperantiæ, in generali.

ARTICVLVS I.

Vtrum Tullius conuenienter assignet partes temperantiæ, continentiam, clementiam, & modestiam

Conclusio. Verecundia & honestas partes sunt integrales temperantiæ: abstinentia uerò, sobrietas, castitas, pudicitia, partes subiectiuæ: at continentia, humilitas, mansuetudo, seu clementia, modestia, &c. partes eius potentiales sunt.

QVAESTIO CXLIIII.

De partibus temperantiæ in speciali in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS

Vtrum uerecundia sit uirtus.

Conclusio. Verecundia quanquam laudabilis quædam passio sit, uirtus tamē propriè non est, cum à perfectione deficiat.

AR. II. Vtrum uerecundia sit de turpi actu.

Conclusio. Verecundia, quæ est timor turpitudinis primò & principaliter respicit uituperiū seu opprobriū: & quia uituperium propriè debetur uitio, sicut honor uirtuti, ideo etiam ex consequenti uerecūdia respicit turpitudinem uitiosam.

AR. III. Vtrum homo magis uerecundetur à personis magis coniunctis.

Conclusio. A coniunctis nobis, qui facta nostra magis considerant, erubescimus magis, quam ab alienis & peregrinis.

ART. IIII. Vtrum etiam in uirtuosis hominibus possit esse uerecundia.

Conclusio. In peccatis profundati, ac senes, & uirtuosi uerecūndia carent, quanquam non eadem ratione.

QVAESTIO CXLV.

De Honestate, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum honestum sit idem uirtuti.

Con-

Conclusio. Honestum, propriè loquendo, in idem refertur cum uirtute.

ART. II. Vtrum honestum sit idem quod decorum.

Cõclusio. Sicut idem est honorificum & gloriosum, ita etiam idem est honestum & decorum.

ART. III. Vtrum honestum differat ab utili & delectabili.

Conclusio. Idem subiecto est honestum, & utile, & delectabile, sed ratione differunt. Nam honestum dicitur, secundum quod aliquid habet quandam excellentiam dignam honore propter spiritualem pulchritudinem, delectabile autem, inquantum quietat appetitum: utile autem, inquantum refertur ad aliud.

ART. IIII. Vtrum honestas debeat poni pars temperantiæ.

Conclusio. Honestas, prout speciali quadã ratione temperantiæ attribuitur, ponitur pars eius, non quidem subiectiua, uel sicut uirtus adiuncta, sed pars integralis ipsius, sicut quædam eius conditio.

QVAESTIO CXLVI.

De Abstinentia, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum abstinentia sit uirtus.

Conclusio. Abstinentia, secundùm quod absolutè ciborum subtractionem designat, non designat neque uirtutem, neque actum uirtutis, sed quoddam indifferens. Sed secundùm quod est ratione regulata, significat uel habitum uirtutis, uel actum.

ART. II. Vtrum abstinentia sit specialis uirtus.

Conclusio. Abstinentia est specialis uirtus, qua moderamur ciborum delectationes.

QVAESTIO CXLVII.

De Ieiunio, in octo articulos diusa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ieiunium sit actus uirtutis.

Conclusio. Cùm ad carnis macerationem, & mentis in Deum eleuationem, ac culparum satisfactionem ieiunium assumitur, actus uirtutis procul dubio tunc est.

ART. II. Vtrum ieiunium sit actus abstinentiæ.

Conclusio. Ieiunium attenditur in cibis, in quibus medium adiunuenit abstinentia. Vnde ieiunium est abstinentiæ actus.

ART. III. Vtrum ieiunium sit in præcepto.

Conclusio. Cùm ieiunium ad culparum deletionē & cohibitionem, & mētis in spiritualia eleuationem ualeat: ieiunium in communi cadit sub præcepto legis naturæ. Sed determinatio temporis & modi ieiunandi secundùm conuenientiam & utilitatem populi Christiani, cadit sub præcepto iuris positiui, quod est à Prælatis Ecclesiæ institutum. Et hoc est ieiunium Ecclesiæ: aliud uerò est naturæ.

ART. IIII. Vtrum omnes ad ieiunia Ecclesiæ teneantur.

Conclusio. Ad ieiuniorum Ecclesiæ obseruantiam communiter omnes ligantur, nisi rationabile eis impedimentum affuerit.

ART. V. Vtrum conuenienter determinentur tempora ieiunij Ecclesiæ.

Cōclusio. Conueniens fuit, ut homines certis temporibus ac diebus ad ieiunorum obseruantiam præceptis ac laudabili Ecclesiæ consuetudine cogerentur, ut tempore Quadragesimę, quatuor anni temporibus & certis Sanctorum uigiliis.

ART. VI. Vtrum requiratur ad ieiunium, quòd homo tantùm semel comedat.

Conclusio.

Concluſio. Rationabiliter Eccleſiæ moderatione ſtatutũ eſt, vt ſemel in die à ieiunantibus comedatur.

ART. VII. Vtrum hora nona conuenienter taxetur ad comedendum his qui ieiunant.

Concluſio. Hora nona conueniens eſt, vt ieiunantes cibum aſſũmant: tum quò ob tempus protractum ieiunans aliquam afflictionem ſentiat pro culpæ ſatisfactione, tum quia conuenit etiam iſta hora myſterio paſſionis Chriſti, quæ cõpleta fuit hora nona.

ART. VIII. Vtrum conuenienter ieiunantibus interdicatur abſtinẽtia à carnibus, &ouis, & lacticinijs.

Concluſio. Ieiunium cum ad reprimendas carnis concupiſcẽtias ſit ab Eccleſia inſtitutum: ſunt conueniẽter ieiunãtibus carnes, lacticinia, & oua ꝓhibita.

QVAESTIO CXLVIII.

De Gula, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum gula ſit peccatum.

Concluſio. Gula, cum ſit inordinatus comedendi & bibendi appetitus, manifeſtè peccatum eſt. Licet enim id quod intrat in hominẽ per modum cibi ſecundum ſuam ſubſtantiam & naturam, non coinquinat hominem ſpiritualiter: tamen inordinata ciborũ concupiſcentia ſpiritualiter hominem coinquinat.

ART. II. Vtrum gula ſit peccatum mortale.

Concluſio. Si quis ob gulæ inordinatam cupiditatem aliquid in lege diuina præceptum deliberata ratione dimitteret, mortali crimine reus eſſet: alias autem, veniale.

ART. III. Vtrum gula ſit maximum peccatorum.

Concluſio. Non eſt gula maximum vitiorum, quanquam ex occaſione multorum peccatorum cauſa ſit.

ART.

ART. IIII. Vtrum conuenienter species gulæ distinguantur secundùm has quinque conditiones: præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Conclusio. Quinque gulæ species distinguntur secundùm has conditiones: Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

ART. V. Vtrum gula sit uitium capitale.

Conclusio. Vitium gulæ, quod est circa delectationes tactus, quæ sunt præcipuè inter alias, conuenienter ponitur inter uitia capitalia.

ART. VI. Vtrum cõuenienter assignentur gulæ quinque filiæ, scilicet inepta lætitia, scurrilitas, &c.

Conclusio. Inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, & hebetudo mentis circa intelligentiam, quinque sunt gulæ filiæ.

QVAESTIO CXLIX.

De Sobrietate, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum materia sobrietatis sit potus.

Conclusio. Specialiter sobrietas attenditur circa potum, non quemcunque, sed eum, qui sua fumositate natus est caput conturbare, sicut uinum & omne quod inebriare potest. Communiter autem sumendo nomen sobrietatis potest in quacunque materia dici.

ART. II. Vtrum sobrietas sit per se uirtus specialis.

Conclusio. Sobrietas est quædam specialis uirtus, qua remouemus speciale rationis impedimentum ex nimio potu prouenięns.

ART. III. Vtrum usus uini totaliter sit illicitus.

Conclusio. Quanquam nec uini, nec ullius potus aut cibi usus secundũ se illicitus sit: est tamẽ uitiosus,

uel ex bibentis læſione, uel ſi menſuram excedat, aut contra uotum ſuſcipiatur, uel ſcandali cauſa ſit.

AR. IIII. Vtrum ſobrietas magis requiratur in maioribus perſonis.

Concluſio. Non modò iuuenibus & mulieribus ad reprimendas concupiſcentias uirtus ſobrietatis neceſſaria eſt: ſed ſenibus, & principibus, in quibus ratio uigere debet, ſpecialiter indicitur.

QVAESTIO CL.

De Ebrietate, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum ebietas ſit peccatum.

Concluſio. Ebrietas prout ſignificat ipſum defectũ hominis, qui accidit ex multo uino potato, ex quo fit ut non ſit cõpos rationis, non nominat culpam, ſed defectum pœnalẽ conſequentem ex culpa. Actus uerò, quo quis in hunc defectũ incidit, ex nimia uini fortitudine præter opinionem bibentis, etiam poteſt accidere ſine peccato, præcipuè ſi non ex negligentia hominis cõtingat. At ebrietas ex inordinata cõcupiſcentia & uſu uini ponitur eſſe peccatum, & cõtinetur ſub gula, ſicut ſpecies ſub genere. Diuiditur enim gula in commeſſationem & ebrietatem.

AR. II. Vtrum ebrietas ſit peccatum mortale.

Concluſio. Ebrietas uoluntaria peccatum mortale ſimpliciter eſt.

ART. III. Vtrum ebrietas ſit grauiſſimum peccatorum.

Concluſio. Peccata quæ ſunt directè contra Deũ, ſunt grauiora peccato ebrietatis, quòd directè opponitur bono rationis humanæ.

ART. IIII. Vtrum ebrietas excuſet à peccato.

Con-

Conclusio. Ebrietatis uitium quò minus uoluntarium est, eò magis à peccato excusat. ebrietas autem simpliciter uoluntaria aggrauat peccatum.

QVAESTIO CLI,

De Castitate, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum castitas sit uirtus.

Conclusio. Castitas est uirtus, per quàm concupiscentiam castigamus quodam rationis moderamine.

ART. II. Vtrum castitas sit uirtus generalis.

Conclusio. Nomen castitatis propriè, est specialis uirtus, habens specialem materiam, scilicet concupiscentias delectabilium, quæ sunt in uenereis. Sicut autem in corporis cõmixtione consistit delectatio uenereorum, circa quã proprie est castitas: ita etiã in quadam spirituali cõiunctioue mentis ad res aliquas cõsistit quædam delectatio, circa quam est quædam spiritualis castitas metaphoricè dicta. Et hoc modo castitas est generalis uirtus: quia per quamlibet uirtutẽ retrahitur mens humana, ne rebus illicitis delectabiliter cõiungatur. Principaliter tamen ratio huius castitatis consistit in charitate & alijs uirtutibus Theologicis, quibus mens hominis coniungitur Deo.

ART. III. Vtrum castitas sit uirtus distincta ab abstinentia.

Conclusio. Castitas, quæ uenereorum delectationes moderatur, uirtus distincta est ab abstinentia, quæ circa ciborum delectationes uersatur.

AR. IIII. Vtrũ pudicitia ptineat spãliter ad castitatẽ.

Conclusio. Pudicitia ad castitatem ordinatur, non quasi uirtus ab ipsa distincta, sed sicut exprimens castitatis circunstantiam quandam. Interdum tamen unum pro alio ponitur.

QVAE-

QVAESTIO CLII.

De Virginitate, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum uirginitas consistat in integritate carnis.

Conclusio. Virginitatis uirtus non in sola carnis integritate, sed magis in perpetuo proposito abstinē di se à quacunque uenereorum delectatione cōsistit.

AR. II. Vtrum uirginitas sit illicita.

Conclusio. Virginitas non quid uitiosum, sed laudabile potius est, cùm ad diuinorum cōtemplationē maximè conferat. Præceptum autē de generatione respicit totam multitudinem hominum, cui necessa rium est non solum quod multiplicetur corporaliter sed etiam quòd spiritualiter proficiat. Et ideo sufficienter prouidetur humanæ multitudini, si quidam car nali generationi operam dent: quidam uerò ab hac abstinentes, contemplationi diuinorum uacent ad to tius humani generis pulchritudinem & salutem. Sicut etiam in exercitu quidam castra custodiunt, qui dam signa deferunt, quidam gladijs decertant, quæ tamen omnia debita sunt multitudini, sed per unum impleri non possunt.

AR. III. Virginitas sit uirtus.

Conclusio. Conseruare se immunem ab experimē to uenereæ delectationis, habet quandam excellētiā laudis supra hoc quod est conseruare se immunē ab inordinatione uenereæ uoluptatis. Et ideo uirginitas est quædam specialis uirtus, habens se ad castitatem, sicut magnificentia ad liberalitatem.

AR. IIII. Vtrū uirginitas sit excellētior matrimonio.

Conclusio. Hic error fuit Iouiniani, qui posuit uir ginitatem non esse matrimonio præferendam. Qui error præcipuè destruitur, & exemplo Christi, qui & matrem uirginem elegit, & ipse uirginitatē seruauit:

& ex doctrina Apostoli, qui uirginitatem consuluit tanquam melius bonum. Et etiam ratione: tùm quia bonum diuinum est potius humano bono: tùm quia bonum animæ præfertur bono corporis: tùm etiam quia bonum contemplatiuæ uitæ præfertur bono actiuæ. Virginitas autem ordinatur ad bonum animæ secundum uitam contemplatiuam, quod est cogitare ea quæ sunt Dei.

ART. V. Vtrum uirginitas sit maxima uirtutum.

Conclusio. Virginitas non est maxima uirtutum, quanquam in genere castitatis sit excellentissima.

QVAESTIO CLIII.

De uitio luxuriæ, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum materia luxuriæ sint solùm concupiscentiæ & delectationes ueneręæ.

Conclusio. Omnis luxuriæ consideratio propriè circa uenereas uoluptates est.

ART. II. Vtrum nullus actus uenereus possit esse sine peccato.

Conclusio. Sicut usus ciborum potest esse absque peccato, si fiat debito modo & ordine, secũdùm quod competit saluti corporis: ita etiam & usus uenereorũ potest esse absq; omni peccato, si fiat debito modo, & ordine, secundùm quod est conueniens ad finem generationis humanæ.

AR. III. Vtrum luxuria, quæ est circa actus uenereos, possit esse peccatum.

Conclusio. Luxuria peccatum est, quo modum rationis & ordinem aliquis circa uenerea excedit.

ART. IIII. Vtrum luxuria sit uitium capitale.

Conclusio. Luxuria uitium capitale est, cùm eius appetitu hõ procedat ad multa peccata perpetrãda, q̃ omnia ex illo uitio tãquã ex principali oriri dicũtur.

ART.

ART. V Vtrum conuenienter dicantur esse filiæ luxuriæ, cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, &c.

Conclusio. Cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis seculi, & horror seu desperatio futuri, filiæ luxuriæ sunt.

QVAESTIO CLIIII.

De Luxuriæ partibus specificis, in duodecim articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum cõuenienter assignentur sex species luxuriæ, scilicet fornicatio simplex, adulterium, &c.

Cõclusio. Sex sunt luxuriæ species, 1. fornicatio simplex, 2. adulterium, 3. incestus, 4. stuprum, 5. raptus, 6. uitium contra naturam.

ART. II. Vtrum fornicatio simplex sit peccatum mortale.

Conclusio. Fornicatio simplex, cùm contra bonum educandæ prolis sit, crimen mortale, & illicita omnino est.

AR. III. Vtrũ fornicatio sit grauissimum peccatum.

Conclusio. Quanquam fornicatio grauior sit peccatis, quæ sunt contra exteriora hominis bona: minus tamen peccatum est, quàm uitia contra Deum, & homicidium.

ART. IIII. Vtrum in tactibus, & osculis, consistat peccatum mortale.

Conclusio. Tactus & oscula quanquam secundùm suam speciem non sint mortalia peccata; ut tamen libidinosa sunt, inter mortalia numerantur.

ART. V. Vtrum pollutio nocturna sit peccatum.

Conclusio. Nocturna pollutio nunquam est pecca-

& turpissimum est, cum per illud transgrediatur homo, quod secundum naturam determinatum est circa uenereorum usum.

QVAESTIO CLV.

De Partibus potentialibus temperantiæ, & primò de continentia, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum continentia sit uirtus.

Conclusio. Quidam continentiam nominant, per quā aliquis ab omni delectatione uenerea abstinet. Et sic cōtinentia perfecta principalis quidem est uirginitas, secundaria uerò uiduitas. Alii uerò dicūt cōtinentiā esse per quā aliquis resistit cōcupiscentijs prauis, quæ in eo uehementes existunt. Et hoc modo cōtinentia habet aliquid de ratione uirtutis, inquantū scilicet ratio firmata est contra passiones, ne ab eis deducatur: non tamē attingit ad perfectā rationem uirtutis moralis. Largius tamen accipiendo nomen uirtutis pro quolibet principio laudabiliū operum, possumus dicere continentiam esse uirtutem.

ART. II. Vtrum materia continentiæ sint concupiscētiæ delectationum tactus.

Conclusio. Continentia & incontinentia propriè dicuntur circa concupiscentias delectationum tactus communiter autem & secundùm quid possunt dici in quacunque alia materia.

AR. III. Vtrū subiectū cōtinētiæ sit uis cōcupiscibilis.

Conclusio. Continentia est sicut in subiecto in illa ui animæ, cuius actus est electio. Et hæc est uoluntas.

AR. IIII. Vtrum continentia sit melior quam temperantia.

Conclusio. Cōtinentia, ut omnes uenereas delectationes moderatur, potior est tēperantia: ut uerò pra-

uas concupiſcentias ſecũdum rationem moderatur, potiora ea eſt uirtus temperantiæ, cui ut principali adiungitur. Nam continentia comparatur ad temperantiam, ſicut imperfectum ad perfectum.

QVAESTIO CLVI.

De Incontinentia, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum incontinentia pertineat ad animam, an ad corpus.

Cõcluſio. Incontinentia ad animam per ſe ſpectat: ad corpus uerò nõ niſi per accidens, & occaſionaliter.

ART. II. Vtrum incontinentia ſit peccatum.

Concluſio. Incontinentia circa concupiſcentias delectationum tactus uitioſa eſt, ſimiliter & quæ circa honores & diuitias: quæ uerò circa concupiſcentias rerum eſt, quibus non cõtingit abuti, non peccatum eſt, ſed ad perfectionem uirtutis ſpectat.

AR. III. Vtrũ incõtinẽs plus peccet, quã intẽperatus.

Concluſio. Intemperatus multò deterius peccat, quàm incontinens, cum ex habitu ille, hic uerò ex paſſione peccet.

ART. IIII. Vtrum incontinens iræ ſit peior, quàm incontinens concupiſcentiæ.

Concluſio. Quanquam ſecundum paſſionis rationem, concupiſcentiæ incontinentia turpior ſit quàm iræ, quò tamen ad malum ſequens, grauior eſt iræ incontinentia, quàm concupiſcentia.

QVAESTIO CLVII.

De Clementia & Manſuetudine, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum clemẽtia & manſuetudo ſint penitus idem.

CON-

Conclusio. Quanquam mansuetudo, ut iræ moderatiua, in eundem concurrat effectum cum clemẽtia: diuersa tamen ab ea est, quòd clementia moderatiua est exterioris punitionis, mansuetudo uerò interioris passionis.

ART. II. Vtrum tam clementia quàm mansuetudo sit uirtus.

Conclusio. Tam clementia, quàm mansuetudo uirtutes sunt, per quas secundùm rectam rationem moderamur affectum iræ.

ART. III. Vtrum prædictæ uirtutes sint partes temperantiæ.

Conclusio. Clementia & mansuetudo, cum in quodam concupiscentiarum moderamine consistant, uirtuti temperantiæ adiunguntur, ut illius partes.

ART. IIII. Vtrum clementia & mansuetudo sint potissimæ uirtutes.

Conclusio. Nõ nisi secũdùm quid, dispositiuè uidelicet, clemẽtia & mãsuetudo potissimę uirtutes sunt.

QVAESTIO CLVIII.

De Ira, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum irasci sit licitum.

Conclusio. Secundùm rectam rationem irasci, laudabile est.

ART. II. Vtrum ira sit peccatum.

Conclusio. Ira peccatum est, si modum rationis excedat.

ART. III. Vtrum omnis ira sit peccatum mortale.

Cõclusio. Ira, qua quis iniustã appetit uindictam, peccatum mortale est; ueniale autem propter imperfectionem actus. Ira uerò ex passione, & qua in modico uindictam expetimus, ueniale est: mortale etiam

si ex uehementia iræ aliquis excidat à dilectione Dei & proximi.

ART. IIII. Vtrum ira sit grauissimum peccatum.

Conclusio. Ira non est grauissimum peccatorum.

ART. V. Vtrum Philosophus conuenienter determinet species iracundiæ, dicens quod iracundorum quidam sunt acuti, quidam amari, & quidam difficiles.

Conclusio. Iracundorum aliqui sunt acuti, qui nimis citò irascuntur, & ex qualibet leui causa: quidam amari, quia causa iræ, scilicet iniuria illata, nimis manet in memoria. Vnde diutinam tristitiam cōcipiūt, & ideo sunt sibijpsis graues & amari: quidā etiā sunt difficiles, qui non dimittunt iram, quousque puniāt.

ARTIC. VI. Vtrum ira debeat poni inter uitia capitalia.

Conclusio. Ira uitium est capitale, ex quo multa oriri uitia possunt.

ART. VII. Vtrum conuenienter assignentur sex filiæ iræ scilicet rixa, tumor mentis, &c.

Conclusio. 1. Rixa, 2. tumor mentis, 3. contumelia, 4. clamor, 5. indignatio, 6. blasphemia, sex filię irę sunt.

ART. VIII. Vtrum sit aliquod uitium oppositum iracundiæ, proueniens ex defectu iræ.

Conclusio. Defectus iræ consequentis iudicium rationis uitiosus est. Nam remotio iræ est signum remotionis iudicij rationis.

QVAESTIO CLIX.

De Crudelitate, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum crudelitas opponatur clementiæ.

Cōclusio. Crudelitas clemētię directè aduersatur.

ART.

AR. II. Vtrũ crudelitas à sæuitia siue feritate differat.
Conclusio. Diuersa est crudelitas à sæuitia, sicut humana malitia à bestialitate.

QVAESTIO CLX.

De Modestia, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS

VTrum modestia sit pars temperantiæ.

Conclusio. Modestia est uirtus moderatiua circa mediocres delectationes tactus, sicut circa maximas temperantia, cui adiungitur tanquam principali.

ART. II. Vtrum modestia sit solum circa exteriores actiones.

Conclusio. Modestia uersatur non modò circa exteriores, sed interiores hominũ actiones, quarum est moderatiua.

QVAESTIO CLXI.

De Speciebus modestiæ, & primò de humilitate, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum humilitas sit uirtus.

Conclusio. Humilitas est uirtus, qua animus firmatur, ne inordinatè in excelsa tendat.

AR. II. Vtrum humilitas consistat circa appetitum.

Conclusio. Cognitio proprij defectus pertinet ad humilitatem, sicut regula quædam directiua appetitus, sed in ipso appetitu consistit humilitas essentialiter. Et ideo propriè est directiua & moderatiua motus appetitus.

AR. III. Vtrum homo debeat se omnibus per humilitatem subijcere.

Conclusio. Debet omnis homo secũdùm id, quod defectus in ipso est, cuilibet homini se per humilitatem subijcere quò ad ea, quæ Dei in illo sunt: nõ autẽ sim-

ſimpliciter, neque ad ea, quæ diuinitus habet, tam ipſe, quàm ille, cui humiliari alias teneretur.

ART. III. Vtrum humilitas ſit pars modeſtiæ uel temperantiæ.

Concluſio. Humilitas eſt pars temperantiæ, ſicut modeſtia, ſub qua etiam continetur: inquantum ſcilicet humilitas nihil eſt aliud, quàm quædam moderatio ſpiritus.

ART. IIII. Vtrum humilitas ſit potiſsima uirtutum.

Concluſio. Poſt uirtutes Theologicas, & intellectuales, quæ reſpiciunt ipſam rationem, & poſt iuſtitiã, præſertim legalem, potior cæteris eſt humilitas.

ART. V. Vtrum conuenienter diſtinguantur ſecundùm beatum Benedictum duodecim gradus humilitatis: ſcilicet corde & opere ſemper humilitatem oſtendere, defixis in terram aſpectibus &c.

Concluſio. Varij, multiplices ſunt humilitatis gradus, quibus ad perfectionis apicẽ homines aſcendũt.

QVAESTIO CLXII.

De Superbia, in octo articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum ſuperbia ſit peccatum.

Concluſio. Superbia peccatum eſt, quo quis ſupra id quod eſt, tendit contra debitum rationis modum.

ART. II. Vtrum ſuperbia ſit ſpeciale peccatum.

Concluſio. Superbia, inquantum eſt inordinatus propriè excellentię appetitus, ſpeciale peccatum eſt: ut uerò ex eo ſecundùm rationem finis alia oriri uitia poſſunt, peccatum generale eſt.

ART. III. Vtrum ſuperbia ſit in iraſcibili ſicut in ſubiecto.

Concluſio. Quia arduum, quod reſpicit ſuperbia, communiter inuenitur & in ſenſibilibus, & in ſpiritualibus

tualibus rebus:necesse est dicere,quòd subiectum superbiæ sit irascibilis,non solum propriè sumpta prout est pars appetitus sensitiui, sed etiam communius accepta,prout inuenitur in appetitu intellectiuo. Vnde & in dæmonibus superbia ponitur.

A R T. IIII. Vtrum conuenienter à Gregor.assignétur quatuor superbiæ species, scilicet æstimare bonũ à seipso habere,&c.

Conclusio. 1. AEstimare bonum à seipso habere. 2. desuper sibi datum pro suis suscepisse meritis credere: 3. gloriari se habere quod non habet: & 4. cæteris despectis singulariter uideri uelle, quatuor sunt superbiæ species.

A R T. V. Vtrum superbia si peccatum mortale.

Conclusio. Superbia est ex suo genere peccatum mortale, quo quis Deo rebellis fit,nisi adsit imperfectio actus.

AR. VI. Vtrum superbia sit grauissimum peccatorũ.

Conclusio. Cum per superbiam homines maximè à Deo auertantur,ea est maximum peccatorum.

A R. VII. Vtrum superbia sit primum omnium peccatorum.

Concl. Superbia, per quam maximè à Deo auertimur,est primum & principium omnium peccatorũ.

AR. VIII. Vtrum superbia debeat poni uitium capitale.

Conclusio. Superbia non capitale uitium, sed omnium uitiorum regina & mater est.

QVAESTIO CLXIII.

De peccato primi hominis, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum primi hominis peccatum fuerit superbia.

Con-

Cõclusio. Primum peccatum hominis fuit in hoc, quòd appetijt quoddam spirituale bonum supra suã mensuram, quod pertinet ad superbiã. Vnde primum peccatum primi homini fuit superbia.

ART. II. Vtrum superbia primi hominis fuerit in hoc, quòd appetierit diuinam similitudinem.

Conclusio. Peccauit primus homo per superbiam inordinatè appetendo diuinam similitudinem, non modò quò ad sciẽtiam boni & mali, quam principaliter appetiit, sed quò ad operandi potestatem, secundario appetendo proprijs viribus consequi diuinam fœlicitatem: nullo autem modo naturæ diuinæ similitudinem appetijt.

ART. III. Vtrum peccatum primorum parentum fuerit cæteris grauius.

Cõclusio. Non simpliciter sed secundum quid primorum parẽtum peccatum fuit cæteris grauius, quia uidelicet dedecuit illorum statum innocẽtiæ, ac perfectæ munditiæ.

ART. IIII. Vtrum peccatum Adæ fuerit grauius quàm peccatum Euæ.

Conclusio. Euę peccatum grauius fuit, quàm Adę quanquam ex conditione personæ grauius Adam peccauerit

QVAESTIO CLXIIII.

De pœnis peccati primi hominis, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum mors sit pœna peccati primorum parẽtum

Conclusio. Sicut rebellio carnalis appetitus ad Spiritum, est pœna peccati primorum parentum, ita etiam & mors & omnes corporales defectus. Mors autem homini & est naturalis propter conditionem

mate-

materiæ,& est pœnalis propter amissionẽ diuini beneficij præseruantis à morte. Deus uerò huius non est auctor mortis,nisi inquantum est pœna.

AR.II. Vtrum conuenienter particulares pœnæ primorum parentum determinentur in scriptura.

Cõclusio.Varia in scripturis pœnarũ genera describuntur,quibus dignè punitum fuit ipsorum delictũ.

QVAESTIO CLXV.

De Tentatione primorum parentum, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum fuerit cõueniẽs, ut hõ à Diabolo tentaretur.

Conclusio.Pertinet ad conditionem humanæ naturæ, ut ab alijs creaturis iuuari uel impediri possit. Vnde cõueniẽs fuit, ut Deus hominẽ in statu innocẽtiæ & tẽtari permitteret per malos angelos, & iuuari eũ facere p bonos.Ex spãli.n. beneficio gratiæ hoc erat ei collatũ,ut nulla creatura exterior ei posset nocere cõtra propriã uoluntatẽ, per q̃ etiam tentationi dæmonis resistere poterat absque omni difficultate.

AR.II. Vtrum fuerit conueniens modus & ordo primæ tentationis.

Conclusio.In quolibet genere peccati inuenitur ordo primæ tentationis, inquantum uidelicet præcedit in sensualitate, quæ per serpentem signatur, peccati concupiscentia,in ratione inferiori,quæ signatur per mulierẽ,delectatio;in ratione superiori,quæ signatur per uirum consensus peccati.Itaque congruus fuit ordo primæ tentationis.

QVAESTIO CLXVI.

De Studiositate, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum materia studiositatis sit propriè cognitio.

Con-

Concluſio. Studioſitas prius reſpicit cognitionem, ſecundariò autem quæcunque agenda, in quæ per cognitionem dirigimur.

ART. II. Vtrum ſtudioſitas ſit pars temperantię.

Concluſio. Studioſitas temperantiæ pars potentialis eſt, ei principali adiuncta, ac ſub modeſtia comprehenſa.

QVAESTIO CLXVII.

De Curioſitate, in duos articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Vtrum circa cognitionem intellectiuam posſit eſſe curioſitas.

Concluſio. Quanquam ueritatis cognitio per ſe uitioſa non ſit, ſed per accidens, quo uidelicet eam peccatum ſuperbiæ ſequitur: appetitus tamen aſſequendæ cognitionis uarijs modis inordinatus, ac uitioſus eſſe poteſt.

AR. II. Vtrũ uitium curioſitatis ſit circa ſenſitiuam cognitionem.

Concluſio. Curioſitas, uel ſtudioſitas circa ſenſibilia cognoſcenda inutiliter, ſiue in aliquod noxium, uitioſa eſt: alias non.

QVAESTIO CLXVIII.

De Modeſtia, prout conſiſtit in exterioribus corporis motibus, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum in exterioribus motibus corporis ſit aliqua uirtus.

Concluſio. Cùm exteriores hominis actiones, & motus ſint per rationem ordinabiles, oportet aliquã circa illos uirtutem eſſe.

ART. II. Vtrum in ludis posſit eſſe aliqua uirtus.

Con-

Conclusio. Circa ludos, & iocos, qui nonnunquam ad animi solamen necessarij sunt, si secundum rationem fiant aliquam uirtutem esse oportet, quam eutrapeliam uocant.

AR. III. Vtrũ in superfluitate ludi posit esse peccatũ.

Conclusio. Cùm ludrica & iocosa uerba dirigibilia sint per opus rationis: nimius ludorum excessus cùm contra rationem sit peccatum mortale contingit esse, quandoque etiam ueniale.

AR. IIII. Vtrũ in defectu ludi cõsistat aliqđ peccatũ.

Conclusio. Qui in ludo ita deficiunt, quòd nec ipsi aliquod ridiculum dicunt, nec faciunt, uel dicẽtibus & facientibus molesti sunt, uitiõsi censentur: quanquam minus his, qui in ludis excedunt.

QVAESTIO CLXIX.

De Modestia in exteriori apparatu, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum circa exteriorem ornatum posit esse uirtus & uitium.

Conclusio. Cùm circa exteriorem apparatum & ornatum multipliciter uitium esse contingat: uariæ quoque circa hoc ut sint uirtutes, necessarium est.

ART. II. Vtrum ornatus mulierum sit sine peccato.

Conclusio. Quanquam mulierum ornatus ad placendum uiris suis peccatum non sit; ad concupiscentiam tamen, & uanitatem non sine peccato contingit esse mortali, uel ueniali.

QVAESTIO CLXX.

De Præceptis temperantiæ, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum præcepta temperantiæ conueniẽter in lege diuina tradantur.

Con-

Conclusio. Inter præcepta decalogi debuit tempe rātiæ præceptum, præcipuè de adulterio, apponi, nō modo secundum quod opere exercetur, sed etiam se cundum quod corde concupiscitur.

ART. II. Vtrum conuenienter tradantur in diuina le ge precepta de uirtutibus annexis temperantiæ.

Conclusio. Conueniens fuit, ut non solum tempe- rantiæ præcepta hominibus darentur, sed etiam de il li annexis uirtutibus, quæ secundùm effectus suos, possunt respicere dilectionem Dei uel proximi.

QVAESTIO CLXXI.

De Prophetiæ essentia, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum prophetia pertineat ad cognitionem.

Conclusio. Prophetia primo & principaliter in co gnitione consistit, secundario autem in locutione.

AR. II. Vtrum prophetia sit habitus.

Conclusio. Inest prophetiæ lumen sanctis prophe- tis non per modum habitus, sed per modum cuiusdā passionis uel impressionis transeuntis. Habitus autē est forma permanens.

ART. III. Vtrum prophetia sit solum futurorum con tingentium.

Conclusio. Quanquam tam diuina quam humana prophetiæ lumini subesse certum sit, propriissimè ta mē ad ipsam pertinet futurorū euentuum reuelatio.

ART. IIII. Vtrum propheta per diuinam reuela tionem cognoscat omnia quæ possunt, prophetice cognosci.

Conclusio. Cum prima ueritas sit principium om nium eorum quæ prophetice manifestantur, nō opor tet Prophetis omnia prophetabilia nota esse, sed tan tum quæ illis per diuinam reuelationem nota fiunt.

AR

ART. V. Vtrũ propheta diſcernat ſemper quid dicat per ſpiritũ proprium,& quid per ſpiritũ prophetiæ.

Concluſio. De his que expreſſe per ſpiritũ prophetiæ propheta cognoſcit maximã certitudinẽ habet:& pro certo habet, ꝙ hæc ſunt diuinitus ſibi reuelata. Sed ad ea quæ cognoſcit per inſtinctũ, aliquãdo ſic ſe habet ut nõ plenè diſcernere poſſit, utrũ hæc cogitauerit aliquo diuino inſtinctu, uel per ſpiritũ propriũ.

ART. VI. Vtrum ea quæ prophetice cognoſcũtur uel annunciantur, poſſint eſſe falſa.

Concluſio. Cùm prophetia diuinũ quoddã ſignum ſit diuinæ præſcientiæ, impoſſibile eſt ei ſubeſſe falſum. Quandoque uerò prophetica reuelatio eſt impreſſa ſimilitudo diuinæ præſcientiæ, prout ſcilicet cognoſcit ordinem cauſarum ad effectus:& tunc quãdoque aliter euenit quam prophetetur: nec tamẽ prophetiæ ſubeſt falſum. Nã ſenſus prophetiæ eſt, quod inferiorum cauſarum diſpoſitio, ſiue naturalium ſiue humanorum actuum, hoc habet, ut talis effectus eueniat. Et ſecundum hoc intelligitur uerbũ Iſaiæ, dicẽtis: Morieris, & non uiues, id eſt, diſpoſitio corporis tui ad mortẽ ordinatur. Et ꝙ dicitur Ionæ 3. Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur, id eſt, hoc merita eius exigunt ut ſubuertatur. Dicitur aũt Deus pœnitere metaphoricè, inquantum ad modum pœnitentis ſe habet, prout ſcilicet mutat ſententiam, etſi non mutet conſilium.

QVAESTIO CLXXII.

De cauſa prophetiæ, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum prophetia poſſit eſſe naturalis.

Concluſio. Prophetia ſimpliciter dicta non poteſt homini ineſſe à natura, ſed ſolũ ex diuina reuelatione.

AR. II. Vtrum prophetica reuelatio fiat per an gelos.

Conclusio. Prophetica reuelatio conuenit homini bus à Deo, angelorum tamen min iſterio

ART. III. Vtrum ad prophetiam requiratur diſpoſitio naturalis.

Concluſio. Non aliqua præcedens naturalis diſpo ſitio neceſſaria eſt ad prophetiam, ſed ex ſola Spiritus ſancti uoluntate hominibus infunditur.

ART. IIII. Vtrum bonitas morum requiratur ad prophetiam.

Concluſio. Quanquam per morũ malitiam ex ani mi inordinatis affectibus maximum prophetiæ adſit impedimentum: poteſt tamen ea eſſe ſine morum bo nitate, quo ad omnis bonitatis radicem, charitatem uidelicet, cùm ad intellectum ſpectans & ad proximorũ ſalutem, non autem propriam, ſit gratis à Deo hominibus infuſa.

ART. V. Vtrum aliqua prophetia ſit à dæmonibus.

Concluſio. Prophetia propriè & ſimpliciter dicta, ſit per ſolam diuinam reuelationem. Sed ipſa reuelatio facta per dæmones poteſt ſecundùm quid dici prophetia. Vnde quidam prophetant in ſpiritu diaboli, quales ſunt diuinatores. Sed ſic diſcernuntur, quoniã diabolus interdum falſa dicit, Spiritus ſanctus nunquam.

AR. VI. Vtrum prophetæ dæmonum aliquando prædicent uerum.

Concluſio. Etiam quando prophetæ dæmonum à dæmonibus inſtruuntur aliqua uera prædicunt: quandoq; quidem uirtute propriæ naturæ, cuius actor eſt Spiritus ſanctus, quandoque etiam reuelatione bonorum ſpirituum. Et ſic etiam illud uerum quod dæmones enuntiant, à Spiritu ſancto eſt.

QVAESTIO CLXXIII.

De modo propheticæ cognitionis, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum prophetæ uideant ipsam Dei essentiam.

Conclusio. Visio prophetica non est uisio ipsius diuinæ essentiæ, neque in ipsa diuina essentia uident ea quæ uident. sed in quibusdam similitudinibus secundùm illustrationem diuini luminis.

ART. II. Vtrum in prophetica reuelatione imprimãtur diuinitus menti prophetæ nouæ rerum species, uel solum nouum lumen.

Conclusio Prophetica reuelatio quandoque quidem fit per solam luminis influentiam: qnandoque aũt p species de nouo impressas, uel aliter ordinatas.

ART. III. Vtrum uisio prophetica semper fiat cum abstractione à sensibus.

Conclusio. Non est necesse, ut fiat alienatio à sensibus exterioribus, per hoc quod mens prophetæ illustratur intelligibilibus speciebus: quia in nobis perfectũ iudicium intellectus habetur per conuersionẽ ad sensibilia, quæ sunt prima nostræ cognitionis principia. Fit tamẽ nonnunquã prophetica reuelatio per abstractionẽ à sensibus, cùm uidelicet fit per imaginarias formas, non tamen cùm aliqua naturæ inordinatione, sed uel per somnium, uel contemplationem diuinorum, uel diuina uirtute rapiente.

ART. IIII. Vtrum prophetæ semper cognoscant ea quæ prophetant.

Conclusio. Cùm aliquis cognoscit se moueri à Spiritusancto ad aliquid æstimandum, uel significãdum uerbo, uel facto: hoc propriè ad prophetã pertinet.

Cùm autem mouetur, ſed non cognoſcit, non eſt perfecta prophetia, ſed quidam inſtinctus propheticus. Sciendum tamen, quòd quia mens prophetæ eſt inſtrumentum deficiẽs, etiam ueri prophetæ nõ omnia cognoſcunt, quæ in eorum uiſis, aut uerbis, aut etiam factis Spiritusſanctus intendit.

QVAESTIO CLXXIIII.

De diuiſione Prophetiæ, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum conuenienter diuidatur prophetia in prophetiam prædeſtinationis Dei, præſcientiæ, & comminationis.

Concluſio. Omnis prophetia aut eſt cõminationis, quæ nõ ſemper impletur, ſed per eã prænũtiatur ordo cauſæ ad effectus, qui quandoque alijs ſuperuenientibus impeditur: aut præſciẽtiæ, quæ poteſt eſſe bonorũ & malorũ: aut prædeſtinationis, quæ eſt bonorũ tantũ. quanquã prophetia ſecundũ uarium modũ prophetandi etiam in plura genera diſtingui poteſt.

ART. II. Vtrum excellentior ſit prophetia, quæ habet uiſionem intellectualem & imaginariam, quàm ea quæ habet uiſionem intellectualem tantùm.

Concluſio. Prophetia, per quam ſupernaturalis ueritas conſpicitur ſecundùm intellectualem ueritatẽ, longè dignior eſt illa, in qua ſupernaturalis ueritas innoteſcit per ſimilitudinem rerum corporalium ſecundùm imaginariam uiſionem.

ART. III. Vtrum gradus prophetiæ poſsint diſtingui ſecundùm uiſionem imaginariam.

Concluſio. Omnis prophetiæ propriè acceptæ gradus diſtinguntur ſecundùm imaginariam uiſionem.

ART. IIII. Vtrum Moyſes fuerit excellentior omnibus prophetis.

Con-

Concluſio. Moyſes fuit omnibus prophetis ueteris Teſtamēti ſimpliciter maior, quanquã quò ad aliquid aliquis alius prophetarum fuerit maior.

AR.V. Vtrũ aliquis gradus ꝓphetię ſit etiã in beatis.

Concluſio. Cùm prophetia importet uiſionē quandam alicuius ſupernaturalis ueritatis, ut procul exiſtentis: nullo modo poteſt in beatis eſſe aliquis prophetiæ gradus.

ART. V. Vtrum gradus prophetiæ uarientur ſecundùm temporis proceſſum.

Concluſio. Prophetia, ſecũdùm quòd ordinabatur ad fidei manifeſtationem, creuit per temporum ſucceſsionem: quòd uerò per eam humanum genus in ſuis operibus dirigebatur, non oportuit ſecundùm temporis proceſſum diuerſificari, ſed ſecundùm negotiorum conditionem.

QVAESTIO CLXXV.

De Raptu, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum anima hominis rapiatur ad diuina.

Cōcluſio. Rapitur nonnunquam anima hominis, quando ſpiritu diuino ad ſupernaturalia eleuatur cũ abſtractione à ſenſibilibus: quod quidem non eſt contra naturam, ſed eſt ſupra facultatem naturæ.

ART. II. Vtrum raptus magis pertineat ad uim cognoſcitiuam, quàm ad uim appetitiuam.

Conculſio. Propriè loquendo, ex hoc quòd homo appetit aliquid, non rapitur, ſed per ſe mouetur. Raptus uerò quantum ad ſuam cauſam, poteſt proficiſci ex parte appetitiuæ uirtutis. Ex hoc enim ipſo quòd appetitus ad aliquid uehemēter afficitur, poteſt contingere, quòd ex uiolētia affectus homo ab omnibus alijs alienetur. Habet etiam effectum in appetitiua

uirtute, cùm ſcilicet aliquis delectatur in his ad quæ rapitur. Raptus itē addit aliquid ſupra ecſtaſim. Nā ecſtaſis importat ſimpliciter exceſſum à ſeipſo, ſecundum quem ſcilicet aliquis extra ſuā ordinationē ponitur. Sed raptus ſuper hoc addit uiolētiā quandam.

AR. III. Vtrum Paulus in raptu uiderit Dei eſſentiā.

Concluſio. Paulus uſque in tertium cœlum diuina uirtute raptus, Deum per eſſentiam uidit, ut manifeſtè Auguſt. determinat non ſolum in libr. de Vidēdo Deum, ſed etiam 12. ſuper Geneſ. ad literā, talis enim fuit raptus Pauli, ut & etiam Moyſi. Et ſatis cōgruēter. Nam ſicut Moyſes fuit primus doctor Iudæorum ita Paulus fuit primus doctor Gentium.

ART. IIII. Vtrum Paulus in raptu fuerit alienatus à ſenſibus.

Concluſio. Impoſsibile eſt aliquē uiatorem uidere Deū per eſſentiā, niſi abſtrahatur à ſenſibus Nō enim per aliquod phātaſma poteſt Dei eſſentia uideri, quinimò nec per aliquam ſpeciem intelligibilē creatam, quia eſſentia Dei in infinitum excedit, non ſolū omnia corpora, quorum ſunt phantaſmata, ſed etiam omnem intelligibilem creaturā. Quòd autē Paulus poſt quā ceſſauit uidere Dei eſſentiam, memor fuit illorū quæ in illa uiſione cognouerat: id quidem fuit per aliquas ſpecies intelligibiles habitualiter ex hoc in eius intellectu relictas, ſicut etiam abeunte ſenſibili remanēt aliquæ impreſsiones in anima, quas poſtea conferēs ad phātaſmata memoratur. Vnde nec totā illā cognitionē aut cogitare poterat, aut uerbis exprimere.

ART. V. Vtrum anima Pauli in ſtatu illo fuerit totaliter à corpore ſeparata.

Cōcluſio. Quanquam neceſſarium fuerit, in raptu Pauli intellectum eius abſtrahi à phantaſmatibus & ſenſibilium perceptione: non oportuit tamen animā

ſic à

ſic à corpore ſeparari, ut ei non uniretur ut forma. At cum uires animę uegetabilis nō operētur ex intētione animæ, ſicut uires ſenſitiuæ ſed per modū naturæ: ideo non requiritur ad raptū ab eis abſtractio, ſicut à potētijs ſenſitiuis, per quarū operationes minueretur intentio animæ circa intellectiuam cognitionem.

ART. VI. Vtrum Paulus ignorauerit, an anima eius fuerit à corpore ſeparata.

Cōcluſio. Ignorauit Paulus, cùm raptus fuit in tertium cælū, num anima eius in corpore fuerit, quomodo eſt anima in corpore, cū corpus uiuere dicitur, an omnino de corpore exierit, ut mortuū corpus iaceret.

QVAESTIO CLXXVI.

De Gratijs gratis datis, & primò de gratia linguarum, in duos articulos diuiſa.

ATRICVLVS PRIMVS.

Vtrum illi qui conſequabantur donum linguarum, loquebantur omnibus linguis.

Cōcluſio. Primi Diſcipuli Chriſti ad hoc fuerunt ab ipſo electi, ut per uniuerſum orbem diſcurrentes, fidem eius ubique prædicarent. Et ideo neceſſarium fuit ut ſuper hoc eis diuinitus prouideretur per donū linguarum, ut ſicut gentibus ad idololatriam declinantibus introducta eſt diuerſitas linguarū: ita etiam quando erant gentes ad cultum unius Dei reuocandę, contra huiuſmodi diuerſitatem remedium adhiberetur per donum linguarum.

ART. II. Vtrum donum linguarum ſit excellentius, quàm gratia prophetiæ.

Cōcluſio. Prophetiæ donum potius & excellentius eſt dono linguarum: quòd per donum prophetiæ homo ordinatu[r in] Deum ſecundum mentem, quod eſt nobilius, q[uàm or]dinari ad eum ſecundum linguam.

QVAESTIO CLXXVII.

De Gratia sermonis, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum in sermone cõsistat aliqua gratia gratis data.

Cõclusio. Quia Spiritus sanctus nõ deficit ĩ aliquo quod pertineat ad Ecclesiæ utilitatem, etiam prouidet membris Ecclesiæ in locutione, non solum ut aliquis sic loquatur ut à diuersis posit intelligi, quod pertinet ad donum linguarum, sed etiam quod efficaciter loquatur, quod pertinet ad gratiam sermonis.

ART. II. Vtrum gratia sermonis, sapientiæ & scientiæ pertineat etiam ad mulieres.

Conclusio. Sermone potest aliquis uti priuatè ad unum, uel paucos familiariter colloquendo, & quantum ad hoc gratia sermonis potest competere mulieribus: non autem publicè, alloquendo totam Ecclesiam Idque primò quidem & principaliter propter conditionem fœminei sexus, qui debet esse subditus uiro, ex naturali dispositione. Secundò ne animi hominum alliciantur ad libidinem. Tertiò, quia ut communiter mulieres non sunt in sapientia perfectæ, ut eis posit conuenienter publica doctrina committi.

QVAESTIO CLXXVIII.

De Gratia miraculorum, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum sit aliqua gratia gratis data ad miracula facienda.

Conclusio. Præter linguarum & sermonis gratiam ad fidelium ædificationem quibusdã hominibus Spiritussancti opere gratis datam, oportuit superaddi ad sermonis confirmationem gratiam miraculorum.

AR. II. Vtrum mali possint miracula facere.

Con-

Conclusio. Quanquã per malos homines & prauos dæmones ficta miracula fieri possint; uera tamen miracula non nisi diuina uirtute ad sanctitatis testimonium per sanctos uiros fiunt, uel ẽt nomine Christi per malos interdum ad fidei confirmationem.

QVAESTIO CLXXIX.

De diuisione Vitæ in actiuam & contemplatiuam, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum uita conuenienter diuidatur per actiuam, & contemplatiuam.

Cõclusio. Vita hominis, qua omne humanũ diuiditur studiũ, distinguitur in actiuam, & contemplatiuã.

AR. II. Vtrum uita sufficienter diuidatur per actiuam & contemplatiuam.

Conclusio. Vita humana, quæ in opere intellectus consummatur, in actiuam tantùm, & contemplatiuam diuiditur.

QVAESTIO CLXXX.

De Vita contemplatiua, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum uita contemplatiua nihil habeat in affectu, sed totum in intellectu.

Conclusio. Quanquam essentialiter uita cõtẽplatiua in opere intellectus consistat: terminatur tamen ad appetitum, prout perfectissimam intellectus operationem consequitur delectatio & amor.

AR. II. Vtrum uirtutes morales pertineant ad uitam contemplatiuam.

Conclusio. Essentialiter quidem uirtutes morales non pertinent ad uitam contemplatiuam, quia finis contemplatiuæ uitę est consideratio ueritatis. Dispositiue autẽ uirtutes morales pertinent ad uitam contem-

templatiuam. Impeditur enim actus cōtemplationis, & per uehemètiam passionum, per quam abstrahitur intentio animæ ab intelligibilibus ad sensibilia, & per tumultus exteriores: quæ omnia reprimuntur per uirtutes morales.

ART. III. Vtrum ad uitam contemplatiuā pertineāt diuersi actus.

Conclusio. Quamuis unico contemplationis actu, id est, ueritatis apprehensione uita contemplatiua perficiatur: uariis tamen animi operibus ad eam homines ascendunt, ut auditione, lectione, oratione, meditatione, consideratione, cogitatione, &c.

ART. IIII. Vtrum uita contemplatiua solùm consistat in contemplatione Dei, an etiam in consideratione cuiuscunque ueritatis.

Conclusio. Primò & principaliter diuinæ ueritatis contemplatio ad uitam spectat contēplatiuam: dispositiuè uerò, & quasi secundariò uirtutes morales, & diuini effectus, uarijque actus animæ.

ART. V. Vtrum uita contemplatiua secundùm statum huius uitæ possit pertingere ad uisionem diuinæ essentię.

Conclusio impossibile est aliquem per contemplationem in statu præsentis uitę simpliciter ad diuinā uidendam essentiam pertingere, quanquam per accidens, ut Paulo cuipiam hoc diuinitus possibile sit.

ART. VI. Vtrum operatio contemplationis conueniēter distinguatur per tres motus, circularem, rectum, & obliquum.

Cōclusio. Omnis perfectæ contemplationis ratio tribus animæ motibus perficitur: Circulari, quo omnes animæ operationes ad simplicem diuinæ ueritatis contemplationem reducuntur: Recto, quo exterioribus sensibilibus & intelligibilia eleuatur: Obliquo,

liquo,quo illuminatióibus diuinis ratiocinãdo utiť.

ART.VII. Vtrum cõtemplatio delectationẽ habeat.

Cõclusio. Contemplatio ueritatis cõperit homini secundùm suam naturam.prout est animal rationale: ex quo contingit,quòd omnes homines natura scire desiderant:& per consequens in cognitione ueritatis delectantur. Sed & alio modo contemplatio redditur delectabilis,ex parte obiecti, inquãtũ scilicet aliquis rem amatam contemplatur. Quia ergo uita contemplatiua præcipuè consistit in contemplatione Dei,ad quam mouet charitas:inde est, quòd in uita contemplatiua non solum est delectatio ratione ipsius contemplationis,sed etiam ratione ipsius diuini amoris. Et quantum ad utrunque eius delectatio omnem delectationem humanam excedit

ART.VIII. Vtrum uita contemplatiuæ sit diuturna.

Conclusio. Vita contemplatiua non tantùm secundũ se diuturna est eo quòd uersatur circa incorruptibilia & immobilia,& non habet cõtrarietatem:(Delectationi enim,quæ est in considerando, nihil est cõtrarium) Sed quo ad nos etiam, tùm qui competit nobis secundùm actionem incorruptibilis partis animæ,scilicet secundùm intellectum : unde potest post hanc uitam durare:tùm quia in operibus contemplatiuæ corporaliter non laboramus. Vnde magis in huiusmodi operibus continuè persistere possumus .

QVAESTIO CLXXXI.

De Vita actiua, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum omnes actus uirtutum moralium pertineãt ad uitam actiuam.

Conclusio.In uirtutibus moralibus non principaliter quæritur cõtẽplatio ueritatis , sed ordinãtur ad operan-

operandum. Vnde manifestum est, quòd uirtutes morales pertinent essentialiter ad uitam actiuam.

ART. II. Vtrum prudentia pertineat ad uitam actiuã

Conclusio. Cùm per prudentia disponatur homo ad uirtutum moralium actus necessariò pertinet ad uitam actiuam. Si autem sumatur communius, prout scilicet comprehendit qualemcunque humanam cognitionem: sic prudentia, quantum ad aliquam sui partem pertinet ad uitam contemplatiuam.

ART. III. Vtrum docere sit actus uitæ actiuæ, an cõtemplatiuæ.

Conclusio. Quæuis doctrina ex parte audibilis sermonis ad actiuam pertinet uitam, sicut & omnes exteriores actiones: ex parte uerò interioris conceptionis, ad uitam contemplatiuam.

ART. IIII. Vtrũ uita actiua maneat post hanc uitã.

Conclusio. Post statum præsentis uitæ, nulla erit actiua uita, sed omnes cessabunt exteriores actiones.

QVAESTIO CLXXXII.

De comparatione uitæ actiuæ ad contemplatiuam, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum uita actiua sit potior quàm contemplatiua.

Conclusio. Quanquam secundùm conditionem præsentis necessitatis sit uita actiua magis eligenda, potior tamen ea est simpliciter uita contemplatiua.

ART. II. Vtrùm uita actiua sit maioris meriti, quàm contemplatiua.

Conclusio. Vita contẽplatiua directè & immediatè pertinet ad dilectionem Dei. Vita autẽ actiua directè: ordinatur ad dilectionem proximi. Et ideo ex suo genere contemplatiua uita est maioris meriti, quàm actiua. Potest tamen contingere, quòd aliquis in ope-

in operibus uitæ actiuæ plus mereatur, quam alius in operibus uitæ contemplatiuæ puta, ſi propter abundanciam diuini amoris, ut eius uoluntas impleatur, propter ipſius gloriam interdum ſuſtinet à dulcedine diuinæ contemplationis ad tempus ſeparari.

ART.III. Vtrum uita contemplatiua impediatur per uitam actiuam.

Concluſio. Quanquam uita actiua, quò ad exteriores actiones, impedimento ſit uitæ contemplatiuæ: ad illam tamen maximè confert, quo internorum affectuum moderatiua eſt.

AR.IIII. Vtrũ uita actiua ſit prior q̃ contemplatiua.

Concluſio. Secundum ſuam naturã, uita cõtempla eſt prior quàm actiua, inquantum prioribus & melioribꝰ inſiſtit, Vnde & actiuã uitã mouet & dirigit. Sed quò ad nos, ſcilicet in uia generatiõis, actiua ẽ prior quã contẽplatiua: quia diſponit ad contemplatiuam.

QVAESTIO CLXXXIII.

De Officijs & uarijs hominum ſtatibus in generali, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum ſtatus in ſui ratione importet conditionem libertatis uel ſeruitutis.

Concluſio. Solũ id uidetur ad ſtatum hominis pertinere quod reſpicit obligationem perſonæ hominis prout ſcilicet aliquis eſt ſui iuris, uel alieni. Et hoc nõ ex aliqua cauſa leui, uel mutabili de facili, ſed ex aliquo permanente, & hoc eſt quod pertinet ad rationẽ libertatis uel ſeruitutis. Vnde ſtatus pertinet propriè ad libertatem uel ſeruitutem, ſiue in ſpiritualibus, ſiue in ciuilibus.

ART.II. Vtrum in Eccleſia debeat eſſe diuerſitas officiorum, ſeu ſtatuum.

Concluſio. Ad Eccleſiæ Dei perfectionem & decorem decuit, in ea diuerſorum officiorum & ſtatuum munera diuerſis perſonis diſtributa inueniri pro neceſsitate multarũ actionũ, quæ in illa neceſſariã ſunt.

ART. III. Vtrum officia diſtinguantur per actus,

Concluſio. Officiorum diuerſitas ſecundum actionum diuerſitatem uariantur.

ART. IIII. Vtrum differentia ſtatuum attendatur ſecundum incipientes, proficientes, & perfectos.

Concluſio. Status ſpiritualis ſeruitutis uel libertatis diſtinguitur ſecundum incipientes, proficientes, & perfectos. Inuenitur autem in rebus ſpiritualibus duplex ſeruitus & duplex libertas. Vna quidẽ peccati altera uerò iuſtitiæ. Ac libertas quidem à peccato fit per charitatem. Et ideo eadem eſt diuiſio charitatis, & ſtatuum pertinentium ad ſpiritualem libertatem.

QVAESTIO CLXXXIIII.

De pertinentibus ad ſtatum perfectionis in communi, in octo articulos diuiſa

ARTICVLVS I.

VTrum perfectio Chriſtianæ uitæ attendatur ſpecialiter ſecundum charitatem.

Concluſio. Omnis Chriſtianæ uitæ perfectio ſecundùm charitatẽ attẽdẽda eſt. Charitas.n. eſt quæ unit nos Deo, qui eſt ultimus finis humanæ mentis.

AR. II. Vtrũ aliquis in hac uita poſsit eſſe perfectus.

Concluſio. Perfectio uitæ Chriſtianæ in charitate conſiſtit. Poteſt autem triplex perfectio conſiderari, Vna quidem abſoluta, prout ſcilicet Deus tantum diligitur, quantum diligibilis eſt. Et talis perfectio non eſt poſsibilis alicui creaturæ, ſed competit ſoli Deo. Alia autem eſt perfectio, prout ſcilicet affectus ſecundum totum ſuum poſſe ſemper actualiter tendit in

Deum:

Deum:& talis perfectio & nõ eſt posſibilis in uia,ſed erit in patria.Tertia autem eſt perfectio,neque ſecundũ totalitatẽ ex parte diligibilis,neq; ex parte diligẽtis,quãtũ ad hoc ꝙ ſemper actu ferat̃ in Deũ:ſed quãtũ ad hoc ꝙ excludant̃ ea q̃ repugnãt motui dilectionis in Deũ.Et talis perfectio poteſt ĩ hac uita haberi, inquãtũ ab affectu hoĩs excluditur nõ ſolũ illud ꝙ eſt charitati contrariũ,ſed etiã omne illud ꝙ ĩmpedit,ne affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum.

AR.III.Vtrũ ꝑfectio cõſiſtat in ꝑceptis,an in cõſilijs.

Concluſio.Charitatis perfectio principaliter,& eſſentialiter,& per ſe cõſiſtit in ꝑceptis: ſecũdario aũt & inſtrumẽtaliter,& quaſi diſpoſitiuè in cõſiliis. Eſt enim quædã perfectio charitatis pertinẽs ad ipsã ſpeciẽ charitatis,ut ſcilicet Deus ſuper oĩa diligatur, & nihil cõtra eũ ametur.Eſt aũt alia perfectio charitatis etiã in hac uita,ad quã aliquis per aliquod ſpirituale augmentũ peruenit:ut puta cũ homo etiam à rebus licitis abſtinet ut liberius diuinis obſequiis uacet.

AR.IIII. Vtrum quicunque perfectus ſit in ſtatu perfectionis.

Concluſio.Secundũ interiorẽ hominis diſpoſitionẽ accipitur cõditio ſpiritualis ſtatus in homine per cõparationẽ ad iudiciũ diuinũ.Secundũ aũt ea quæ exterius agũtur,accipitur ſpiritualis ſtatus ĩ homine per cõparationẽ ad Eccleſiã.Sic ergo in ſtatu perfectionis propriè dicitur aliquis eſſe,nõ ex hoc ꝙ habet actum dilectionis perfectè,ſed ex hoc quod obligat ſe perpetuo cum aliqua ſolennitate ad ea quæ ſunt perfectionis.Contingit etiam quod aliqui ſe obligant qui non ſeruãt,& aliqui implent ad quod ſe non obligauerũt. Et ideo nihil prohibet aliquos eſſe perfectos,qui non ſunt in ſtatu perfectionis: & aliquos eſſe in ſtatu perfectionis,qui tamen non ſunt perfecti.

ART.

ART. V. Vtrum Religiosi & Prælati sint in statu perfectionis.

Conclusio. Religiosi ac Prælati sunt in statu perfectionis, non quasi seipsos profitentes perfectos, sed se ad perfectionem tendere. Et martyrium quidem in actu perfectissimo charitatis consistit. Verũ actus perfectionis non sufficit ad statum faciendum.

ART. VI. Vtrum omnes Prælati Ecclesiastici sint in statu perfectionis.

Conclusio. Non omnes Prælati, sed soli Episcopi in statu perfectionis sunt. Etenim plebani & archidiaconi magis habent quoddam officium ad perfectionem pertinẽs, quàm quod obtineant perfectionis statum.

ART. VII. Vtrum status Religiosorum sit perfectior quam status Prælatorum.

Conclusio. Potior & perfectior est status perfectionis in Prælatis & Episcopis, quam in Religiosis. Nã in genere perfectionis Episcopi se habent ut perfectores, Religiosi autem ut perfecti: quorum unum pertinet ad actionem, alterum autem ad passionem.

ART. VIII. Vtrum Presbyteri, Curati, & Archidiaconi, sint maioris perfectionis, quàm Religiosi.

Conclusio. Quanquam Religiosorum status, qui totam uitam suam Deo consecrauerunt, secundum bonitatem excellentior sit quàm status Presbyteri, Curati, ac Archidiaconi: secundum difficultatem tamen exercendi animarum curam, longe perfectior est status Presbyteri, Curati, ac Archidiaconi.

QVAESTIO CLXXXV.

De Pertinentibus ad statum Episcoporum, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum liceat Episcopatum appetere.

Con-

Conclusio. Quanquam ut hominibus prodesse ualeamus, licet episcopatum appetere, ubi aliqua ad hoc necessitatis ratio adsit: talem tamen dignitatis celsitudinem & utilitatem desiderare, uitiosum & illicitum est.

ART. II. Vtrum liceat episcopatum iniunctum omnino recusare.

Conclusio. Quanquam episcopatum appetere, illaudabile censeatur: illicitum tamen est, ac charitati & humilitati repugnans, iniunctum à superiore episcopatum recusare.

ART. III. Vtrum oporteat eum, qui ad episcopatum assumitur, esse cæteris meliorem.

Conclusio. Qui quenquam ad episcopatum eligit, nō simpliciter cæteris meliorem tenetur eligere, sed quem cæteris magis idoneum ad animarum regimē nouit: is uerò qui eligitur, sat fuerit ut nihil in se animaduertat, quo pastorali officio indignus habeatur.

ART. IIII. Vtrum Episcopus possit licitè curam episcopalem deserre, ut ad religionem se transferat.

Conclusio. Non licet Episcopo, ut ad religionem transeat, episcopatum dimittere: nisi ex rationabili causa, & summi Pontificis auctoritate. Potest enim Episcopus, si impedimentū alienæ salutis procurādæ interueniat, ad religionem transire, & impedimento cessante potest iteratò ad episcopatum assumi, uel iteratò ad alium episcopatum promoueri. Si uerò aliquis propter culpam sit ab episcopatu depositus, & in monasterium detrusus ad pœnitentiam peragēdam, non potest iteratò ad episcopatum reuocari.

ART. V. Vtrum liceat Episcopo propter aliquam persequutionem corporalem deserere gregem sibi commissum.

Conclusio. Vbi adest necessitas consulendi animarum

rum saluti, non licet Episcopo propter corporalem persequutionem episcopatum deserere: si uerò subditorum saluti possit sufficienter in absentia pastoris per aliud prouideri, tunc licet pastori uel propter aliquod commodum Ecclesiæ, uel personæ periculum, corporaliter gregem deserere.

AR. VI. Vtrũ liceat Episcopo aliquid ꝓpriũ habere.

Cõclusio. Manifestum est, quòd uiuere absque proprio, super erogationis est. Non enim cadit sub præcepto, sed sub consilio: Non autẽ Episcopi in sua ordinatione ad hoc se obligant, ut absque proprio uiuãt. neq; etiã uiuere absq; proprio ex necessitate requiritur ad pastorale officiũ ad quod se obligant. Et ideo non tenẽtur Episcopi ad hoc ꝙ sine proprio uiuant.

AR. VII. Vtrũ Episcopi mortaliter peccẽt, si bona ecclesistica, quæ procurant, pauperibus nõ largiantur.

Conclusio. Aliter est de proprijs bonis quæ Episcopi possidere possunt, & de bonis ecclesiasticis. Nã ꝓpriorum bonorum dominium habent. Vnde ex ipsa rerum conditione non obligantur, ut eas alijs conferant, sed possunt eas uel sibi retinere, uel etiam alijs pro libito elargiri. Possunt tamen in earum dispensatione peccare, uel propter inordinationem affectus, per quam contingit, uel quòd sibi plura conferant quàm oporteat, uel alijs ètiam non subueniant, secũdùm quod requirit debitum charitatis. Non tamen tenẽtur ad restitutionẽ, q̃a huiusmodi res sunt eorũ dominio deputatę: sed ecclesiasticorũ bonorũ sũt dispẽsatores uel ꝓcuratores. Sunt aũt bona ecclesiastica nõ solũ in usus pauperũ, sed ẽt ad cultũ diuinũ & necessitates ministrorũ expẽdẽda. Si ergo distincta sint bona, q̃ debẽt in usũ epi cedere, ab his q̃ sunt paupib⁹ & ministris, & cultui ecclesiæ erogãda, & aliq̃d, sibi retinuerit episcopus de his, quæ sunt paupibus erogã

da, uel

da, uel etiam in usum ministrorum, aut in cultum diuinum expendenda non est dubiũ quod contra fidem dispensationis agit, & mortaliter peccat, & ad restitutionẽ tenetur. De his autem quæ sunt specialiter suo usui deputata, uidetur esse eadem ratio quę est de proprijs bonis. Si uerò non sunt prædicta bona distincta, eorũ distributio fidei eius cõmittitur. Et siquidẽ in modico deficiat uel supabũdet, potest hoc fieri absq; bonæ fidei detrimento, quia nõ potest homo in talibus pũctualiter accipere illud quod fieri oportet. Si uerò sit multus excessus, non põt latere. Vnde uidetur bonę fidei repugnare, & ideo nõ est absq; peccato mortali.

ART. VIII. Vtrum religiosi qui promouentur in episcopos, teneantur ad obseruantias regulares.

Conclusio. Religiosi, qui in episcopos promouentur, ad omnia suæ religionis tenentur seruanda, quæ suo episcopali statui non repugnant.

QVAESTIO CLXXXVI.

De pertinentibus ad statum Religiosum, in decem articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum religio importet statum perfectionis.

Conclusio. Religio statũ perfectionis significat, cũ sit qua Deo homo totaliter per debitũ cultũ inhæret. Religio autẽ nominat statũ perfectionis intẽtione finis. Vnde non opportet quòd quicũque est in religione, iam sit perfectus, sed quòd ad perfectionẽ tendat.

ART. II. Vtrum quilibet religiosus teneatur ad omnia consilia.

Conclusio. Non tenetur religionem professus ad omnia cõsilia, siue exercitia, quibus ad perfectionem peruenitur, sed ad illa quę determinatè sunt ei taxata secundum regulam, quam professus est.

ART. III. Vtrum paupertas requiratur ad perfectionem religionis.

Cõclusio. Ad perfectionem charitatis in religione consequendam, necessaria summopere est paupertas uoluntaria, qua aliquis affectum suum totaliter abstrahit à rebus mundanis.

ART. IIII. Vtrum perpetua continentia requiratur ad perfectionem religionis.

Cõclusio. Vsus uenereorũ retrahit animum ab illa perfecta intentione tendendi in Deum. Qui etiã cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, & quomodo placeat uxori. Et ideo continentia perpetua requiritur ad perfectionem religionis, sicut & uoluntaria paupertas. Vnde sicut damnatus est Vigilantius, qui adæquauit diuitias paupertati: ita damnatus est Iouinianus, qui adæquauit matrimonium uirginitati.

ART. V. Vtrum obedientia pertineat ad perfectionem religionis.

Conclusio. Obedientia necessaria est ad religionis perfectionem. Quicunque enim instruuntur uel exercitantur, ut perueniant ad aliquem finem, oportet ꝙ directionem alicuius sequantur, secundùm cuius arbitrium instruantur uel exercitentur ut perueniant ad aliquem finem, quasi discipuli sub magistro. Et ideo oportet quòd religiosi in his, quæ ꝑtinent ad religiosam uitã, alicuius instructioni & imꝑio subdãtur.

ART. VI. Vtrum requiratur ad perfectionem religionis, quòd paupertas, continentia, & obedientia, cadant sub uoto.

Conclusio. Necessarium est, ut quicunque religionis perfectionem profitentur, uoto obligent se ad perpetuam obedientiam, continentiam, atque paupertatem. Nam ad statum perfectionis requiritur obligatio ad ea quæ sunt perfectionis, quæ quidem Deo fit per uotum.

ART. VII. Vtrũ conuenienter dicatur in his tribus uotis consistere religionis perfectionem.

Conclusio. Religionis status cõsistit & integratur ex tribus uotis, Obedientiæ, Continentiæ & Paupertatis, secundùm quòd hic status uel 1. est exercitium tendendi in perfectionem charitatis, uel 2. secundũ quòd quietat animum humanum ab exterioribus solicitudinibus: uel 3. secũdùm quòd est quoddã holocaustũ, per quod aliquis totaliter se & sua offert Deo.

ART. VIII. Vtrum uotum obedientiæ sit potissimum inter tria uota religionis.

Conclusio. Inter omnia religionis uota obediẽtiæ uotum maximum est, per quod Deo homo offert totam suam uoluntatem, quæ omnibus & corporis & fortunæ bonis longè præstantior est.

AR. IX. Vtrum religiosus semper peccet mortaliter transgrediendo ea quæ sunt in regula.

Conclusio. Votum professionis respicit principaliter tria, s. paupertatem, continentiam, & obedientiã alia uerò omnia ad hæc ordinantur. Et ideo transgressio horum trium obligat ad mortale. Aliorum autem transgressio non obligat ad mortale, nisi propter contemptum regulæ: quia hoc directè cõtrariaretur professioni, per quã aliquis uouit regularem uitam: uel propter præceptum, siue ore tenus à prælato factum, siue in regula expressum: quia hoc esset facere contra obedientiæ uotum.

AR. X. Vtrum religiosus in eodem genere peccati grauius peccet, quàm secularis.

Conclusio. Religiosus peccans ex contemptu, uel contra uota, uel alteri scandalum præbens, grauius quàm secularis peccat: secus, si ex infirmitate, uel ignorantia tantùm peccet.

QVAESTIO CLXXXVII.

De his quæ pertinent ad Religioſos, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum religioſis liceat docere, prædicare, & alia huiuſmodi facere.

Cõcluſio. Nõ licet religioſis pdicare, docere, aliaq; huiuſmodi facere, quia ſtatus religionis nõ dat eis poteſtatẽ huiuſmodi faciẽdi. Poſſunt tamen iſta facere, ſi ordinẽ recipiãt uel ordinariam iuriſdictionem, aut etiam ſi eis committantur ea quæ ſunt iuriſdictionis.

ART. II. Vtrum religioſis liceat ſecularia negotia tractare.

Cõcluſio. Cauſa cupiditatis ſecularia negotia gerere, nec monachis, nec clericis licet. Cauſa uerò charitatis ſe negotijs ſecularibus cum debita moderatione ingerere poſſunt, ſecundùm ſuperioris licentiam, in miniſtrando & dirigendo.

ART. III. Vtrum religioſi manibus operari teneãtur.

Concluſio. Non magis tenentur religioſi ad manualia opera, quàm ſeculares, qui ad ea tenentur, uel ad uictum quærendum, uel otium fugãdum uel ad concupiſcentiæ refrænationem, inquantum per hoc maceratur corpus, uel ut habeant unde tribuant neceſſitatem patientibus.

AR. IIII. Vtrũ religioſis liceat de eleemoſynis uiuere.

Concluſio. Poſſunt religioſi ex eleemonſynis abſq; manualis operis lucro uiuere, præcipuè ſi religioſis operibus ad proximorum utilitatem uacent. Si uerò aliqui ſunt religioſi, qui abſq; neceſſitate & utilitate, quam afferant, uelint otioſi de eleemoſynis, quæ dantur pauperibus, uiuere: hoc eis eſt illicitum.

ART. V. Vtrum religioſis liceat mendicare.

Con-

Conclusio. Non modo religiosis, sed omnibus ad humilitatis assumptionem & exemplum, & communem utilitatem, mēdicare licet: non autem ad otium fouendum, uel ad lucri cupiditatem.

ART. VI. Vtrum liceat religiosis uilioribus uestibus uti quam cæteri.

Couclusio. In omnibus exterioribus rebus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est. Ad quam discernendam attendēdum est, quod habitus uilis & incultus dupliciter potest considerari. Vno modo, prout est signū quoddam dispositionis uel status humani quia amictus hominis annuntiat de eo. Et secundum hoc uilitas habitus est, quandoq; signū tristitiæ. Vnde & homines in tristitia existētes solent uilioribus uestibus uti, sicut ecōuerso in tēpore solennitatis & gaudi utuntur cultioribus uestimētis. Quādoq; uerò est signū contēptus diuitiarū & mūdani fastus. Et s̄m utrūq; horū cōpetit religiosis uilitas uestiū: quia religio est status pœnitētiæ & contēptus mūdanæ gloriæ Sed ꝙ aliquis uelit hoc aliis significare cōtingit propter tria. Vno modo. ad sui humiliationē. Alio modo propter exēplū aliorū. Tertio modo, propter inanem gloriā. Duobus ergo primis modis laudabile est abiectis uestibus uti. Tertio uerò modo uitiosum est, Alio itē modo potest considerari habitus uilis & incultus secundum quod procedit ex auaritia, uel negligētia: & sic etiam ad uitium pertinet.

QVAESTIO CLXXXXIII.

De religionum uarietate, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum sit tantum una religio

Concl. Nō una, sed uariæ sunt religiones, ex diuersis spiritualibus exercitiis, & charitatis opibus distinctę

ART.II. Vtrum aliqua religio institui debeat ad ope ra uitæ actiuæ.

Conclusio. Religiouis status ordinatur ad perfectionē charitatis, quæ se extendit ad dilectionē Dei & proximi. Ad dilectionem aūt Dei directè pertinet contemplatiua uita, quæ soli Deo uacare desiderat. Ad dilectionem autem proximi directe pertinet uita actiua quæ deseruit necessitatibus proximorum. Et sicut ex charitate diligitur proximus propter Deum, ita etiam obsequium delatum in proximos redundat in Deum. Vnde & huiusmodi obsequia proximis facta, inquantum ad Deum referuntur, dicuntur esse sacrificia quædam. talibus.n. hostiis promeretur Deus. Et quia ad religionem propriè pertinet sacrificium Deo offerre: consequens est, quod conuenienter religiones quædam ad opera uitæ actiuæ ordinentur.

ART.III. Vtrum aliqua religio ordinari possit ad militandum.

Conclusio. Congruè institui ad militandum aliqua religio potest, non quidem propter aliquid mundanum, sed ad diuini cultus, & publicæ salutis, uel pauperum & oppressorum defensionem. Sic tamē quod religiosis nō propria auctoritate liceat bella gerere, sed solum auctoritate principium, uel Ecclesiæ.

AR.IIII. Vtrum aliqua religio possit institui ad prædicandum uel confessiones audiendum.

Conclusio. Conuenientissimum est, ut ad ea explēda, quæ ad animarum salutem spectant, aliquæ instituantur religiones, ad prædicandum scilicet, & confessiones audiēdum. Hoc enim pertinet magis ad obsequium Dei, cui nullum sacrificium est magis acceptum quam zelus animarum.

ART. V. Vtrum sit instituenda aliqua religio ad studendum.

Con-

Concl. Conueniens est, ut aliquæ instituantur religiones quæ studio bonarũ artium & sciẽtiarũ uacẽt. Nam studium literarum religioni congruit, quãtum ad id quod est omni religioni commune. Sed religiosis cõpetit principaliter intendere studio literarũ pertinentium ad doctrinam, quæ secundum pietatẽ est. Aliis autem doctrinis intendere non pertinet ad religiosos quorum tota uita diuinis obsequijs mancipatur nisi inquantum ordinantur ad sacram doctrinam.

ART. VI. Vtrum religio quæ uacat uitę contemplatiuæ, sit potior ea, quæ uacat operibus uitæ actiuæ:

Conclusio. Potior est religio, quæ ad uitam cõtemplatiuam ordinatur, quàm quæ ad actiuam simpliciter. opus uerò uitæ actiuæ, quod ex plenitudine contemplationis deriuatur, sicut doctrina & prædicatio, præfertur simplici contemplationi. Sicut enim maius est illuminare, quàm lucere solum: ita maius est contemplata aliis tradere, quam solùm contemplari.

ART. VII. Vtrum habere aliquid in communi, diminuat perfectionem religionis.

Conclusio. Tribus gradibus religionũ, triplex gradus paupertatis cõpetit. Nã illis religionibus, quę ordinantur ad corporales actiones actiuæ uitæ, cõpetit habere abundantiã diuitiarũ communiũ. Illis autem religionibus, quæ sunt ordinatæ ac contẽplãdũ, magis cõpetit habere possessiones moderatas, nisi simul oporteat tales religiosos per se uel per alios hospitalitatem tenere & pauperibus subuenire. Illis autem, quæ ordinantur ad contemplata aliis tradenda, competit uitam habere maximè ab exterioribus solicitudinibus expeditam. Quod quidem fit dum modica, quæ sunt necessaria uitæ, cõgruo tempore procurata conseruantur & hoc Dominus paupertatis institutor docuit suo exemplo. Habebat enim loculos.

ART.

AR. Vtrum perfectior sit religio in societate uiuẽtiũ quam agentium solitariam uitam,

Conclusio. Vita socialis necessaria est ad exercitiũ perfectiõis. Solitudo aũt cõpetit iã perfectis. Sicut ergo id ꝙ iam perfectũ est, præeminet ei ꝙ ad perfectionẽ exercetur, ita uita solitariorũ, si debite assumatur, præeminet uitæ sociali. Si aũt absq; præcedẽti exercitio talis uita assumatur, est periculosissima, nisi per diuinã gratiã suppleatur id, ꝙ in aliis per exercitiũ acquiritur. Solitariè aũt uiuere, quasi societatẽ humanã non ferens propter animi sæuitiam, bestiale est.

QVAESTIO CLXXX IX.

De Religionis ingressu, in decem articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum illi, qui non sunt in præceptis exercitati, debeant ingredi religionem.

Conc. Religionẽ ingredi nõ solũ expedit his qui sunt exercitati in præceptis, ut ad maiorẽ perfectionẽ perueniant; sed etiam hic qui non sunt exercitati, ut facilius peccata uitent & perfectionem assequantur.

AR. II. Vtrum debeant aliqui uoto obligari ad religionis ingressum.

Conclusio. Sicut peccatũ est grauius, ex hoc ꝙ procedit ex uoluntate obstinata im malum: ita bonum opus est laudabilius ex hoc, quod procedit ex uoluntate cõfirmata in bonũ per uotum. Et ideo obligari uoto ad religionis ingressum, est secũdum se laudabile. Quod si aliquis uoti transgressor grauius ruat, hoc nõ derogat bonitati uoti: sicut nec derogat bonitati baptismi, quod aliqui post baptismum grauius peccant.

ART. III. Vtrum ille, qui obligatus est uoto ad reli-

religionis ingressum, teneatur intrare religionem.

Cōclusio ad Votū est promissio Deo facta de his q̄ Deū pertinent. Vnde qui se obligat ad religionis ingressum, tenetur religionē ingredi, secundū quod se uoto obligare intendit: ita. s. quòd si intendit se absolutè obligare, tenetur quā citius poterit ingredi, legitimo impedimēto cessante. Si aūt ad certum tempus, uel sub certa conditione, tenetur religionem ingredi tempore adueniente, uel conditione existente.

AR. IIII. Vtrum ille, qui uouet religionem ingredi, teneatur perpetuò in religione permanere.

Conclusio. Intantum fertur obligatio uoti, inquantum se extendit uoluntas & intētio uouentis. Si ergo uouens intendit se obligare non solum ad ingressum religionis, sed etiam ad perpetuo remanendum, tenetur perpetuò remanere. Si uerò in uouendo, simpliciter de ingressu religionis cogitauit, absque hoc quòd cogitaret de libertate exitus, uel de perpetuitate remanendi: uidetur obligari ad ingressum religionis, secundùm formam iuris communis: quæ est, ut ingredientibus detur annus probationis: unde nō tenetur perpetuò in religione permanere.

ART. V. Vtrum pueri sint recipiendi in religione.

Conclusio. Si puer ante annos pubertatis simplex uotum emittat, antequā habeat plenum usum rationis, non obligatur ex uoto. Si autem habeat usum rationis ante annos pubertatis, obligatur quidem quantum in se est ex suo uoto: tamen potest obligatio remoueri p̄ auctoritate patris, in cuius potestate adhuc existit. Si uerò annos pubertatis excedat, nō potest reuocari auctoritate parentum. Si tamen nondū habet plenū usum rationis, nō obligaretur quò ad Deum. Votū autem solēne, quod facit monachū uel religiosum subditur ordinatiōi Ecclesiæ propter solēnitatē

quam

quam habet annexã. Et quia Ecclesia respicit id quod in pluribus est, confessio ante tẽpus pubertatis facta, quantumcunque aliquis habeat usum rationis plenum uel sit doli capax, non habet suum effectum, ut faciat profitẽtem iam esse religiosum. Et tamen licet ante pubertatis annos profiteri non possint, possunt tamen eum uoluntate parentum in religione recipi, ut nutriantur ibidem.

AR. VI. Vtrum propter obsequium parentum debeant aliqui retrahi ab ingressu religionis.

Conclusio. Parentibus in necessitate existentibus, ita ꝙ eis cõmodè aliter, quàm per obsequiũ filiorum subueniri non possit, non licet filijs, prætermisso parentum obsequio, religionem intrare. Si uerò nõ sint in tali necessitate, ut filiorum obsequio multum indigeant, possunt prætermisso parentum obsequio, filij religionem intrare etiam contra præceptum parentũ quia post annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habet, quantum ad ea quæ pertinent ad dispositionem sui status, præsertim in his quæ sunt diuini obsequij, & magis est obtemperãdum patri spirituũ ut uiuamus, quàm parentibus carnis.

ART. VII. Vtrum presbyte curari possint licitè religionem ingredi.

Cõclusio. Licet archidiaconis & præsbyteris curã deserere animarũ, & ad religionem transire. non aũt Episcopis in consulta sedis Apostolicæ auctoritate.

ART. VIII. Vtrum liceat de una religione transire ad aliam.

Conclusio. Transire de religione ad religionẽ, nisi propter magnam utiltatem uel necessitatem, non est laudabile: tùm quia ex hoc plerunque scandalizantur illi qui relinquũtur: tùm etiam quia facilius proficit aliquis in religione quã cõsueuit, quàm in illa quam

non

non consueuit, cæteris paribus. Potest tamen aliquis laudabiliter de una religione transire ad aliam, 1. uel zelo perfectioris religionis, 2. uel propter declinationem religionis à debita perfectione, 3. uel propter infirmitatem seu debilitatem. Sed in his tribus casibus potest esse differentia. Nam in primo casu debet quidem propter humilitatem licentiam petere, quæ tamen ei negari non potest: dummodo constet illam religionẽ esse arctiorẽ. Si uerò de hoc probabiliter dubitetur, est in hoc superioris iudicium inquirendum. Similiter requiritur superioris iudicium in secundo casu, in tertio uerò casu est necessaria dispensatio.

ART. IX. Vtrum aliquis debeat alios inducere ad religionem intrandam.

Conclusio. Laudabile & admodum meritorium est ex charitate & ueraciter ad religionem aliquos inducere. Qui uerò est obligatus uoto uel iuramento ad ingressum maioris religionis, nõ potest licitè induci ad minorem religionem, nisi ex aliqua speciali causa euidenti, & hoc cum dispensatione superioris.

ART. X. Vtrum sit laudabile, quod aliquis religionem ingrediatur absq; multorum consilio, & diuturna deliberatione præcedenti.

Conclusio. Laudabile est, consilium petere de religionis ingressu, nũ sit ſm se bonus, uel nõ: est aũt opus cõsilio & matura deliberatiõe, nõ an sibi uires sufficiãt implere religionis opa, sed an sit uel infirmus, uel sibi onera sint debitorũ, & q̃ religionẽ ĩgredi debeat.

QVAESTIONVM OMNIVM AC CONCLVSIONVM SECVNdæ Secundæ Partis Summæ Theologicæ S. Thomæ Aquinatis, Finis.

TER-

TERTIA PARS SVMMAE THEOLOGICAE SANCTI THOMAE AQVINATIS, Doctoris Angelici.

QVAESTIO I.

De conuenientia Incarnationis in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTRVM conueniens fuerit Deum incarnari.

CONCLVSIO.

Ipſa natura Dei eſt eſſentia bonitatis. Vnde quicquid pertinet ad rationem boni, conueniens eſt Deo; pertinet autem ad rationem boni, ut ſe alijs communicet. Vnde ad rationem ſummi boni pertinet, quòd ſummo modo ſe creaturæ communicet: quod quidem maximè fit per hoc, ꝙ naturã creatã ſic ſibi coniungit, ut una ꝑſona fiat ex trib⁹, uerbo, anima, & carne.

AR. II. Vtrum neceſſarium fuerit ad reparationem generis humani, uerbum Dei incarnari.

Concluſio. Potuit Deus ex infinitate ſuæ diuinæ potentiæ, alio quàm opere incarnationis humanum genus reparare: ſed ut homo facilius & conuenientius ſuam conſequeretur ſalutem, hoc neceſſarium fuit ut Verbum eius caro fieret.

ART. III. Vtrum ſi homo non peccaſſet, Deus incarnatus fuiſſet.

Concluſio. Cùm in ſacra Scriptura ubique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis aſſignetur, conuenien-

uenientius dicitur. Incarnationis opus ordinatũ esse à Deo in remedium contra peccatum, ita quòd peccato non existente, Incarnatio non fuisset: quamuis potentia Dei ad hoc non limitetur, potuisset enim etiam peccato non existente Deus incarnari.

ART. III. Vtrum principalius Christi incarnatio facta fuerit ad tollendũ peccatũ originale, quã actuale.

Conclusio. Quamuis Deus pro omnibus peccatis uenerit in hunc mundum, principalius tamen uenit ad tollendum originale, quàm actuale peccatũ, quòd peccatum originale (per quod totũ genus humanũ inficitur) est maius peccato actuali, quod est propriũ singularis personæ. Et bonum gentis diuinius & eminentius est, quàm bonum unius.

ART. V. Vtrum conueniens fuerit Deum incarnari ab initio mundi.

Conclusio. Cùm opus Incarnationis principaliter ordinetur ad reparationem humanæ naturæ per peccati abolitionem: non fuit conueniens à principio humani generis ante peccatum Deum incarnatũ fuisset: non enim datur medicina nisi iam infirmis. Sed nec etiam statim post peccatũ. Reliquit enim Deus prius hominem in libertate arbitrij in lege naturali, ut sic uires naturæ suæ cognosceret: ubi cùm deficeret, legem accepit qua data, inualuit morbus, nõ legis, sed naturæ uitio: ut ita cognita sua infirmitate, clamaret ad medicum, & gratiæ quæreret auxilium.

ART. VI. Vtrum incarnatio differri debuerit usque ad finem mundi.

Conclusio. Sicut non decuit diuinam maiestatem à mũdi primordio incarnari, ita nec in fine mũdi. Nã duo sunt Christi aduentus. Primus quidem, ut remittat peccata: secũdus, ut iudicet mundũ. Vnde non debuit aduentũ misericordiæ differre usq; ad finẽ mũdi.

QVAE-

QVAESTIO II.

De modo unionis Verbi incarnati, in duodecim articulos diuisa

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum unio Verbi carnati sit facta in natura.

Conclusio. Accipiendo naturam: secundùm quod significat essentiam, uel quod quid est, siue quidditatem speciei: impossibile est unionem Verbi incarnati esse factam in natura.

ART. II. Vtrum unio Verbi incarnati sit facta in persona.

Conclusio. Quia Verbum habet naturam humanam sibi unitam, non autem ad suam naturam diuinam pertinentem: consequens est, quòd unio sit facta in Verbi persona, non autem in natura.

ART. III. Vtrum unio Verbi incarnati facta sit in supposito uel hypostasi.

Conclusio. Incarnati Verbi unionem factam esse in hypostasi & diuino supposito. credendum est. Hæresis enim est olim ab Ecclesia damnata, dicere quòd in Christo sunt duæ hypostases, uel duo supposita.

ART. IIII. Vtrum persona uel hypostasis Christi post incarnationem sit composita.

Conclusio. Persona siue hypostasis Christi, secundũ illud quod est in se, est omnino simplex, sicut & naturæ Verbi. Sed secundùm rationem personæ uel hypostasis, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura: persona Christi subsistit in duabus naturis. Vnde licet sit ibi unum subsistẽs, est tamẽ ibi alia & alia ratio subsistendi, & sic dicitur persona composita, inquantum unum duobus subsistit.

ART. V. Vtrum sit facta aliqua unio animæ & corporis in Christo.

Con-

Cóclusio. Cùm Christus fuerit eiusdē speciei cum alijs hominibus, necesse est dicere, quòd in Christo fuerit anima corpori vnita, & contrarium est hæreticum: vt pote derogans veritati humanitatis Christi.

ART. VI. Vtrum natura humana fuerit vnita Verbo Dei accidentaliter.

Conclusio. Humana natura Verbo Dei vnita fuit, non accidentaliter, sed per se, & secundum compositionem: quod est secundum subsistentiam, & unam hypostasim Dei & hominis. Nam ea opinio, quæ ponit duas hypostases, & item ea quæ ponit unionem accidentalem, non sunt dicendæ opiniones, sed hæreses in Concilij ab Ecclesia damnatæ. Siquidē ad hoc, quòd non sit unio accidentalis, sufficit quòd sit facta unio secundùm hypostasim, licet non sit facta secundùm naturam.

ART. VII. Vtrum unio naturæ diuinæ & humanæ sit aliquid creatum.

Conclusio. Vnio diuinæ & humanæ naturę est relatio, quę quidem non est in Deo realiter, sed secundū rationem tātùm: in humana autem natura, quæ creatura quædam est, realiter est: & ideo oportet dicere, quòd quiddam creatum.

ART. VIII. Vtrum unio Verbi incarnati sit idē quod sit assumptio.

Conclusio. Prima & principalis differentia inter assumptionem & unionem est, quòd unio importat ipsam relationem; assumptio autem actionem, secundū quàm dicitur aliquid assumens: uel passionem, secū dùm quam dicitur aliquid assumptum. Ex qua etiam plures & ualde manifestæ differentiæ deprehenduntur. Vnde non sunt idem.

ART. IX. Vtrum unio duarum naturarum in Christo sit maxima unionum.

Conclusio. Tametsi ex parte naturarũ, quæ uniuntur, Vnio diuinæ, & humanæ naturæ maxima nõ sit; attamen maxima est ex parte diuinæ personæ, in qua coniungitur, quia unitas diuinæ personæ est maior, quàm quæuis unitas etiam numeralis.

AR. X. Vtrum unio duarum naturarum in Christo sit facta per gratiam.

Conclusio. Facta est diuinæ & humanæ naturæ Vnio in Christo, non quidem secundùm aliquã gratiã habitualem, sed gratuito Dei dono, & uoluntate, & non ex aliquibus præcedentibus meritis.

AR. XI. Vtrum unionem Verbi incarnati aliqua merita præcesserint.

Conclusio. Nõ aliqua Christi merita, uel aliorum, diuinam Verbi unionem præcesserunt, cum ea sit supra omnem beatorum Vnionem, & principiũ omnis meriti: ex congruo tamen meruerunt sancti Patres Incarnationem, desiderando & petendo. Similiter & Beata Virgo dicitur meruisse portare Dominum omnium: non quia meruerit ipsum incarnari: sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis & sanctitatis gradum, ut congruè posset esse mater Dei.

AR. XII. Vtrum gratia unionis fuerit homini Christo naturalis.

Conclusio. Gratia Christi, siue Vnionis, siue habitualis, nõ potest dici naturalis, quasi causata ex principijs humanæ naturæ in Christo: quamuis possit dici naturalis, quasi proueniẽs in naturam humanã Christi causante diuina natura ipsius. Dicitur autem naturalis utraque gratia in Christo, inquantum eam à natiuitate habuit: quia ab initio conceptionis fuit natura humana diuinæ personæ unita, & anima eius fuit munere gratiæ repleta.

QVÆ-

QVAESTIO III.

De modo unionis ex parte personæ assumentis in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum personæ diuinæ conueniat assumere naturā creatam.

Conclusio. In uerbo Assumptionis duo importantur, uidelicet principium actus & terminus: dicitur enim assumere quasi ad se sumere. Persona autē huius sumptionis est principium, quia personæ propriæ cōpetit agere; huiusmodi autē sumptio carnis per actionem diuinā facta est. Similiter etiā persona est huius sumptionis terminus: quia unio facta est in persona, non in natura. Et sic propriissimè competit personæ assumere naturam.

AR. II. Vtrum diuinæ naturæ conueniat assumere.

Conclusio. Esse Assumptionis principium, cōuenit naturæ diuinæ secundum seipsam: quia eius uirtute Assumptio facta est. Sed esse terminum Assumptionis nō cōuenit naturæ diuinę secundum seipsam: sed ratione personæ, in qua consideratur. Et ideo primò quidem & propriissimè persona dicitur assumere: secundario autem potest dici, quod etiam natura assumpsit naturam ad sui personam. Et secundum etiā hunc modum dicitur natura incarnata: non quasi sit incarnem conuersa, sed quia naturam carnis assumpsit.

ART. III. Vtrum abstracta personalitate per intellectum, natura possit assumere.

Conclusio. Abstracta per intellectum (suo modo diuina apprehendentem) personalitate, potest naturą diuina intelligi ut Assumens.

ART. IIII. Vtrum una persona possit sine alia naturā creatam assumere.

Conclusio. Actus assumẽtis procedit ex diuina uirtute quę communis est tribus personis, sed terminus Assumptionis est persona. Et ideo id qđ est actionis in assumptione, commune est tribus personis: sed id qđ pertinet ad rationem termini, conuenit ita uni personæ, quod non alij. Tres enim personæ fecerunt, ut humana natura uniretur uni personæ Filij. Dicitur autem tota natura diuina incarnata: non quia sit incarnata in omnibus personis, sed quia nihil deest de perfectione diuinæ naturæ, personæ incarnatæ.

ART. V. Vtrum quælibet persona diuina potuerit humanam naturam assumere.

Conclusio. Cùm una sit trium personarum potestas, potuit quæuis persona Diuina humanam assumere naturam.

AR. VI. Vtrum plures personæ diuinæ pos sint assumere unam numero naturam.

Conclusio. Nõ est imposſibile personis diuinis, ut duæ uel tres assumant unam naturam humanam; sed tamen imposſibile est, ut assumerent unam hypostasim, seu humanam personã. Est enim talis diuinarum personarum conditio, quòd una earum non excludit aliam à communione eiusdem naturæ, sed solum à communione eiusdem personæ.

ART. VII. Vtrum una persona diuina posſit assumere duas naturas humanas.

Cõclusio. Potest persona diuina præter humanam naturam, quam assumpsit, aliam numero humanam naturam assumere. Nam potentia diuinæ personæ est infinita, nec potest limitari ad aliquid creatum.

ART. VIII. Vtrum fuerit magis conueniens, quod persona Filij assumeret humanam naturam, quã alia persona diuina.

Concluſio. Cùm Verbi Dei ad humanam naturam maxima ſit ſimilitudo; conuenientiſsimum fuit, ex diuinis perſonis ipſum Verbum humanam aſſumere naturam.

QVAESTIO IIII.

De Modo unionis ex parte Naturæ humanæ aſſumptæ, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum natura humana fuerit magis aſſumptibilis à filio Dei, quàm aliqua alia natura.

Concluſio. Cùm humana natura intellectualis exiſtens, apta ſit uerbum Dei per cognitionem & amorem attingere, & originali peccato obnoxia magis reparatione indigeat: ea ſola ex naturis aſſumptibilis à Verbo fuit, idque congruenter, non autem naturaliter.

ART. II. Vtrum filius Dei aſſumpſerit perſonam.

Cõcluſio. Filius Dei nullo modo humanam aſſumpſit perſonam. Nam perſona non præintelligitur in humana natura aſſumptioni, ſed perſona diuina ſua unione impediuit, ne humana natura propriam perſonalitatem haberet.

ART. III. Vtrũ perſona diuina aſſumpſerit hominẽ.

Cõcluſio. Nõ propriè filius Dei hominẽ aſſumpſit cùm hominem aſſumere ſit aſſumere hominem in ſuppoſito exiſtentem. Itaque huiuſmodi locutiones piè ſunt exponendæ, ubicunque à ſacris Doctoribus ponuntur: ut dicamus hominẽ aſſumptum, quia eius natura eſt aſſumpta, & quia aſſumptio terminata eſt ad hoc, ut filius Dei ſit homo.

ART. IIII. Vtrum filius Dei debuerit aſſumere humanam naturam abſtractam ab omnibus indiuiduis.

Concluſio. Inconueniens fuit, filium Dei aſſumere

humanam naturam, uel per se separatim secundùm esse, uel in quocunque intellectu diuino, uel humano habentem esse. Nam filius Dei incarnatus est communis omnium Saluator non communitate generis uel speciei, quæ attribuitur naturæ ab indiuiduis separatæ, sed communitate causæ, prout filius Dei incarnatus, est uniuersalis causa salutis humanæ.

ART. V. Vtrum filius Dei naturam humanam assumere debuerit in omnibus indiuiduis.

Conclusio. Non fuit conueniens, quòd humana natura in omnibus suis suppositis à Verbo assumeretur. Quia præter alias rationes, etiam æquum fuit, quod sicut unum suppositum diuinum est incarnatum: ita unam solam naturam humanam assumeret, ut ex utraque parte unitas inueniatur.

ART. VI. Vtrum conueniens fuerit, quòd filius Dei humanam naturam assumeret ex stirpe Adæ.

Conclusio. Poterat Deus hominem aliunde suscipere, non de genere istius Adæ, qui suo peccato obligauit genus humanum: sed melius iudicauit de ipso, quod uictum fuerat, genere assumere hominē Deus, per quem generis humani uinceret inimicum.

QVAESTIO V.

De modo Vnionis ex parte partium humanæ Naturæ, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum Dei filius assumpserit uerum corpus.

Conclusio. Cùm Christus fuerit uerè homo pro hominum salute mortuus, & à Deo a morte reuocatus: impossibile fuit, uerum non assumpsisse corpus.

ART. II. Vtrum Dei filius debuerit assumere corpus terrenum, scilicet carnem & sanguinem.

Cōclusio. Sicut uerum corpus Christus assumpsit

ita terrenum non celeſte aſſumpſiſſe corpus, credendum eſt. Dicitur tamen Chriſtus de cœlo deſcendiſſe non, quia ipſum, corpus Chriſti ſecundum ſuã ſubſtantiam de cœlo deſcẽderit, ſed quia uirtute cœleſti id eſt, Spiritu ſancto eſt eius corpus formatum.

ART. III. Vtrum filius Dei aſſumpſerit animam.

Concluſio. Sicut Chriſtus aſſumpſit ueram carnem & uerum hominem: animã quoque illũ aſſumpſiſſe, credendum eſt. Caro enim & cæteræ partes hominis per animam ſpeciem ſortiuntur.

AR. IIII. Vtrum filius Dei aſſumpſerit mentem humanam ſiue intellectum.

Concluſio. Cùm corpus proportionetur animæ ſicut materia propriæ formæ, non eſt uerè caro humana, quæ non eſt perfecta anima humana, ſ. rationali. Et ideo ſi Chriſtus animam ſine mente habuiſſet, nõ habuiſſet uerã carnem humanã, ſed beſtialẽ: quia per ſolã mentẽ anima noſtra differt ab anima beſtiali. Vnde ad perficiendam mentem humanam neceſſarium fuit, quòd eam ſibi uerbum Dei uniuerit.

QVAESTIO VI.

De modo Aſſumptionis quantum ad ordinem in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum filius Dei aſſumpſerit carnẽ mediãte anima.

Concluſio. Si attendamus gradum dignitatis, anima media inuenitur inter Deum & carnem, & ſecundùm hoc poteſt dici, quòd filius Dei uniuit ſibi carnem mediante anima Sed & ſecundùm ordinem cauſalitatis ipſa anima eſt aliqualiter cauſa carnis uniendæ filio Dei: non enim eſſet aſſumptibilis, niſi per ordinem quem habet ad animam rationalem, ſecundùm quem habet quòd ſit caro humana.

ART. II. Vtrum Dei filius assumpserit animam mediante spiritu sine mente.

Conclusio. Sicut filius Dei carnē assumpsit anima mediante: ita animam assumpsisse mediante mente & intellectu, credendum est. Etsi autem intellectus non sit aliud ab anima secundùm essentiam, distinguitur tamen ab alijs partibus animæ secundùm rationem potentiæ. Et secundùm hoc competit sibi ratio medij. etiam anima inter quam & Dei uerbum ponitur medium intellectus, non accipitur pro essentia animæ, quæ est omnibus potentijs communis: sed pro potentijs inferioribus, quæ sunt oī animæ cōmunes.

ART. III. Vtrum anima à Dei filio prius fuerit assumpta quàm caro.

Conclusio. Quanquam Dei Filius animā prius naturæ ordine assumpserit, quàm carnem: tempore tamē nō prius, anima fuit creata, nec assumpta, quàm caro, quæ est concepta in utero Virginis.

AR. IIII. Vtrum caro Christi fuerit priùs à Verbo assumpta, quàm animæ unita.

Conclusio. Sicut anima non prius fuit à Verbo assumpta, quàm caro; ita nec caro priùs fuit assumpta, quàm animæ unita. Et licet ante aduentum animæ, caro non sit caro humana, sed dispositio ad carnem humanam: in conceptione tamen Christi, Spiritus sanctus, qui est agens infinitæ uirtutis, simul & materiam disposuit, & ad perfectum perduxit.

AR. V. Vtrum tota humana natura sit assumpta mediantibus partibus.

Cōclusio. Sic uerbum Dei partes humanæ naturæ mediante toto assumpsisse dicitur, quòd quemadmodum corpus assumpsit, ut ad animam ordinatur: ita assumpsisse animam & corpus dicatur, ut ordinantur

ad totum, id eſt, ad naturam humanam.

ART. VI. Vtrum humana natura ſit aſſumpta mediante gratia.

Concluſio. Gratia non poteſt intelligi ut medium in aſſumptione humanæ naturæ, ſiue loquamur de gratia unionis, ſiue de gratia habituali. Si uerò intelligatur gratia, uoluntas Dei, aliquid gratis faciẽs uel donans; ſic unio facta eſt per gratiam, non ſicut per medium, ſed ſicut per cauſam efficientem.

QVAESTIO VII.

De Gratia Chriſti, ut quidam ſingularis eſt homo, in tredecim articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum in anima Chriſti ſit aliqua gratia habitualis.

Concluſio. Neceſſarium fuit in Chriſto habitualẽ gratiam fuiſſe, cùm fuerit anima eius Verbo unita, & per ipſum in alios gratia effluat.

ART. II. Vtrum in Chriſto fuerint uirtutes.

Concluſio. Cùm gratia Chriſti fuerit perfectiſsima, conſequens eſt, quòd ex ipſa proceſſerint uirtutes ad perficiendum ſingulas potentias animę, quantum ad omnes animæ actus. Et ita Chriſtus habuit omnes uirtutes.

ART. III. Vtrum in Chriſto fuerit fides.

Concluſio. Chriſtus à primo inſtanti ſuæ conceptionis plenè uidit Deum per eſſentiam. Vnde in eo fides eſſe non potuit.

ART. IIII. Vtrum in Chriſto fuerit ſpes.

Concluſio. Chriſtus à principio ſuæ conceptionis plenè habuit fruitionem diuinam, & ideo uirtutem ſpei non habuit. Habuit tamen ſpem reſpectu aliquorum, quæ nondum erat adeptus: licet non habuerit fidem reſpectu quorumcunque: quia licet plenè co-

gnoſceret omnia, per quod totaliter fides excludebatur ab eo: non tamen adhuc plenè habebat omnia, quæ ad eius perfectionem pertinebant, puta immortalitatem & gloriam corporis, quam poterat ſperare.

AR. V. Vtrum in Chriſto fuerint dona.

Concluſio. Cùm Chriſtus perfectiſsimè à Spiritu ſancto mouetur, in ipſo quoque excellentiſsimè Spiritusſancti dona fuerunt.

ART. VI. Vtrum in Chriſto fuerit donum timoris.

Concluſio. Quanquã in Chriſto nullus fuerit culpæ, uel pœnæ timor: fuit tamẽ in illo præ cæteris hominibus timor, quo diuinã reuerebatur maieſtatem. Hũc enim affectũ reuerẽtiæ ad Deũ, Chriſtus ſecũdũ quòd homo, præ cæteris habuit pleniorem. Et ideo ei attribuit Scriptura plenitudinem timoris Domini.

AR VII. Vtrum in Chriſto fuerint gratiæ gratis datæ.

Concluſio. In Chriſto excellentiſsimè fuerunt omnes gratiæ gratis datæ, ſicut in primo & principali fidei Doctore. Sed in alijs Sanctis huiuſmodi gratiæ diuiduntur, non autem in Chriſto cui etiam competit habere gratiam ſecundùm humanam naturam.

ART. VIII. Vtrum in Chriſto fuerit prophetia.

Concluſio. Chriſtus ante paſsionem noſtrum ſtatũ attingebat: inquantum non ſolum erat comprehenſor, ſed etiam uiator. Et ideo propheticum erat, quòd ea, quæ erant procul ab aliorum uiatorum notitia, & cognoſcebat & annuntiabat. Et hac ratione dicitur in eo fuiſſe prophetia.

ART. IX. Vtrum in Chriſto fuerit plenitudo gratiæ.

Concluſio. Cùm anima Chriſti à principio ſuæ cõceptionis fuerit diuinitati unita, & uniuerſale principium fuerit omnium habentium gratiam: in ea fuiſſe plenitudinem omnium gratiarum neceſſarium fuit: iuxta tamen capacitatem creaturæ, cùm & anima

Christi sit creatura: non autem per comparationem ad plenitudinem infinitam bonitatis diuinæ.

AR. X. Vtrum plenitudo gratiæ sit propria Christo.

Conclusio. Ex parte ipsius gratiæ dicitur esse plenitudo, ex eo quòd aliquis habet gratiam & in maxima excellẽtia, qua potest haberi, & in maxima extẽsione ad omnes gratiæ effectus. & talis gratiæ plenitudo est ꝓpria Christo. Ex parte uerò subiecti dicitur gratiæ plenitudo, quando quis habet plenè gratiã secundũ suam conditionem, siue secundũ intẽsionem prout in eo est intensa gratia usq; ad terminũ præfixũ ei à Deo siue etiã secũdùm uirtutẽ, inquantũ habet facultatẽ gratiæ ad omnia quæ pertinent ad suum officiũ siue statum. Et talis gratiæ plenitudo non est propria Christo, sed communicatur alijs per Christum. Sicut beata Virgo dicta est plena gratia. Et similiter Stephanus dicitur plenus gratia. Harum tamẽ plenitudinum una est plenior altera, secundùm quòd aliquis est diuinitus præordinatus ad altiorem, uel inferiorem statum.

ART. XI. Vtrum Christi gratia sit infinita.

Cõclusio. Gratia unionis in Christo fuit infinita, secũdũ quòd ipsa persona Verbi est infinita: gratia uerò habitualis, ut ens quoddam fuit in anima eius, finitum quiddã fuit: quatenus anima Christi est creatura quædã habens capacitatẽ finitã. Sed tamen gratia Christi potest dici ĩfinita, eo quòd nõ limitatur, quia scilicet habet quicquid potest ꝑtinere ad rationẽ gratiæ: & non datur ei secundũ aliquã certam mẽsurã id, quod ad rationem gratiæ pertinet: eo quòd secundũ propositũ Dei, cuius est gratiã mensurare, gratia confertur animæ Christi sicut cuidã uniuersali principio gratificationis in humana natura. Sicut dicamꝰ lucẽ solis esse infinitam: non quidem secundùm suum esse, sed secundùm rationem lucis quia habet quicquid

quid ad rationem lucis pertinere poteſt.

ART. XII. Vtrum gratia Chriſti potuerit augeri.

Concluſio. Finis gratiæ eſt unio creaturæ rationalis ad Deũ: non poteſt autem eſſe, nec intelligi maior unio creaturæ rationalis ad Deum, quàm quæ eſt in perſona, & ideo gratia Chriſti pertingit ad ſummam menſuram gratiæ. Sic igitur gratia Chriſti non poteſt augeri ex parte ipſius gratiæ. Sed nec etiam ex parte ſubiecti: quia Chriſtus, ſecundùm quòd homo, à primo inſtanti ſuæ cõceptionis fuit uerus & plenus cõprehenſor. Vnde in eo non potuit eſſe gratiæ augmẽtum, ſicut nec in alijs Beatis: quorum gratia augeri non poteſt, eò quòd ſunt in termino. Attamen ſecundùm effectus gratiæ, inquantum aliquis ſapientiora & uirtuoſiora opera facit: Chriſtus proficiebat ſapientia & gratia, ſicut & ætate: ut ſe uerum hominem demonſtraret, & in his quæ ſunt ad Deum, & in his quę ſunt ad homines.

ART. XIII. Vtrum gratia Chriſti habitualis ſubſequatur unionem.

Concluſio. Vnio humanæ naturæ ad diuinam perſonam (quam diximus eſſe ipſam gratiam unionis) præcedit gratiam habitualem in Chriſto: non ordine temporis, ſed naturæ & intellectus, ſicut quædam proprietas naturalis.

QVAESTIO VIII.

De Gratia Chriſti, ſecundùm quod eſt caput Eccleſiæ, in octo articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum Chriſtus ſit caput Eccleſiæ.

Concluſio. Sicut tota Eccleſia dicitur unum corpus myſticũ per ſimilitudinẽ ad naturale corpus hominis, quod ſecũdùm diuerſa mẽbra habet diuerſos

actus

ctus: ita Christus dicitur caput Ecclesiæ secundum similitudinem humani capitis. Et sicut cordi comparatur Spiritussanctus qui inuisibiliter Ecclesiam uiuificat & unit: ita capiti comparatur ipse Christus secundum uisibilem naturam, secundum quam homo hominibus præfertur.

ART. II. Vtrum Christus sit caput hominum, quantum ad corpora, uel solum quantum ad animas.

Conclusio. Tota Christi humanitas secundum scilicet animam & corpus influit in homines, & quantum ad animâm, & quantum ad corpus: sed principaliter quantum ad animam, secundario quantum ad corpus.

AR. III. Vtrum Christus sit caput omnium hominũ.

Conclusio. Generaliter secundum totum tẽpus mũdi, Christus est caput omnium hominum: sed secundum diuersos gradus. Primo enim & principaliter est caput eorum qui actu uniuntur sibi per gloriam: 2. eorum, qui actu uniuntur sibi per charitatem: 3. eorum, qui actu uniũtur sibi per fidem: 4. eorum qui sibi uniũtur solum in potentia nondũ reducta ad actum, quę tamen est ad actum reducenda secundum diuinam prędestinationem: 5. eorum qui in potentia sunt sibi uniti, qui nunquam reducetur ad actum: sicut homines in hoc mũdo uiuentes, qui non sunt prædestinati, qui tamen ex hoc seculo recedentes totaliter desinunt esse membra Christi: quia iam nec sunt in potentia, ut Christo uniantur.

ART. IIII. Vtrum Christus sit caput Angelorum.

Conclusio. Corpus Ecclesiæ mysticum, non solum consistit ex hominibus, sed etiam ex Angelis. Totius autem huius multitudinis Christus est caput: & de eius influentia non solum homines recipiunt, sed etiam Angeli.

ART.V. Vtrũ gratia ſit eadem, qua Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, cum gratia ſingulari illius hominis.

Concluſio. Eadem eſt ſecundum eſſentiam gratia perſonalis, qua anima Chriſti eſt iuſtificata, & gratia eius ſecundum quam eſt caput Eccleſiæ, iuſtificans alios: differt tamen ſola ratione.

AR.VI. Vtrũ eſſe caput Eccleſiæ ſit propriũ Chriſto.

Concluſio. Eſſe caput Eccleſiæ ſm interiorẽ influxũ, propriũ eſt Chriſto, cuius humanitas ex hoc, ꝙ eſt diuinitati cõiuncta, habet uirtutẽ iuſtificandi. Sed influxus in mẽbra Eccleſiæ, quantũ ad exteriorẽ gubernationẽ poteſt aliis conuenire. Et ſm hoc aliqui alij poſſunt dici capita Eccleſiæ: ſm illud Amos 6. Obtimates capita populorũ. Differenter tamen à Chriſto: primò quidem quantũ ad hoc, ꝙ Chriſtus eſt caput omniũ eorum, qui ad Eccleſiam pertinent, ſm omnẽ locum & tempus & ſtatũ: alii autem homines dicuntur capita, ſecundum quædam ſpecialia loca, ſicut Epiſcopi ſuarum Eccleſiarum: uel etiam ſecundũ determinatum tempus, ſicut Papa eſt caput totius Eccleſię ſcilicet tempore ſui pontificatus: & ſecundum determinatum ſtatum prout ſcilicet ſunt in ſtatu uiatoris. Deinde etiam quia Chriſtus eſt caput Eccleſiæ propria uirtute & auctoritate. Alii uerò dicuntur capita inquantum uicem gerunt Chriſti: ſecundũ illud, 2. ad Corinth. 2. Nam & ego quod donaui ſi quid donaui, propter uos in perſona Chriſti, & ſecundum illud ſecũdæ ad Corinth. 5. Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.

AR.VII. Vtrum diabolus ſit caput omnium malorũ.

Concluſio. Diabolus caput eſt omnium malorum, quantũ ad ſolã exteriorẽ gubernàtionẽ. Nã ut dicitur. Iob 41. ipſe eſt Rex ſuper uniuerſos filios ſuperbiæ.

ART.VIII. Vtrum Antichriſtus poſſit etiam dici ca-

put

put omnium malorum.

Concluſio. Antichriſtus omniū malorum hominū caput eſt. non quidem ſecundùm ordinem temporis, nec uirtutem influendi: ſed propter malitiæ perfectionem quia in ipſo erit caput omniū malorum, ſcilicet diabolus: nō per unionem perſonalem, nec per intrinſecam inhabitationem, ſed per malitiæ effectum.

QVAESTIO IX

De ſcientia Chriſti in communi, in quatuor articulos diuiſa

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrū Chriſtus habuerit aliquā ſciētiā prçter diuinā.

Concluſio. Neceſſarium fuit, in Chriſto fuiſſe aliquam ſcientiā creatam. Nihil enim naturaliū Chriſto defuit: quia totam humanam naturam ſuſcepit. Et ideo in ſexta Synodo damnata eſt poſitio negantium in Chriſto eſſe duas ſcientias, uel duas ſapientias.

ART. II. Vtrum Chriſtus habuerit ſcientiam, quam habent Beati uel comprehenſores.

Concluſio. Cùm homines per Chriſti humanitatē ad beatitudinis finē perducantur, oportuit beatā cognitionem, quæ in Dei uiſione conſiſtit, excellentiſſimè homini Chriſto conuenire: quia ſemper cauſam oportet eſſe potiorem cauſato.

ART. III. Vtrum Chriſtus habuerit ſcientiam inditā ſeu infuſam.

Concluſio. Præter diuinam & increatam ſciētiam quæ fuit in Chriſto, neceſſarium fuit eſſe ſcientiam inditam, ſeu infuſam animæ eius, qua omnia ſibi nota fierent, ut ſunt in propria natura per ſpecies intelligibiles intellectui proportionatas.

ART. IIII. Vtrum Chriſtus habuerit aliquam ſcientiam acquiſitam.

Conclusio. Præter scientiam inditam uel infusam animæ Christi, fuit ulterius in illo sciētia acquisita lumine naturali intellectus agentis per abstractionem scilicet à phantasmatibus.

QVAESTIO X.

De scientia beata animæ Christi, in qua tuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum anima Christi comprehenderit uerbum, siue diuinam naturam.

Conc. Sic facta est unio naturarū in p̄sona Christi q̄ tñ proprietas utriusq; naturæ incōfusa permāserit ita scilicet ꝙ increatū māserit increatū, & creatū māserit infra limites creaturæ. Est aūt imposibile ꝙ aliqua creatura cōprehendat diuinā essētiā, eò ꝙ infinitū nō cōprehendit à finito. Et ideo anima Christi nullo modo cōprehēdit diuinā essentiā. Nā licet anima Christi totā Dei essentiā uidet, nō tñ eā cōprehendit: quia nō totaliter eā uidet, id est, nō ita perfectè sicut uisibilis est. Veruntamen propter identitatē suppositi, uerè potest dici, ꝙ filius hominis est cōprehensor diuinæ essentiæ: non quidem ſm animam, sed secūdū diuinam naturam. Per quem etiam modum potest dici, quod filius hominis est creator.

ART. II. Vtrū aīma Christi in uerbo cognouerit oīa.

Cōclusio. Anima Christi omnia nouit in uerbo propriè, quæ quocunque modo sunt, fuerunt, uel erunt, & quæcunque sunt in potentia creaturæ: non tamen omnia in eo cognouit, quæ sunt in potentia Dei creātis. Hoc enim esset comprehendere omnia, quæ Deus potest facere: quod esset comprehendere diuinam uirtutem: & per consequens diuinam essentiam. Dicitur autem nescire diem & horam iudicij, quia non facit

scire

ſcire. Interrogatus enim ſuper hoc ab Apoſtolis Act. 1. hoc eis noluit reuelare. Dicitur aũt Pater ſcire: quia huiuſmodi cognitionẽ tradidit Filio. Vnde in hoc ipſo, ꝙ dicitur, Niſi Pater, datur intelligi, ꝙ Filius cognoſcit, & non ſolùm quantũ ad diuinam naturã, ſed etiam quantum ad humanam: quia ut Chryſoſt. argumentatur, ſi Chriſto homini datum eſt, ut ſciat, qualiter oporteat iudicare, quod eſt maius: multò magis datum eſt ei ſcire quod minus eſt, ſcilicet tempus iudicij. Origenes tamen hoc exponit de Chriſto ſecũdùm corpus eius, quod eſt Eccleſia, quæ hoc tempus ignorat. Quidam autem dicunt, hoc eſſe intelligendũ de filio Dei adoptiuo, non de filio naturali.

AR. III. Vtrum anima Chriſti in uerbo cognouerit infinita.

Cõcluſio. Anima Chriſti in Verbo ſcit infinita: ſcit enim omnia quæ ſunt impotentia creaturæ. Vnde cũ in potentia creaturæ ſint infinita, per hunc modum ſcit infinita, quaſi quadam ſcientia ſimplicis intelligẽtiæ, non autem ſcientia uiſionis.

AR. IIII. Vtrum anima Chriſti uideat uerbum ſiue Diuinam eſſentiam clariùs qualibet alia creatura.

Concluſio. Anima Chriſti, cùm perfectiſsimè coniuncta fuerit Verbo Dei, cæteris quoque creaturis diuinam eſſentiam perfectius & clarius intuetur.

QVAESTIO XI.

De ſcientia indita, uel infuſa animæ Chriſti, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum ſecundùm ſcientiam inditam ſeu infuſam Chriſtus omnia ſciat.

Concluſio. Secundùm ſcientiam diuinitus inditã, anima Chriſti primò quidem cognouit quæcunque

ab homine cognosci possunt per uirtutem luminis intellectus agentis: sicut sunt quæcunque pertinent ad scientias humanas. Secundo uerò omnia illa, quæ per reuelationē diuinā hominibus innotescunt: siue pertineant ad donum sapientiæ, siue prophetiæ, siue ad quodcunque donum Spiritussancti. Omnia enim ista abundantius & plenius cæteris cognouit anima Christi. Ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non cognouit; sed solum per primam.

AR. II. Vtrum Christus hac scientia uti potuerit, non conuertendo se ad phantasmata.

Conclusio. Cùm Christus fuerit uiator & comprehensor, per scientiam inditam potuit intelligere, nō per conuersionem ad phantasmata. Nā animæ beatæ & ante resurrectionem & post intelligere possunt absque conuersione ad phantasmata.

AR. III. Vtrum hæc scientia fuerit collatiua.

Conclusio. Scientia discursiua uel collatiua, quantum ad scientiæ acquisitionem, animæ Christi, non fuit: quia hæc scientia fuit sibi diuinitus indita; non per inuestigationem rationis acquisita. Sed quantum ad usum, sicut interdum scientes, ex causis concludunt effectus, nō ut de nouo addiscant, sed uolentes uti scientia, quā iā habent: scientia animæ Christi poterat esse collatiua & discursiua: poterat enim ex uno aliud concludere sicut sibi placebat. Sic etiā à Christo excluditur consilium, non autem usus consiliandi.

AR. IIII. Vtrum hæc scientia in Christo fuerit maior scientia Angelorum.

Conclusio. Scientia infusa animæ Christi longè nobilior fuit secundùm comparationē ad Deū influētē, quàm scientia Angelorum: secundùm uerò modum subiecti recipientis, inferior fuit Angelorum sciētia.

AR. V. Vtrum hæc scientia fuerit habitualis.

Con-

Concluſio. Cum ſcientia Chriſti fuerit unius rationis cum ſcientia noſtra, & ea uti potuerit cùm uolebat, neceſſario fuit habitualis.

ART. VI. Vtrum hæc ſcientia fuerit diſtincta per diuerſos habitus.

Concluſio. Scientia indita animæ Chriſti diſtincta fuit in diuerſos habitus, ſecundùm uaria ſcibilium genera iuxta modum connaturalem animæ humanæ.

QVAESTIO XII.

De ſcientia animæ Chriſti acquiſita, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrũ ſm hanc ſciẽtiam Chriſtus cognouerit omnia.

Concluſio. Sicut per ſcientiam inditam ſciuit anima Chriſti omnia illa ad quæ ĩtellectus posſibilis eſt quocunque modo in potentia: ita per ſcientiam acquiſitam ſciuit omnia illa quę poſſunt ſciri per actionẽ intellectus agentis. Et licet Chriſtus non fuerit omnia expertus: ex his tamen, quę expertus eſt, in omniũ deuenit notitiam.

ART. II. Vtrum Chriſtus in hac ſcientia profecerit.

Concluſio. Profecit Chriſtus in ſcientia & gratia ſicut ætate, non quidem eſſentialiter, ſed effectiuè ſiue ſignificatiuè, & ſecundum experientiam, ſiue ſapientiam humanam, quæ humano modo acquiritur, ſcilicet per lumen intellectus agentis. Et ideo ſecundum hanc ſcientiam Chriſtus nõ à principio ſciuit omnia ſed paulatim, & poſt aliquod tempus, ſcilicet in perfecta ætate.

AR. III. Vtrũ Chriſtus aliquid ab homine didicerit.

Concluſio. Cum Chriſtus conſtitutus à Deo fuerit Caput Eccleſiæ & omniũ hominũ doctor, nõ fuit cõueniẽs eius dignitati, ut à quocũq; hoĩe doceretur.

AR.IIII. Vtrũ Christus aliq̃d acceperit ab Angelis.

Cõclusio. Vtroquę modo anima Christi fuit perfecta,& ex sensibilibus secũdum scientiã experimentalẽ,ad quam non requiritur lumẽ Angelicũ,sed sufficit lumẽ intellectus agentis:& ex impressione superiori ẜm scientiã infusam,quã est immediatè adeptus à Deo.Sicut,n. supra cõmunẽ modũ creaturæ,anima illa unita ęst Verbo in unitate personæ: ita supra communẽ modũ hominum immediatè ab ipso Dei Verbo repleta est scientia & gratia,Non autem medianti bus Angelis,qui etiam ex influentia Verbi rerũ scientiam in sui principio acceperunt.

QVAESTIO XIII

De Potentia animæ Christi,in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam.

Conclusio.Cùm anima Christi sit pars humanę naturæ,impossibile est,quòd omnipotentiam habeat.

ART.II Vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Conclusio.Anima Christi secundùm propriam naturam & uirtutem,siue naturalem,siue gratuitã, potentiam habuit ad illos effectus faciẽdos,quæ sunt animæ conuenientes:puta ad gubernãdum corpus,&c. Secundum uerò quòd est instrumentũ Verbi sibi uniti,sic habuit instrumentalẽ uirtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas , ordinabiles ad incarnationis finem : qui est instaurare omnia,siue quæ in cœlis,siue quæ interris sunt. Immutationes uerò creaturarum,secundùm quòd sunt uertibiles in nihil correspondent creationi rerum:prout scilicet producũtur ex nihilo. Et ideo sicut solus Deus põt creare : ita solus

ità solus potest creaturas in nihilū redigere: quia etiā solus eas in esse conseruat, ne in nihilum decidāt. Sic ergo anima Christi non habet omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

ART. III. Vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprij corporis.

Conclusio. Anima Christi secundùm propriam naturam & uirtutem; sicut non poterat immutare exteriora corpora à cursu & ordine naturæ, ita etiā non poterat immutare proprium corpus à naturali dispositione: quia anima, secundùm propriam naturam, habet determinatam proportionem ad suum corpus: secundùm uerò quod est instrumētum unitum uerbo Dei in persona, subdebatur eius potestati totaliter omnis dispositio proprij corporis. Quia tamen uirtus actionis non propriè attribuitur instrumento, sed principali agenti, talis omnipotentia magis attribuitur ipsi Verbo Dei, quàm animæ Christi.

ART. IIII. Vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu exequutionis suæ uoluntatis.

Conclusio. Anima Christi quicquid uoluit per seipsum exequendum, potuit: quicquid aūt uoluit efficiendū diuina uirtute, nō nisi instrumētaliter potuit.

QVAESTIO XIIII.

De defectibus corporis assumptis à filio Dei, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum filius Dei in humana natura assumere debuerit corporis defectus.

Conclusio. Conueniens fuit, corpus assumptum à filio Dei humanis infirmitatibus & defectibus subiacere. & præuipuè, propter tria. Primò quidem, quantum ad finem Incarnationis, quòd huiusmodi pœna

litates in nostra natura susciperet uice nostra. Secūdò, propter fidem Incarnationis astruēdam, quia sine his defectibus filius Dei uideretur nō fuisse uerus homo, nec ueram carnem habuisse, sed phantasticā. Tertiò propter exemplum patientiæ, quod nobis exhibet, passiones & defectus humanos fortiter tolerando.

ART. II. Vtrum Christus necessitatem his defectibus subiacendi assumpserit.

Conclusio. Secūdū necessitatē, quæ cōsequitur materiā, corpus Christi subiectum fuit necessitati mortis & aliorū huiusmodi defectuū: quia hæc necessitas causatur ex principijs carnis humanæ. Si autē loquamur de necessitate coactionis, secundùm ꝙ repugnat naturæ corporali: sic, iterum corpus Christi secū dū conditionē propriæ naturæ necessitati subiacuit & claui perforātis, & flagelli ꝑcutiētis. Secūdū uero ꝙ necessitas talis repugnat uolūtati: in Christo non fuit necessitas horū defectuū, neq; ꝑ respectū ad diuinā uolūtatē, neq; ad uolūtatē humanā Christi absolutè, prout sequitur rationē deliberātē, sed solū secūdùm naturalē motū uoluntatis, prout scilicet naturaliter refugit mortem, & etiam corporis nocumenta:

ART. III. Vtrum Christus defectus corporales contraxerit.

Conclusio. Christus nō aliquo peccati debito, nec sicut alij corporales defectus contraxit, sed illos propria uoluntate suscepit. Accepit enim naturam humanam absque peccato, in illa puritate, in qua erat in statu innocentiæ: & simili modo potuisset assumere humanam naturam absque defectibus.

ART. III. Vtrum Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit.

Conclusio. Christus defectus humanos assumpsit, ad satisfaciendū pro peccato humanæ naturæ, ad ꝙ require-

requirebatur, quòd haberet perfectionem ſciẽtiæ & gratiæ in anima: illos ergo defectus Chriſtus aſſumere debuit, qui cõſequũtur ex peccato cõmuni totius naturæ, nec tamen repugnant perfectioni ſcientiæ & gratiæ. Sic igitur non fuit conueniens, ut omnes defectus ſeu infirmitates humanas aſſumeret.

QVAESTIO XV.

De defectibus animæ à Chriſto aſſumptis, in decem articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum in Chriſto fuerit peccatum.

Cõcluſio. Chriſtus ſuſcepit defectus noſtros, ut ꝓ nobis ſatisfaceret, & ut ueritatem humanæ naturæ comprobaret, & ut nobis fieret exẽplum uirtutis. Secundùm quæ tria nullo modo aſſumere debuit defectum peccati, nec originalis, nec actualis.

ART. II. Vtrum in Chriſto fuerit fomes peccati.

Concluſio. Cùm in Chriſto fuerit uirtus ſecundũ perfectiſsimum gradum: conſequens eſt, quòd in eo fomes peccati non fuerit, cùm etiam iſte defectus nõ ſit ordinabilis ad ſatisfaciendum, ſed potius inclinet ad contrarium ſatisfactionis.

AR. III. Vtrum in Chriſto fuerit ignorantia.

Cõcluſio. Sicut in Chriſto plenitudo gratiæ & uirtutis excludit fomitẽ peccati, ita plenitudo ſcientiæ excludit ignorantiam, quæ ſcientiæ opponitur.

AR. IIII. Vtrum anima Chriſti fuerit paſsibilis.

Concluſio. Anima Chriſti paſsibilis fuit corporali paſsione, animali etiam, quòd in illo appetitus ſenſitiui affectiones fuerunt, quæ magis propaſsiones quàm paſsiones appellari dignæ ſunt. Nam huiuſmodi paſsiones aliter fuerunt in Chriſto, quàm in nobis, quantũ ad tria. 1. Quia in nobis plerũque huiuſmodi

pasſiones feruntur ad illicita: quod in Chriſto non fuit, 2. quia frequenter in nobis præueniunt iudiciũ rationis: ſed in Chriſto omnes motus ſenſitiui appetitus oriebantur ſecundùm diſpoſitionem rationis, 3. quia in nobis quandoque huiuſmodi motus non ſiſtunt in appetitu ſenſitiuo, ſed trahunt rationem: quod in Chriſto non fuit: quia motus naturaliter humanę carni conuenientes, ſic ex eius diſpoſitione in appetitu ſenſitiuo manebant, quòd ratio ex his nullo modo impediebatur facere quæ conueniebant. Eſt autem paſſio perfecta, quãdo rationi dominatur: propaſſio autem, quando eſt inchoata in appetitu ſenſitiuo, ſed ulterius non ſe extendit.

AR. V. Vtrum in Chriſto fuerit dolor ſenſibilis.

Concluſio. Cũ Chriſti corpus paſſibile & mortale fuerit, animaque eius habuerit omnes ſuas naturales potentias perfectas: in illo etiam proculdubio uerus dolor fuit.

AR. VI. Vtrum in Chriſto fuerit triſtitia.

Concluſio. Cùm anima Chriſti potuerit interius aliquid apprehẽdere, ut nociuum: ſicut in illo potuit uerus eſſe dolor, ita & potuit in eo eſſe uera triſtitia. Alio tamen modo quàm in nobis, ſecundùm illa tria q̃ ſuprà aſſignata ſunt de paſſionibus animæ Chriſti.

AR. VII. Vtrum in Chriſto fuerit timor.

Concluſio. Fuit quidem timor in Chriſto reſpectu imminentis futuri mali, non autem, quò ad euentus incertitudinem: neque etiam niſi ſolùm ſecundùm propaſſionem.

AR. VIII. Vtrum in Chriſto fuerit admiratio.

Concluſio. Cum Chriſto ſecundum diuinam infuſam ſcientiam, nihil nouum fuerit: non potuit in illo aliqua admiratio eſſe, niſi ſecundum ſcientiam experimentalem, ſecundum quam ſibi poterant quotidie

aliqua

aliqua noua occurrere. Omnes autem tales motus eius non perturbari animi ſigna ſunt, ſed docentis magiſterium.

ART. IX. Vtrum in Chriſto fuerit ira.

Concluſio. Cùm in Chriſto fuerit triſtitia & uindictæ appetitus, non contra, uel præter rationis ordinē: impoſsibile fuit, in eo eſſe iram per uitium, ſed per zelum diuini honoris.

ART. X. Vtrum Chriſtus ſimul fuerit uiator & comprehenſor

Concluſio. Chriſtus ſimul erat comprehenſor, inquantum habebat beatitudinem propriam animæ: & ſimul uiator, inquantum tendebat in beatitudinem, ſecundùm id quod ei de beatitudine deerat.

QVAESTIO XVI.

De conſequentibus Vnionem quãtum ad ea, quæ conueniunt Chriſto quantum ad eſſe & fieri, in duodecim articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum hæc ſit uera, Deus eſt homo.

Concluſio. Supponendo ſecundùm ueritatem Catholicæ fidei, quòd uera natura diuina unita eſt cum uera natura humana, nō ſolum in perſona, ſed etiam in ſuppoſito uel hypoſtaſi: dicimus hanc propoſitionē eſſe ueram & propriam, Deus eſt homo, non ſolum propter ueritatem terminorū (quia ſcilicet Chriſtus eſt uerus Deus, & uerus homo) ſed etiam propter ueritatem prædicationis.

ART. II. Vtrum hæc ſit uera, Homo eſt Deus.

Concluſio. Suppoſita ueritate utriuſque naturæ, diuinæ ſcilicet, & humanæ, & unione in perſona & hypoſtaſi: hæc eſt uera & propria, Homo eſt Deus, ſicut & iſta, Deus eſt homo.

ART. III. Vtrum Christus possit dici homo dominicus.

Cōclusio. De persona filij Dei prædicatur Deus & Dominus essentialiter, & ideo non debet prædicari denominatiuè; quia hoc derogat ueritati unionis. Vnde cùm dominicus dicatur denominatiuè à domino, nō potest uerè & ꝓpriè dici, quòd homo ille sit dominicus, sed magis quod sit dominus. Potest tamen caro eius dici caro dominica, & passio eiꝰ passio dominica.

ART. IIII. Vtrum ea quæ conueniunt filio hominis, possint prædicari de filio Dei, & econuerso.

Conclusio. Quæcunque filio hominis conueniunt, conuenire & prædicari possunt de filio Dei, quia cū sit eadem hypostasis utriusque naturæ, eadem etiam hypostasis supponitur nomine utriusque naturæ. At tamen ea quæ sunt diuinæ naturæ, prædicantur de Christo secundùm diuinam naturam: ea autem quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de eo secundùm humanam naturam. Et hoc modo opposita prædicantur de Christo, non secundùm idem, sed secundùm diuersas naturas.

ART. V. Vtrum ea, quæ sunt humanæ naturæ, possint dici de natura diuina.

Conclusio. In mysterio Incarnationis nō est eadem natura diuina & humana, sed eadem est hypostasis utriusq; naturæ: & ideo ea, quæ sunt unius naturæ nō possunt de alia prædicari, secundū quod in abstracto significatur. Nomina uerò cōcreta supponūt hypòstasim naturæ: & ideo indifferēter prædicari possunt ea, quæ ad utrāq; naturā pertinēt, de nominibus cōcretis: sicut dicimus quòd filius Dei est genitus, nō tamē quòd natura diuina sit genita. Et similiter quòd filius Dei passus est, nō autem quod diuina natura sit passa.

ART. VI. Vtrum hæc sit uera, Deus factus est homo.

Con-

Conclusio. Hæc propositio est uera, Deus factus est homo, eò quòd non conuenit Deo esse hominem ab æterno, sed ex tempore per assumptionem humanæ naturæ. In quo non intelligitur aliqua mutatio ex parte Dei, sed solum ex parte humanæ naturæ.

ART. VII. Vtrum hæc sit uera, Homo factus est Deus.

Conclusio. Tametsi, hæc est uera, Deus est factus homo: hæc tamē, Homo factus est Deus falsa est, propriè loquēdo: nisi fortè intelligatur ſm quod ly homo non habet personalē suppositionem, sed simplicē.

ART. VIII. Vtrum hæc sit uera; Christus est creatura.

Conclusio. Non absolutè dicendum est, Christus est creatura, nisi secundùm quod homo, Namque etiam in rebus corporalibus & humanis, ea quæ in dubitationem uenire, possunt, an conueniant toti, uel parti: si insunt alicui parti, non attribuimus toti simpliciter, id est, sine determinatione.

ART. IX. Vtrum hæc sit uera, Iste homo, demonstrato Christo, incepit esse.

Conclusio. Hoc nomen homo, secundùm quod accipitur pro Christo, licet significet humanā naturam quæ incepit esse: tamen supponit suppositum æternum, quod esse non incepit. Et ideo quia secundùm quod ponitur in subiecto, tenetur pro supposito, secūdùm autem quod ponitur in prædicato, refertur ad naturam, ideo hæc est falsa, homo Christus esse incepit: sed hæc est uera, Christus incepit esse homo.

ART. X. Vtrum hæc sit uera, Christus secundùm quod homo, est creatura.

Conclusio. Hæc propositio, Christus secundùm quod homo, est creatura, simpliciter ut uera cōcedēda est: hæc uerò, Christus secundùm quod sic homo, est creatura, magis neganda, quàm concedenda est.

ART.

ART. XI. Vtrum hæc ſit uera, Chriſtus ſecũdùm quod homo, eſt Deus.

Concluſio. Tametſi hæc, Chriſtus ſecundùm quod homo, eſt Deus, concedi poſsit ut uera, dummodo homo teneatur pro ſuppoſito, non autem pro natura: magis tamen neganda eſt, quàm concedenda, quia terminus in reduplicatione poſitus magis propriè teneatur pro natura, quàm pro ſuppoſito.

ART. XII. Vtrum Chriſtus ſm ꝙ homo, ſit perſona.

Concluſio. Chriſtus ſecùndùm quod homo, eſt hypoſtaſis, uel perſona, ſi ly homo teneatur pro ſuppoſito, uel pro natura cui cõpetit eſſe in aliqua perſona. Sed ut naturæ humanæ in Chriſto propria perſonalitas debetur, cauſata ex principijs humanæ naturæ: ſic Chriſtus ſecũdùm quòd homo, non eſt perſona: quia humana natura non eſt per ſe ſeorſum ſubſiſtens à diuina natura: quod requirit ratio perſonæ.

QVAESTIO XVII.

De pertinentibus ad unitatem in Chriſto quantum ad eſſe, in duos articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum Chriſtus ſit unum, uel duo.

Cõcluſio. Quia nos ponimus in Chriſto unam perſonam & unum ſuppoſitum ſequitur quòd dicamus, quòd non ſolum Chriſtus eſt unus muſculinè, ſed etiam unum neutraliter. Cùm autem dicitur, Chriſtus eſt aliud & aliud: locutio eſt exponenda, ut ſit ſenſus, habens aliam & aliam naturam.

ART. II. Vtrum in Chriſto ſit tantum unum eſſe.

Concluſio. Cùm humana natura coniungatur filio Dei hypoſtaticè uel perſonaliter, & nõ accidentaliter conſequens eſt, quòd ſecundum humanam naturam non adueniat ſibi nouũ eſſe perſonale, ſed ſolum noua

habitudo esse personalis præexistentis ad naturam humanã: ut scilicet persona illa iam dicatur subsistere non solum secundum diuinã naturam, sed etiam secũdùm humanam. Itaque magis retinet unitatem secundùm unitatem hypostasis, quàm habeat qualitatem secundùm qualitatem naturæ.

QVAESTIO XVIII.

De pertinentibus ad unitatem in Christo, quantum ad uoluntatem in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in Christo sint duæ uoluntates.

Conclusio. Cùm filius Dei humanã naturam perfectam assumpserit, & per hoc nihil diuinæ eius naturæ ademptum fuerit: duas in ipso uoluntates fuisse necessarium est, diuinam scilicet & humanam.

ART. II. Vtrum in Christo fuerit aliqua uoluntas sensualitatis, præter rationis uoluntatem.

Conclusio, Oportet quòd filius Dei assumpserit cũ humana natura, etiã ea quæ pertinẽt ad perfectionẽ naturæ animalis in homine, inter quæ ẽ appetitus sensitiuus, qui sensualitas dicitur. Et tamẽ quia sensualitas nõ dicitur uolũtas, nisi quin participat uolũtatẽ rationis, sicut una natura humana in Christo ponitur, ita etiam ponitur una uoluntas humana in Christo.

ART. III. Vtrum in Christo fuerint duæ uoluntates, quantum ad rationem.

Conclusio. Si loquamur de potentia uoluntatis: in Christo est una sola uolũtas humana essentialiter, & non participatiuè dicta. Si uerò loquamur de uolũtate quæ est actus: sic distinguitur in Christo uoluntas, quæ est ut natura, quæ dicitur thelisis, & uolũtas, quæ est ratio, quæ dicitur Bulisis.

ART. IIII. Vtrum in Christo fuerit liberum arbitriũ.

Con-

Conclusio. Cùm in Christo ponatur uoluntas ut ratio, necesse est etiam ponere electionem, & per consequens liberum arbitrium, cuius actus est electio.

ART. V. Vtrum uoluntas humana Christi fuerit omnino conformis diuinæ uoluntati in uolito.

Conclusio. Christus secundum uoluntatē sensualitatis & secundùm uoluntatē rationis, quæ considератur per modū naturæ, aliud poterat uelle, quam Deus Sed secundū uoluntatē, quæ est per modū rationis, ex ordine ad finē, semper idē uolebat quod Deus.

AR. VI. Vtrū ī Christo fuerit cōtrarietas uoluntatū.

Conclusio. Nulla fuit in Christo cōtrarietas uoluntatū. Primo quidē, quia neq; uolūtas naturalis, neq; uoluntas sensualitatis repudiabat illā rationē, scilicet qua diuina uolūtas, & uoluntas rationis humanæ in Christo passionē uolebat, Secūdò, quia neq; uolūtas diuina, neq; uolūtas rationis in Christo impediebat aut retardabatur ꝑ uolūtatē naturalē aut per appetitū sensualitatis. Similiter ēt nec ecōtrario uolūtas diuina uel uoluntas rationis in Christo, refugiebat aut retardabat motū uolūtatis naturalis humanæ, & motū sensualitatis in Christo. Placebat. n. Christo secundū uoluntatē diuinā & etiam secundùm uoluntatem rationis, ut uoluntas naturalis in ipso & uoluntas sensualitatis secūdùm ordinem suæ naturæ moueretur.

QVAESTIO XIX.

De pertinentibus ad unitatem Christi quantum ad operationem, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in Christo sit una tantùm operatio diuinitatis & humanitatis.

Conclusio. Non unam, sed duas operationes fuisse in Christo asserendum est, cum fuerint in illo duę naturæ,

turæ, diuina scilicet & humana. Et tamen diuina natura utitur operatione naturæ humanæ sicut operatione sui instrumenti: & similiter humana natura participat operationem diuinæ naturæ, sicut instrumentum participat operationem principalis agentis.

AR. II. Vtrũ ĩ Christo sint plures opationes humanæ.

Conclusio. In homine Iesu Christo nullus erat motus sensitiuæ partis, qui non esset ordinatus à ratione. Ipsæ etiã operationes naturales & corporales aliqualiter ad eius uolũtatẽ pertinebãt, inquantũ uolũtatis ei⁹ erat, ut caro eius ageret, & pateretur quæ sunt sibi propria. Et ideo multo magis est una operatio humana in Christo, quam in quocunque alio homine.

ART. III. Vtrum actio humana Christi potuerit esse sibi meritoria.

Conclusio. Prima causa omnium bonorũ nostrorũ per auctoritatẽ est Deus. Et per hũc modũ nulla creatura habet aliquid boni per seipsam. Potest tñ secundario aliquis esse causa sibi alicuius boni habẽdi inquantũ scilicet in hoc ipso Deo cooperatur. Et sic ille qui habet aliquid per meritũ propriũ, habet quodam modo illud per seipsum. unde nobilius habetur id ꝙ habẽt per meritũ, q̃ id ꝙ habetur sine merito. Quia aũt omnis perfectio & nobilitas Christo est attribuẽda, cõsequens est ꝙ ipse per meritũ habuerit illud ꝙ alii per meritũ habẽt nisi sit tale quid, cuius carentia magis dignitati Christi & perfectioni præiudicet, q̃ per meritũ accrescat, Vnde nec gratiã, nec sciẽtiã, nec beatitudinẽ animæ, nec diuinitatẽ meruit. Quia cũ meritũ nõ sit nisi eius ꝙ nondũ habetur, oporteret ꝙ Christus aliquãdo istis caruisset: quibus carere, magis diminuit dignitatẽ Christi, q̃ augeat meritũ. Sed gloria corporis, uel si q̃d aliud huiusmodi est, minus est q̃ dignitas merẽdi, q̃ ptinet ad uirtutẽ charitatis.

Et ideo

Et ideo gloriam corporis,& ea quæ pertinent ad exteriorem eius excellentiam (ſicut eſt aſcenſio, ueneratio & alia huiuſmodi) habuit per meritum. Et ſic patet, quod aliquid ſibi mereri potuit.

ART. IIII. Vtrum Chriſtus aliis mereri potuerit.

Concluſio. Cum in Chriſto fuerit gratia, non ſolũ ut in quodam ſingulari homine, ſed ut in totius Eccleſiæ capite, cui omnes uniuntur, ſicut capiti membra, ex quibus conſtituitur myſticè una perſona: exinde eſt, quod meritum Chriſti ſe extendit ad alios inquãtum ſunt membra eius.

QVAESTIO XX.

De conuenientibus Chriſto, ſecundum quod Patri fuit ſubiectus, in duos articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum dicendũ ſit Chriſtum eſſe ſubiectum Patri.

Concluſio. Chriſtus Deus Patri ſubiectus fuit ſecundum bonitatem, ſeruitutem, & obedientiã. Hoc autem non eſt ſimpliciter intelligẽdum, ſed ſolum ſecundum humanam naturam, etiam ſi hæc determinatio non opponatur: quam tamen conuenientius eſt apponere, ad euitandum errorem Arrij, qui poſuit filiũ minorem Patre.

ART. II. Vtrum Chriſtus ſit ſubiectus ſibiipſi.

Cõcluſio. Chriſtus ſimpliciter nõ eſt ſibi ſubiectus ſi dominium & ſubiectio ad diuinam referãtur perſonã, eſt aũt ſibi ſubiectus, uel ſeruus, uel minor, ſi hęc dicant̃ cũ determinatiõe, ſcilicet ſecundum humanã naturam.

QVAESTIO XXI.

De oratione Chriſti in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Chriſto competat orare.

Con-

Cōclusio. Quia in Christo est alia uolūtas diuina, & alia humana, & uolūtas humana nō est per seipsam efficax ad implendum quæ uult, nisi per uirtutem diuinam: inde est quòd Christo secundum quod est homo, & humanam uoluntatē habens, competit orare.

ART. II. Vtrum Christo conueniat orare, secundum suam sensualitatem.

Conc. Christus s͞m sensualitatē nō orauit: q̃a eius sensualitas eiusdem naturæ & speciei fuit cū nostra. In nobis aūt non potest sensualitas orare: quia motus sensualitatis nō potest sensibilia transcendere: & ideo non potest in Deū ascendere: ꝙ requiritur ad orationē. Tū etiā quia oratio importat quandā ordinationē, & est actus rationis. Tamē potest dici aliquis orare secundum sensualitatem quia scilicet eius ratio orando Deo proponit quod est ī appetitu sensualitatis ipsius. & secundum hoc Christus orauit secundum sensualitatem, inquantum scilicet oratio eius exprimebat sensualitatis affectum tanquam sensualitatis aduocata.

AR. III. Vtrū fuerit conueniēs Christū pro se orare.

Conclusio. Christus pro se orauit, & exprimēdo affectum sensualitatis, uel etiam uoluntatis simplicis, quæ consideratur ut natura, sicut cum orauit à se calicem passionis transferri: & exprimendo affectum uoluntatis deliberatæ, quæ consideratur ut ratio, sicut cum petiit gloriam resurrectionis. Sicut autem in humana natura quædam bona habebat à Patre iam percepta: ita etiam expectabat ab eo quædam bona, nondum habita, sed percipienda. Et ideo sicut pro bonis iam perceptis in humana natura gratias agebat Patri recognoscendo eum auctorem: ita etiam ut Patrem auctorem recognosceret, ab eo orando petebat ea quæ sibi deerant secundum humanam naturā: puta gloriā corporis, & alia huiusmodi. Et in hoc

utroq; nobis etiã dedit exemplũ, ut de perceptis à no bis muneribus gratias agamus, & etiã nondũ habita orando poſtulemus. Oratio aũt uocalis nõ erat Chriſto neceſſaria ꝓ ꝓ ipſum, ſed ſolũ propter nos: ſola .n. uoluntas Chriſti habet uim orationis apud Patrem.

AR. IIII. Vtrũ oratio Chriſti ſemper fuerit exaudita.

Concluſio. Secundũ uoluntatem rationis, Chriſtus nihil aliud uoluit, niſi quod ſciuit Deũ uelle. Et ideo omnis abſoluta uoluntas Chriſti, etiam humana fuit impleta, quia fuit Deo conformis: & per conſequens omnis eius oratio fuit exaudita, non quantum ad effectum ſenſualitatis, ſed quantum ad effectum rationis.

QVAESTIO XXII.

De Sacerdotio Chriſti, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Chriſto conueniat eſſe ſacerdotem.

Concluſio. Propriè officium ſacerdotis eſt eſſe mediatorem inter Deum & populum: inquantũ ſcilicet diuina populo tradit & inquãtum preces populi Deo offert & pro eorum peccatis Deo aliqualiter ſatisfacit. Hoc autem maxime cõuenit Chriſto. Vnde Chriſto maximè conuenit eſſe ſacerdotem. Et quidẽ quantum ad alios pertinet, alius eſt Legiſlator, & alius Sacerdos, & alius Rex: ſed hæc omnia cõcurrũt in Chriſto tanquam in fonte omnium gratiarum.

AR. II. Vtrũ hriſtus ſimul fuerit ſacerdos & hoſtia.

Concluſio. Ipſe Chriſtus inquãtum homo nõ ſolũ fuit ſacerdos, ſed etiã hoſtia perfecta, ſimul exhiſtens hoſtia pro peccato, & hoſtia pacifica, & holocauſtũ.

ART. III. Vtrum effectus ſacerdotij Chriſti ſit expiatio peccatorum.

Concluſio. Ad peccatorũ perfectam emundationẽ duo requiruntur, ſecũdum quod duo ſunt in peccato, ſcilicet

ſcilicet macula culpæ, & reatus pœnæ. Macula quidē culpæ deletur per gratiam, qua cor peccatoris conuertitur in Deum: reatus autem pœnæ totaliter tollitur per hoc, quòd homo Deo ſatisfacit. Vtrunque autem horum efficit ſacerdotium Chriſti. Itaque plenam habet uim expiandi peccata.

ART. IIII. Vtrum effectus ſacerdotij Chriſti non ſolum ad alios pertinuerit, ſed etiam ad ipſum.

Concluſio. Sacerdos cōſtituitur medius inter Deū & populum. Ille autem indiget medio ad Deum, qui per ſeipſum accedere ad Deū non poteſt. Hoc autem Chriſto non competit. Et ideo Chriſto non conuenit effectum ſacerdotij in ſe ſuſcipere, ſed potius ipſum alijs communicare. Chriſtus itidem eſt fons totius ſacerdotij: nā ſacerdos legalis erat figura ipſius, ſacerdos aūt nouę legis in perſona ipſius operatur. Quanquam ipſe etiam effectū ſacerdotij participauerit, ſecundùm quid, ſcilicet ſecundū paſsibilitatem carnis.

AR. V. Vtrū ſacerdotiū Chriſti permaneat ī æternū.

Concluſio. Sacerdotium Chriſti æternum fuit quò ad omnem ſacerdotij conſummationem: tùm quia non fuerunt bona temporalia, ſed æterna, quæ per eius mortem adipiſcimur: tū quia licet paſsio & mors Chriſti de cætero non ſit iterāda, tamen uirtus illius hoſtiæ ſemel oblatæ, permanet in æternum.

ART. VI. Vtrum ſacerdotium Chriſti fuerit ſecundùm ordinem Melchiſedec.

Concluſio. Ipſa excellentia ſacerdotij Chriſti ad ſacerdotium Leuiticum fuit figurata in ſacerdotio Melchiſedec, qui ab Abraham decimas ſumpſit: in cuius lūbis decimatus ē quodāmodo ipſe ſacerdos legalis. Et ideo ſacerdotiū Chriſti dicitur eſſe ſecundū ordinem Melchiſedec, propter excellentiā ueri ſacerdotij ad figurale ſacerdotiū legis. Neque uerò dicitur eſſe

secundū ordinem Melchisedec, quasi principalioris sacerdotis, sed quasi præfigurantis excellentiā sacerdotij Christi ad sacerdotiū Leuiticum. Et quantū quidem ad ipsam oblationem, expressius figurabat sacerdotium Christi, sacerdotium legale per sanguinis effusionem, quàm sacerdotiū Melchisedec, in quo sanguis non effundebatur: sed quantum ad participationem huius sacrificij, & eius effectum (in quo præcipuè attēditur excellētia sacerdotij Christi ad sacerdotium legale) expressius præfigurabatur per sacerdotium Melchisedec, qui offerebat panem & uinum, significantia (ut Aug. dicit) Ecclesiasticam unitatem, q̄ cōstituit participatio sacrificij Christi. Vnde etiam in noua lege uerū Christi sacrificiū cōmunicatur fidelibus sub specie panis & uini. Deniq; Melchisedec dictus est sine patre, & sine matre, & sine geneologia, & q nō habet initiū dierum neq; finē, nō quia ista nō habuerit, sed qa in Scriptura sacra ista de eo nō leguntur. Et p hoc ipsum assimulatus est filio Dei, q in terris est sine patre, & in cęlis sine matre, & sine geneologia: & secundùm diuinitatem neque principium neque finem dierum habet.

QVAESTIO XXIII.

De Adoptione Christi, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum Deo conueniat filios adoptare.

Cōcl. Inquātū De⁹ ex sua bonitate admittit hoīes ad beatitudinis hæreditatē, diciē eos adoptare. Hoc āt pl⁹hēt adoptatio diuina q̄ humana: qa De⁹ hoīem, quē adoptat, idoneū facit p gratię mun⁹ ad hęreditatē cęlestē percipiēdā. Hō aūt non facit idoneū eum, quē adoptat, sed potius cū iam idoneū eligit adoptando.

AR. II. Vtrum adoptare conueniat toti Trinitati.

Con-

Conclusio. Quãuis generare in diuinis, sit propriũ personæ Patris: tamen facere quemcunque effectum in creaturis, est cõmune toti Trinitati propter unitatem naturæ: quia ubi est una natura, oportet quòd sit una uirtus & una operatio. Et ideo adoptare homines in filios Dei, conuenit toti Trinitati.

ART. III. Vtrum adoptari sit proprium rationalis creaturæ.

Conclusio. Filiatio adoptionis est quædam similitudo filiationis naturalis. Assimulatur aũt creatura Verbo Dei æterno, ſm unitatem quam habet ad Patrem, quod quidem fit per gratiam & charitatem. Et talis assimilatio perficit rationem adoptionis, quia sic assimilatis debetur hæreditas æterna. Vnde adoptari cõuenit soli creaturæ rationali, non tamen omni, sed solùm habenti charitatem, quæ est diffusa in cordibus nostris, per Spiritum sanctum.

AR. IIII. Vtrum Christus, secundùm quod homo, sit filius Dei adoptiuus.

Conclusio. Non admittitur, aliquid dici participatiuè. quod p se dicitur. Et ideo Christus, qui est filius Dei naturalis per se, nullo modo potest dici filius adoptiuus, id est, per participationem.

QVAESTIO XXIIII.

De prædestinatione Christi, in 4. articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum Christo conueniat prædestinatum esse.

Conclusio. Prædestinatio propriè accepta, est quædam diuina præordinatio ab æterno, de his quæ per gratiam Dei sunt fienda in tempore. Est autem hoc in tempore factũm per gratiam unionis à Deo, ut homo esset Deus, & Deus esset homo. Nec potest dici, quòd Deus ab æterno nõ præordinauerit hoc se facturum in tempore: quia sequeretur, quòd diuinæ menti

aliquid de nouo accideret. Et ideo ipſa unio naturarum in perſona Chriſti cadit ſuper æterna Dei prædeſtinatione: & ratione huius Chriſtus dicitur eſſe prædeſtinatus.

ART. II. Vtrum hæc ſit falſa, Chriſtus ſecundùm quod homo, eſt prædeſtinatus eſſe filius Dei.

Cōcluſio. Cùm humana natura non ſemper uerbo Dei fuerit unita, & ei etiam hoc per gratiam collatū fuerit: ideo ſolum ratione humanæ naturæ prædeſtinatio competit Chriſto: unde Chriſtus ſecundùm quòd homo, eſt prædeſtinatus eſſe filius Dei.

ART. III. Vtrum prædeſtinatio Chriſti ſit noſtræ prædeſtinationis exemplar.

Concluſio. Chriſti prædeſtinatio ſecundùm actum prædeſtinantis nō fuit noſtræ prædeſtinationis exemplar: uno enim modo, & eodem actu æterno prædeſtinauit Deus nos & Chriſtum. Sed ſecundùm illud, ad quod aliquis prædeſtinatur, quod eſt prædeſtinatiōis terminus & effectus: prædeſtinatio Chriſti eſt exemplar noſtræ prædeſtinationis. Primo quidē quantū ad bonum, ad quod prædeſtinamur. Ipſe enim eſt prædeſtinatus ad hoc, quòd eſſet Dei filius naturalis: nos autem ad filiationem adoptionis, quæ eſt quædam participata ſimilitudo filiationis naturalis. Deinde etiā quantum ad modum conſequēdi iſtud bonum, quod eſt per gratiam: quia natura humana in Chriſto nullis ſuis præcedentibus meritis eſt unita filio Dei. Et de plenitudine gratiæ eius nos omnes accepimus.

ART. IIII. Vtrum prædeſtinatio Chriſti ſit cauſa noſtræ prædeſtinationis.

Cōcluſio. Chriſti prædeſtinatio nō fuit noſtrę prædeſtinationis cauſa quò ad actum prædeſtinantis, ſed ſecundùm prædeſtinationis terminum. Sic enim Deus præordinauit noſtram ſalutem, ab æterno prædeſtinando,

nando, ut per Iesum Christum compleretur. Sub prædestinatione enim æterna nõ solum cadit id quod est fiendum in tempore, sed etiam modus & ordo, secundum quem est complendum in tempore.

QVAESTIO XXV.

De adoratione Christi, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum una & eadem adoratione sit adoranda diuinitas Christi & eius humanitas.

Conclusio. Cùm in Christo sit tãtum una persona diuinæ & humanæ naturæ, & etiam una hypostasis & unũ suppositum: est quidẽ eius una adoratio & unus honor ex parte eius qui adoratur. Sed ex parte causæ qua honoratur possunt dici esse plures adorationes, ut scilicet alio honore honoretur propter sapientiam increatam, & alio propter sapientiam creatam.

AR. II. Vtrum humanitas Christi adoranda sit adoratione latriæ.

Conc. Vna & eadem persona Christi adoratur adoratione latriæ, ꝑꝑ suã diuinitatẽ, & adoratione duliæ ꝑꝑ perfectionẽ humanitatis. Nec hoc est incõueniẽs: quia ipsi Deo patri debetur honor latriæ ꝑꝑ deitatẽ, & honor duliæ ꝑꝑ dominiũ quo gubernat creaturã. Adoratio aũt latriæ nõ exhibetur humanitati Christi ratione suiipsius, sed ratiõe diuinitatis, cui unitur secundùm quam Christus non est minor Patre.

ART. III. Vtrum imago Christi sit adoranda adoratione latriæ.

Conc. Duplex ex motus animæ in imaginẽ. Vnus quid in ipsã imaginẽ, ſm ꝙ res quædã est alio modo in imaginẽ, in quãtũ est imago alterius. Et inter hos duos mot⁹ est hęc differẽtia: qa primus mot⁹, ẽ alius à motu, q est in rẽ scđs avt mot⁹ ẽ un⁹ & idẽ cũ illo q ẽ

in rē. Sic ergo imagini Christi, inquātū est res quædā (puta lignū sculptū uel pictū) nulla reuerentia exhibetur: sed inquantū ē imago Christi sequit̄ ꝙ eadē reuerētia exhibeat̄ imagini Christi, & ipsi Christo. Cū ergo Christus adoretur adoratione latrię, cōsequēs ē ꝙ eius imago sit adoratione latriæ adorāda. In præcepto aūt nō prohibet̄ facere quācūq; sculpturā uel similitudinē, sed facere adorādā. Vnde subdit: Nō adorabis ea neq; coles. Et quia, sicut dictū est, idē est motus in imaginē & in rē; eo modo prohibet̄ adoratio imaginis, quo prohibetur adoratio rei, cuius imago ē. Vnde ibi intelligitur prohiberi adoratio imaginū, quas Gentiles faciebāt in uenerationē deorū suorū, id est, dæmonū. Et ideo præmittitur: Nō habebis deos alienos corā me. Ipsi aūt uero Deo, quū sit incorporeus, nulla imago corporalis poterat poni. Sed quia in nouo Testamento Deus factus est homo pōt in sui imagine corporali adorari. Atq; ita nos adoramus adoratione latriæ imaginē Christī q̄ est uerus Deus: nō ꝑꝑ ipsam imaginē, sed ꝑꝑ rē, cuius imago est. At uerò si creaturæ rationali, in qua ēt est imago Dei, eadē exhiberetur adoratio latriæ posset esse erroris occasio, ut scilicet motus adorātis sisteret in hoīe, inquantū est res quædā, & nō ferretur in Deū, cuius est imago. Qđ nō pōt cōtingere de imagine sculpta uel picta in materia sensibili. Itaque Apostoli familiari instinctu Spiritus sancti, quædā Ecclesijs tradiderūt seruanda, quæ nō reliquerūt in scriptis, sed in obseruatione Ecclesiæ per succesionē fideliū. Vnde ipsi dicit. 2. ad Thessal. 2. State, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonē, scilicet ore prolatū, siue per Epistolā, scilicet scripto transmissam. Et inter huiusmodi traditiōes est imaginū Christi adoratio. Vnde & beatus Lucas dicitur depinxisse Christi imaginē, quæ Romæ habetur.

ART.

AR. IIII. Vtrũ Crux Christi sit adoranda adoratione latriæ.

Conc. Creaturæ insensibili non debetur honor, uel reuerẽtia, nisi ratione rationalis naturæ uel inquantũ repræsentat rationalẽ naturã, uel inquantũ ei quocũq; modo cõiũgit. Primo modo cõsueuerũt hoĩes uenerari Regis imaginẽ, scd'o modo eius uestimentum. Vtrũq; aũt uenerantur eadẽ ueneratione, qua uenerãtur & Regẽ. Si ergo loquamur de ipsa Cruce, in qua Christus crucifixus est utroq; modo est à nobis uenerãda: uno scilicet modo, inquãtũ repræsentat nobis figuram Christi extensi in ea: alio modo ex contactu ad mẽbra Christi, & ex hoc ꝙ eius sanguine est perfusa. Vnde utroq; modo adorat̃ eadẽ adoratione cũ Christo, scilicet adoratione latriæ. Et ꝑꝑ hoc ẽt Crucẽ alloquimur & deprecamur quasi ipsũ crucifixũ. Si uerò loquamur de effigie Crucis Christi in quacunq; alia materia (puta lapidis uel ligni, argẽti uel auri) sic ueneramur crucẽ tãtum, ut imaginẽ Christi, q̃ ueneramur adoratione latriæ. Licet aũt Crux Christi nõ fuerit unita uerbo Dei in ꝑsona: fuit tñ ei unita aliquo alio modo, scilicet per repræsentationẽ & cõtactum. Et hac sola ratione exhibetur ei reuerẽtia. Et quidẽ quãtũ ad rationẽ cõtactus mẽbrorũ Christi, adoramus nõ solũ Crucẽ sed ẽt oĩa q̃ sunt Christi. Vnde Damasc. dicit. 4. lib. Pretiosum lignũ ut sanctificatũ tactu sancti corporis & sanguinis, decẽter adorãdũ, clauos indumẽta, lanceã, & sacra eius tabernacula, quæ sunt præsepẽ, spelunca, & huiusmodi. Ista tñ non repræsentãt imaginẽ Christi, sicut Crux, quæ dicit̃ signũ filii hoĩs quod apparebit in cœlo: ut dicitur Matt. 24. Ideoque mulieribus dixit Angelus, Iesum quæritis Nazarenũ crucifixum: non dixit lanceatum, sed crucifixum. Et inde est quòd Crucem Christi ueneramur ĩ quacũq;

materia non autem imaginem clauorum, uel quorumcunque huiusmodi.

ART. V. Vtrum mater Christi sit adoranda adoratione latriæ.

Conclusio. Cùm beata Virgo sit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriæ, sed solum ueneratio duliæ: eminentius tamen quàm cæteris creaturis, inquātū ipsa est mater Dei. Et ideo dicitur, ꝙ debetur ei nō qualiscunque dulia, sed hyperdulia.

ART. VI. Vtrum reliquiæ Sanctorum sint adorandæ.

Conclusio, Manifestum est, quòd Sanctos Dei in ueneratione habere debemus, tanquam membra Christi, Dei filios, & amicos, nostros intercessores. Et ideo eorum reliquias qualescunque, honore congruo in eorum memoriam uenerari debemus, & præcipuè eorum corpora quæ fuerunt templa & organa Spiritussancti in eis habitantis & operantis, & sunt corpori Christi configuranda per gloriosam Resurrectionē. Vnde & ipse Deus huiusmodi reliquias conuenienter honorat in eorum præsentia miracula faciendo.

QVAESTIO XXVII.

De eo quòd Christus Mediator Dei & hominum dicitur, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum esse mediatorem Dei & hominum, sit proprium Christo.

Cōclusio. Soli Christo cōuenit esse mediatorē simpliciter & perfectiuè, cui non obstat multos alios esse ſm quid mediatores, s. dispositiuè & ministerialiter.

ART. II. Vtrum Christus, secundum quod homo, sit mediator Dei & hominum.

Conclusio. Cum Christus, secundùm quod Deus nullo modo a Deo ipso distet, neq; quicquā alterius

alteri deferat:nullo pacto cõuenit sibi esse mediatorẽ inquantum Deus est,sed uerissimè inquãtum homo.

QVAESTIO XXVII.

De Beata Virginis Mariæ sanctificatione, in sex articulos diuisa

ARTICVLVS I.

VTrum beata Virgo mater Dei, fuerit sanctificata ante natiuitatem ex utero.

Conclusio. Rationabiliter creditur, beatam Virginem Mariam fuisse in utero sanctificatam, sicut sancti ficati in utero multi leguntur.

ART. II. Vtrum beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem.

Conclusio. Nõ fuit beata Virgo ante animationem sanctificata,sed post:quia culpa non potest emendari nisi per gratiam,cuius subiectum est sola creatura rationalis. Et ideo ante infusionem animæ rationalis beata Virgo sanctificata non fuit: tùm etiam quia cùm sola creatura rationalis sit susceptiua culpæ ante infusionem animæ rationalis proles concepta nõ est culpæ obnoxia.

ART. III. Vtrum per sanctificationem fuerit beatæ Virgini fomes totaliter sublatus.

Conclusio. Remansit fomes in beata Virgine post sanctificationem secundùm essentiam,ligatus tamen quò ad exercitium,siue operationem usque ad filij Dei conceptionem,in qua fuit totaliter sublatus.

ART. IIII. Vtrum per huiusmodi sanctificationem fuerit consecuta,ut nunquam peccaret.

Conclusio. Simpliciter fatendum est, quòd beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale,nec ueniale:ut sic in ea impleatur qđ dicitur Cãt. 4. Tota pulchra es amica mea,& maculá nõ est in te

ART..

ART. V. Vtrum beata Virgo per huiusmodi sanctificationem adepta fuerit plenitudinem omnium gratiarum.

Conclusio. Maiorē beata Virgo Maria gratiæ præcæteris plenitudinem à Christo obtinere debuit, quæ mater illius esse meruit, qui est omnis gratiæ origo ac principium. Quantò enim aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius principij.

AR. VI. Vtrum sic sanctificari fuerit proprium beatæ Virgini.

Conclusio. Non soli beatæ Virgini, ut in utero sanctificaretur, diuinæ gratiæ munus concessum est, sed alijs, scilicet Hieremiæ, & Ioanni Baptistæ, quorum sanctificatio sanctificationis per Christi passionem & Baptismum fiendę figura fuit.

QVAESTIO XXVIII.

De Virginitate Beatæ Mariæ, in 4. articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum beata Maria fuerit uirgo in concipiendo.

Conclusio. Confitendum simpliciter est, Christi matrem Virginem concepisse.

ART. II. Vtrum mater Dei fuerit Virgo in partu.

Cōclusio. Absq; oī dubio asserēdū est matrē Christi ēt in partu Virginē fuisse. Nā Propheta nō solū dicit, Ecce virgo cōcipiet: sed ēt addit. Et pariet filium.

AR. III. Vtrum mater Dei permanserit uirgo post partum.

Conclusio. Absq; omni dubio detestādus est error Eluidij, qui dicere præsumpsit, matrem Christi post partum à Ioseph esse carnaliter cognitā, & alios filios genuisse. Et simpliciter est asserendum, quòd mater Dei sicut uerbo concepit, & uirgo peperit: ita etiam & uirgo post partum in sempiternum permansit.

ART.

ART. IIII. Vtrum mater Dei uirginitatem uouerit.

Conclusio. Mater Dei nõ simpliciter uirginitatem uouit, antequã Ioseph dispensaretur: sed post despon sationem ex communi uoluntate simul cum sponso suo uotum uirginitatis emisit.

QVAESTIO XXIX.

De matris Dei desponsatione, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS

VTrum Christus nasci debuerit de Virgine despon sata.

Conclusio. Cõueniẽs fuit, Christum de desponsata Virgine nasci: tùm propter ipsum, tùm propter matrem, tùm etiam propter nos, uarijs quidem & iustis de causis.

AR. II. Vtrum inter Mariam & Ioseph fuerit uerum matrimonium.

Cõclusio. Inter Christi matrem & Ioseph fuit uerum & legitimum matrimonium, non quidem quòd consenserint in copulam carnalẽ simpliciter, sed quã tùm ad consensum mutuæ fidelitatis, & educandæ prolis debitum. Vnde August. dicit in lib. de Nuptijs & concupiscentia: Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, & sacramentũ. Prolem cognoscimus ipsum Dominũ Iesum: fidem, quia nullũ adulterium: sacramẽtum, quia nullũ diuortiuũ: solus ibi nuptialis cõcubitus nõ fuit.

QVAESTIO XXX.

De beatæ Mariæ uirginis annuntiatione, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum necessarium fuerit annunciari beatæ Virgini quod in ea erat generandum.

auctoritas respectu personę filij, qui per huiusmodi conceptionē sibi assumpsit humanam naturam. Filio autem attribuitur ipsa carnis assumptio. Sed spiritui-sācto attribuitur formatio corporis, quod assumitur à Filio. Sic quoque licet missio & conceptio sint idē subiecto: quia tamen differunt ratione, missio attribuitur Patri, efficere autem conceptionem Spirituisancto. sed carnem assumere attribuitur Filio.

ART. II. Vtrum Christus debeat dici conceptum de Spiritusancto.

Cōclusio. Cōuenienter dicere possumus Christū esse cōceptū de Spiritusancto, hoc modo, ꝙ efficientia spiritussancti referatur ad corpus assumptū: cōsubstantialitas uerò ad personam assumētē. Neque uerò eodem modo dicitur Christus conceptus aut natus de Spiritosancto, & de Maria uirgine, sed de Maria uirgine materialiter, de spiritusancto uerò effectiuè.

ART. III. Vtrum spiritussanctus dici debeat pater Christi secundùm carnem.

Conclusio. Christus est filius Dei secundùm perfectam rationem filiationis: unde quāuis secundùm humanam naturam sit creatus & iustificatus, non tamē debet dici filius Dei, neque ratione creationis, neque ratione iustificationis, sed solū ratione generationis æternæ, secundùm quā est filius Patris solius. Et ideo nullo modo debet dici Christus filius spiritussancti, nec etiam totius Trinitatis. Quia tamē conceptus est de Maria Virgine materiā ministrāte in similitudinē speciei: ideo dicitur filius eius. Ac licet secundùm quod homo, conceptus est de spiritu sancto sicut de actiuo principio, non tamen secundùm similitudinē speciei, sicut homo nascitur de patre suo: ideo etian non dicitur filius spiritussancti.

hypostasim præter hypostasim uerbi Dei, quod est contra rationem Incarnationis, secundùm quam ponimus, uerbum Dei esse unitum humanæ naturæ, & omnibus partibus eius in unitate hypostasis. Et ideo contra fidem est dicere, quòd caro Christi prius fuerit concepta, & postmodum assumpta à uerbo Dei.

ART. IIII. Vtrum conceptio Christi fuerit naturalis uel miraculosa.

Conclusio. Si consideremus id qđ est ex parte materiæ cōceptus q̄ mater ministrauit, totū est naturale. Si uerò consideremus id qđ est ex parte uirtutis actiuæ, totū est miraculosū. Sed quia unūquodq; magis iudicatur ſm formā, q̄ secundùm materiā, & similiter secūdum agens, quàm secundū patiens: inde est, quòd cōceptio Christi debet dici simpliciter miraculosa & supernaturalis, sed secundùm aliquid naturalis.

QVAESTIO XXXIIII.

De perfectione prolis conceptæ, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus in primo instanti suæ conceptionis fuerit sanctificatus per gratiam.

Conclusio. Abundantia gratię sanctificantis animā Christi, deriuatur ex ipsa Verbi unione. Cùm autem in primo instanti suæ cōceptionis corpus Christi animatum fuerit, & à uerbo Dei assumptū: consequēs est, quòd in primo instāti cōceptionis Christus habuerit plenitudinē gratiæ sanctificātis animā & corpus ei⁹.

ART. II. Vtrum Christus in primo instanti suæ conceptionis habuerit usum liberi arbitrij.

Conclusio. Cùm Christus in primo instanti suæ cōceptionis fuerit secundùm animam perfectus, in eodem quoque instanti habuit usum liberi arbitrij.

ART. III. Vtrum Christus in primo instanti suæ conceptionis mereri potuerit.

Cōclusio. Cū sanctificatio Christi fuerit perfectissima (quia non per alios, sed sic sanctificatus est, ut esset aliorum sanctificator) consequens est, quod ipse secundùm proprium motum liberi arbitrij in Deum fuerit sanctificatus, qui quidem motus liberi arbitrij est meritorius. Vnde in primo instanti suæ conceptionis Christus mereri potuit.

ART. IIII. Vtrum Christus fuerit perfectus comprehensor in primo instanti suæ conceptionis.

Conclusio. Cùm Christus in sua conceptione nō acciperet gratiam habitualem tantum absq; actu (accepit enim gratiam non ad mensuram) manifestum est, quòd in primo instanti suæ conceptionis accepit non solum tantam gratiā, quantā cōprehensores habent, sed etiā omnibus cōprehēsoribus maiorē: actu uidendo Deum per essentiā clarius cæteris creaturis.

QVAESTIO XXXV.

De natiuitate Christi, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum natiuitas sit naturæ uel personæ.

Conclusio. Persona uel hypostasis significatur per modum subsistentis: natura autem significatur per modum formæ, in qua aliquid subsistit. Et ideo natiuitas tanquam subiecto nascenti, proprie attribuitur personæ uel hypostasi, non naturæ, nisi sicut termino, ut natura per modum formæ significatur. Tamen propter identitatem, quæ in diuinis est inter naturam & hypostasim, quandoque dicitur, naturam diuinam esse conceptam & natam: quia scilicet persona Filij est concepta & nata secundùm humanam naturam.

ART.

ART.II. Vtrum attribuenda ſit Chriſto aliqua natiuitas temporalis.

Concluſio. Cùm duæ fuerint in Chriſto naturæ, neceſſe eſt duas illi attribuere natiuitates, unam æternam, qua æternaliter à Patre proceſsit, aliam temporalem, qua temporaliter à matre natus eſt.

ART. III. Vtrum ſecundùm temporalem Cſtriſti natiuitatem, beata Virgo poſsit dici mater eius.

Concluſio. Beata Virgo eſt uera & naturalis mater Chriſti. Nam corpus Chriſti non eſt de cœlo allatum, ſicut Valentinus hæreticus poſuit: ſed de Virgine matre ſumptum, & ex puriſsimis ſanguinibus eius formatum. Et hoc ſolum requiritur ad rationem matris.

ART. IIII. Vtrum beata Virgo debeat dici mater Dei.

Concluſio. Cùm in ipſo principio cõceptionis fuerit humana natura aſſumpta à diuina perſona: conſequens eſt, quod uerè poſsit dici, Deum eſſe cõceptum & natum de Virgine, & quòd beata Virgo uerè dicatur mater Dei. Contrarium autem aſſerere, & erroneum eſt & hæreticum.

ART. V. Vtrum in Chriſto ſint duæ filiationes.

Concluſio. Si attendamus ad perfectas rationes filiationis, oportet dicere duas in Chriſto filiationes, ſecundùm qualitatem natiuitatum. Si attendamus ad ſubiectum filiationis, quod nõ poteſt eſſe niſi ſuppoſitum æternum, non poteſt in Chriſto eſſe realiter niſi filiatio æterna. Dicitur tamen relatiuè filius ad matrem relatione, quæ intelligitur relationi maternitatis ad Chriſtum. Sic etiã Deus dicitur Dominus relatione, quæ cointelligitur reali relationi, qua creatura ſubijcitur Deo & quamuis relatio dominij non ſit realis in Deo: dicitur tamen realiter Dominus ex

reali ſubiectione creaturæ ad ipſum. Et ſimiliter Chriſtus dicitur realiter filius Virginis matris, ex relatione reali maternitatis ad Chriſtum.

AR. VI. Vtrũ Chriſtꝰ fuerit natus ſine dolore matris.

Concluſio. Dolor patientis cauſatur ex apertione meatuum, per quos proles egreditur: Sed Chriſtus egreſſus eſt clauſo utero matris: & ſic nulla uiolentia apertionis meatuum ibi fuit, & propter hoc in illo partu nullus fuit dolor, ſicut nec aliqua corruptio. Sed fuit ibi maxima iucunditas, ex hoc quòd homo Deus eſt natus in mundum.

ART. VII. Vtrũ Chriſtus debuerit in Bethleem naſci.

Concluſio. Chriſtus naſci uoluit in Bethleē, de qua natus fuit Dauid, pluribus de cauſis: 1. Vt ex ipſo loco natiuitatis, promiſsio ei facta impleta oſtēderetur. 2. Quia Bethleem domus panis interpretatur. Ipſe aũt Chriſtus eſt panis uiuus, qui de cœlo deſcēdit. 3. Sicut Dauid in Bethleem natus eſt, & Hieruſalē elegit, ut in ea ſedē regni cōſtitueret, & templũ Dei ibi ædificaret, ut eſſet ciuitas ſimul regalis & ſacerdotalis: ſic etiam ſacerdotiũ Chriſti & eius regnũ præcipuè conſummatũ eſt in eius paſsione: & ideo cōueniēter Bethleem elegit natiuitati. Hieruſalē uerò paſsioni. 4. Per hoc hominum gloriam cōfutauit, qui gloriantur, ꝙ ex ciuitatibus nobilibus originē ducũt, in quibus etiã præcipuè uolũt honorari. Chriſtus aũt econuerſo in ciuitate ignobili naſci uoluit, & in ciuitate nobili pati opprobriũ. 5. Chriſtꝰ florere uoluit ſm uirtuoſam cōuerſationē, nō ſm carnis originem. Et ideo in ciuitate Nazareth educari uoluit & nutriri, in Bethleē autē quaſi peregrè naſci. 6. Sicut dicitur in quodã ſermone Epheſini concilij. Si maximam Romam elegiſſet ciuitatem propter potentiam ciuium, mutationem orbis terrarum putarent: ſi filius fuiſſet Impera

toris,

toris,poteſtati utilitatem aſcriberent. Sed ut diuinitas cognoſceretur orbem transformaſſe terrarum, pauperculam elegit matrem, & pauperiorem patriam. Elegit autẽ Deus infirma mundi,ut confundat fortia. Et ideo ut ſuam poteſtatem magis oſtenderet,in ipſa Roma, quæ caput mundi erat, etiam caput Eccleſiæ ſuæ ſtatuit,in ſignum perfectæ uictoriæ: Vt exinde fides deriuaretur ad uniuerſum mundum,ſecundùm illud Iſaiæ 26. Ciuitatem ſublimem humiliabit:& conculcabit eam pes pauperis,ſcilicet Chriſti, greſſus egenorum,id eſt; Apoſtolorum Petri & Pauli.

AR.VIII. Vtrũ Chriſtus fuerit tẽpore cõgruo natus.

Concluſio. Cùm Chriſtus ſecundùm diuinę ſapiẽtiæ diſpoſitionem natus fuerit: cõuenientiſsimo etiã tempore natus dicitur.

QVAESTIO XXXVI.

De manifeſtatione Chriſti nati,in 8. articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum natiuitas Chriſti debuerit eſſe omnibus manifeſta.

Concluſio. Natiuitas Chriſti non debuit eſſe communiter omnibus manifeſta. 1. quia per hoc impedita fuiſſet humana redẽptio,quæ per crucẽ eius peracta eſt. Nam ſi cognouiſſent,nunquam Dominum glorię crucifixiſſent. 2. quia hoc diminuiſſet meritũ fidei, ꝑ quam uenerat homines iuſtificare. Si enim manifeſtis indicijs Chriſto naſcente eius natiuitas omnibus appareret,tolleretur ratio fidei. 3. quia per hoc ueniſſet in dubium ueritas humanitatis ipſius. Si enim nullas ex paruulo in iuuentutem mutaret ætates, nullos cibos,nullos caperet ſomnos:nonne opinionem confirmaret erroris,nec hominem uerum nullo modo ſuſcepiſſe crederetur?

ART. II. Vtrum natiuitas Christi debuerit aliquibus manifestari.

Conclusio. Pertinet ad diuinæ sapientiæ ordinẽ, ut Dei dona & secreta sapientiæ eius, non æqualiter ad omnes, sed immediatè ad quosdã perueniant, & per eos ad alios deriuẽtur. Vnde sicut & in resurrectionis mysterio. Deus dedit Christum resurgentem manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinantis à Deo: ita & hoc etiam debuit circa ipsius natiuitatem obseruari, ut non omnibus Christus manifestaretur, sed quibusdam, per quos posset ad alios deuenire.

ART. III. Vtrum sint conuenienter electi illi, quibus est Christi natiuitas manifestata.

Conclusio. Cùm salus per Christum futura ad hominum omnium diuersitatem pertineret: congruit omnibus hominum conditionibus eius natiuitatem manifestari, scilicet Pastoribus, Magis, Simeoni, & Annæ.

ART. IIII. Vtrum Christus per seipsum natiuitatem suam manifestare debuerit.

Conclusio. Oportebat ita manifestari natiuitatem Christi, ut demonstratio natiuitatis eius, fidei humanitatis ipsius non præiudicaret. Hoc autem factum est, dum Christus in seipso natiuitatem similem infirmitati humanæ exhibuit, & tamen per Dei creaturas diuinitatis uirtutẽ in se monstrauit. Et ideo Christus non per seipsum suam natiuitatem manifestauit, sed per quasdam alias creaturas.

ART. V. Vtrum natiuitas Christi debuerit per Angelos & stellam manifestari.

Conclusio. Iustis, scilicet Simeoni & Annæ, manifestata est Christi natiuitas per interiorem instinctum Spiritussancti. Pastoribus autem & Magis tanquam

rebus

rebus corporalibus deditis, manifestata est Christi natiuitas per uisibiles apparitiones. Et quia natiuitas nō erat purè terrena, sed quodammodo cœlestis, ideo ꝑ signa cœlestia utrisq; Christi natiuitas reuelatur. Rationabiliter aũt pastorib⁹ tanquã Iudæis, apud quos frequēter factæ sunt apparitiones Angelorũ, reuelata est natiuitas Christi ꝑ Angelos: Magis aũt assuetis in cōsideratione cœlestiũ corporum; per signum stellæ.

ART. VI. Vtrum natiuitas Christi ordine cõuenienti fuerit manifestata.

Cõclusio. cõuenientissimo fuit manifestata ordine Saluatoris nostri natiuitas, ut ipso die natiuitatis Pastoribus, tertiadecima uerò die Magis, quadragesima uerò Simeoni & Annæ manifestaretur. Et huius ordinis ratio est: quia per Pastores significantur Apostoli & alij credentes ex Iudæis, quibus primò manifestata est fides Christi: inter quos non fuerunt multi potentes, nec multi nobiles. Secundo autem fides Christi peruenit ad plenitudinem Gentium, quę est præfigurata per Magos. Tertiò autem peruenit ad plenitudinem Iudæorum, quæ est præfigurata per iustos: unde & in tēplo Iudæorum est eis Christus manifestatus.

ART. VII. Vtrum stella, quæ Magis apparuit, fuerit una de cœlestibus stellis.

Conclusio. Consonũ ualde rationi esse uidetur, ut stella, quæ Magos ad Christum natum perduxit, non fuerit una cœlestium stellarum, sed ad hoc a Deo de nouo creata, non in cœlo, sed in aere uicino terræ, quæ secundùm diuinam uoluntatem mouebatur.

ART. VIII. Vtrum Magi conuenienter ad Christum adorandum uenerint.

Conclusio. Magi sunt primitiæ Gentiũ in Christũ credentium. Et ideo sicut deuotio & fides Gentiũ est absque errore per inspirationem Spiritusancti, ita

etiam credendum est, Magos à Spiritu sancto inspiratos, sapienter Christo reuerentiam exhibuisse.

QVAESTIO XXXVII.

De legalibus circa puerum Iesum seruatis, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus debuerit circuncidi.

Conclusio. Debuit Christus circũcidi, ad cõprobãdam carnis suæ ueritatem, & ad exemplum omnium quis legib⁹ parere recusant, alijsq; pluribus de causis.

ART. II. Vtrum conuenienter fuerit Christo nomen impositum.

Conclusio. Nomina singulariũ hominũ uarijs rõnibus ſp imponuntur. Nomina aũt quæ imponuntur aliquibus diuinitus, ſp significant aliquod gratuitũ donum eis diuinitus datum, sicut dictũ est Abrahæ: Appellaberis Abrahã, quia patrem multarum gentium constitui te. Et Petro: Tu es Petrus, &c. Quia igitur Christo hoc munus gratiæ collatũ erat, ut per ipsum oẽs saluarentur: ideo conuenienter uocatũ est nomen eius Iesus, id est, Saluator, Angelo hoc nomen prænuntiante, non solũ matri, sed ẽt Ioseph, qui erat futurus eius nutritius. Et licet his, qui fuerunt ante Christum potuit conuenire hoc nomen Iesus ẜm aliquã aliã rõnem, puta quia aliquam particularem & tẽporalẽ salutem attulerunt: tñ secundùm rõnem spiritualis & uniuersalis salutis hoc nomen proprium est Christo: & secundùm hoc dicitur esse nomẽ nouum.

ART. III. Vtrum Christus conuenienter fuerit in templo oblatus.

Conclusio. Cùm Christus uoluerit sub lege fieri, & ex matre fuerit primogenitus natus: congruũ fuit, ut ex legis præscripto in templo præsentaretur cum obla-

oblationibus in Lege præceptis.

ART. IIII. Vtrum mater Dei conuenienter ad templum purganda accesserit.

Conclusio. Sicut Christus, licet non esset legi obnoxius, uoluit tamen circūcisionem & alia legis onera subire ad demonstrandum humilitatis & obedientiæ exemplum; & ut approbaret legem, & ut calumniæ occasionem Iudæis tolleret, propter eandem rationem uoluit, & matrem suam implere legis obseruantias, quibus tamen non erat obnoxia.

QVAESTIO XXXVIII.

De Baptismo Ioannis, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum fuerit conueniens Ioannem baptizare.

Conclusio. Conueniens fuit Ioānem baptizare propter quatuor, 1. quia oportebat Christum à Ioāne baptizari, ut baptismum consecraret, 2. ut Christus manifestaretur, cōcurrentibus enim turbis ad baptismū annuntiabat Christum: 3. ut suo baptismo assuefaceret homines ad baptismum Christi. 4. ut ad pœnitentiam homines inducens, homines præpararet ad dignè suscipiendum baptismum Christi. Hic autem baptismus Ioannis non erat per se sacramentum: sed quasi quoddā sacramētale disponēs ad baptismū Christi. Et ideo aliqualiter pertinebat ad legem Christi.

ART. II. Vtrum baptismus Ioannis fuerit à Deo.

Conclusio. Baptismus Ioannis, quò ad ritum, fuit à Deo, qui familiari Spiritussancti reuelatione Ioannem ad baptizandum misit. Effectus autem fuit ab homine: quia nihil in illo baptismo efficiebatur, quod homo facere non posset. Vnde non fuit à solo Deo, nisi inquantum Deus in homine operatur.

ART. III. Vtrum in baptismo Ioannis gratia daretur.

Conclusio. Baptismus Ioannis gratiam non conferebat, sed solum ad gratiam præparabat tripliciter, 1. per doctrinam Ioannis inducenté homines ad fidem Christi 2. assuefaciendo homines ad ritum baptismi Christi 3. per pœnitentiam præparando homines ad suscipiendum effectum baptismi Christi.

ART. IIII. Vtrum alij præter Christum, baptismo Ioannis baptizari debuerint.

Conclusio. Non modo Christū, sed alios oportuit baptismo Ioannis baptizari: tùm ut ne quis existimaret baptismum Ioannis, quo Christus est baptizatus, digniorem esse baptismo Christi, quo alij baptizātur: tùm quia oportebat, per baptismum Ioannis alios etiam ad baptismum Christi præparari.

ART. V. Vtrum baptismus Ioannis debuerit cessare Christo baptizato.

Conclusio. Non decuit, Christo baptizato, cessare Ioannis baptismum. 1. ut ne existimaretur, quod zelo uel ira hoc faceret. 2. quia si cessasset à baptizando, Christo baptizāte, discipulos suos in maiorem zelum immisisset. 3. quia persistens in baptizando. suos auditores mittebat ad Christum. 4. quia adhuc permanebat umbra ueteris legis.

ART. VI. Vtrum baptizati baptismo Ioannis essent postea baptismo Christi baptizandi.

Conclusio. Cùm omnes tantum in aqua baptizati essent baptismo Ioannis: non solum erat supplendum quod deerat (ut scilicet daretur eis Spiritussanctus per impositionem manuum) sed erant iteratò totaliter baptizandi in aqua & Spiritu.

QVAESTIO XXXIX.

De Baptizatione Christi, in octo articulos diuisa.

ART.

ARICVLVS I.

VTrum fuerit conueniens Christum baptizari.

Conclusio. Quanquam Christus pro se indiguerit baptizari, uoluit tamen baptizari, 1. ut aquas sanctificaret, 2. ut nostras sordes in se ablueret, totumq; ueteranum Adam immergeret aquę, 3. quia uoluit prius facere, quod faciendum omnibus imperauit.

AR. II. Vtrum Christus baptismo Ioannis debuerit baptizari.

Conclusio. Congruum fuit, Christum baptizari baptismo Ioannis; 1. propter conditionem baptismi Ioānis, qui non baptizauit in Spiritu, sed solum in aqua. Christus autem spirituali baptismate non indigebat, qui à principio suæ cōceptionis gratia Spiritus sancti repletus fuit, 2. ut baptismo suo baptismum Ioannis comprobaret, 3. ut baptismum Ioannis sanctificaret.

AR. III. Vtrū Christus cōueniēti tpe fuerit baptizt⁹.

Conclusio. Christus conuenienter fuit in trigesimo anno baptizatus, 1. quia baptizabatur quasi ex tunc incipiens docere & prædicare, ad quod requiritur perfecta ætas: 2. ut post baptismum Christi, lex cessare inciperet. Et ideo hac ætate ad baptismum uenit, quæ potest omnia peccata suscipere, ut lege seruata, nullus dicat, quod ideo eam soluit, quia implere non potuit. 3. quia per hoc, quod Christus in ætate perfecta baptizatur, datur intelligi, quòd baptismus parit uiros perfectos.

AR. IIII. Vtrū Christus debuerit ī Iordane baptizari.

Conclusio. Per Iordanis fluuium filij Israel in terrā premissionis intrauerunt. Hoc autē habet baptismus Christi speciale præ oībus baptismatibus, quod introducit in regnū Dei: ꝙ per terram promissionis significatur. Et sicut Helias diuisit aquas Iordanis, quando erat in curru igneo rapiendus in cœlum: ita

transeu,

transeuntibus per aquam baptismi, per igne sp. sancti patet aditus in cœlum. Et ideo côueniens fuit, ut Christus in Iordane baptizeretur.

AR. V. Vtrũ Christo baptizato, cęli debuerit aperiri.

Conclusio Christo baptizato, conuenienter aperti sunt cœli: 1. ut ostenderetur quòd de cætero cœlestis uirtus baptismum sanctificaret. 2. quia per fidem inspicimus cœlestia, quæ sensum & rationem humanã excedunt. 3. quia per baptismum Christi specialiter aperit ut nobis introitus regni cœlestis, qui primo homini præclusus fuerat per peccatum.

AR. VI. Vtrũ côueniēter Spiritus sanctus super Christum baptizatum descenderit in specie columbæ.

Conclusio. Omnes qui baptismo Christi baptizantur, Spiritum sanctum recipiunt nisi ficte accedãt. Et ideo conueniens fuit ut super Christum baptizatum Spiritus sanctus descenderet.

ART. VII. Vtrum illa columba in qua apparuit Spiritus sanctus, fuerit uerum animal.

Conclusio. Non decebat ut filius Dei, qui est ueritas Patris aliqua fictione uteretur; & ideo non phantasticum, sed uerum corpus accepit. Et quia Spiritus sanctus dicitur spiritus ueritatis, ideo etiam ipse ueram columbam formauit, in qua appareret: licet non assumeret ipsam in unitatem personæ. Sunt enim D. Augustini uerba, quòd omnipotenti Deo, qui uniuersã creaturam ex nihilo fabricauit, non erat difficile, uerũ corpus columbæ siue aliorum columborum ministerio figurare, sicut & uerum corpus in utero Mariæ sine uirili semine fabricare, cũ creatura corporea, & in uisceribus fœminæ ad formandum hominē & in ipso mundo ad formandum columbam, imperio Domini uoluntatique seruiret. Dicitur tamen Spiritus sanctus descendisse in specie uel similitudine columbæ: non ad ex-

ad excludendam ueritatẽ columbæ, sed ad ostendendum, quod ipse non apparuit in specie suæ substãtiæ.
ART. VIII. Vtrum conuenienter Christo baptizato fuerit Patris uox audita Filium protestantis.

Conclusio. Baptismus, quo baptizantur fideles, consecratur inuocatione & uirtute trinitatis. Et ideo in baptismo Christi, mysterium Trinitatis demonstratur. Dominus.n. in natura humana baptizatur, Spiritus sanctus descendit in habitu columbæ, Patris uox testimonium Filio perhibẽtis auditur. Et ideo conueniẽs fuit ut ĩ illo baptismo Pater declararet in uoce.

QVAESTIO XL.

De modo conuersationis Christi, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum conueniens fuerit Christum inter homines conuersari.

Conclusio. Cùm Christus in hũc mundum uenerit manifestare ueritatẽ, & ut peccatores saluos faceret, & per ipsum haberemus accessum ad Deũ: decuit ut socialem uitam in mundo duceret, & solitariam non nisi ad tempus.

ART. II. Vtrum Christus austeram uitam in hoc mũdo ducere debuerit.

Conclusio. Decuit Christum, ut non solitariam & austeram, nisi ad tempus, sed communem cum aliis uitam duceret, & se eis in conuersatione cõformaret. Nam post ieiuniũ & desertũ, conueniebat uitæ, secũdũ quã aliquis contẽplata aliis tradit, quam Christu dicitur assumpsisse, ut primo cõtemplationi uacet, & postea ad publicũ actionis descendat, aliis cõuiuẽdo.
AR. III. Vtrũ Christus in hoc mundo debuerit pauperem uitam ducere.

Conclusio. Christum decuit in hoc mundo pauperem uitā ducere. 1. quia hoc erat congruum prædicationis officio. Oportet .n. prædicatores uerbi Dei, ut omnino uacē t prædicationi, omnino à seculariū rerū cura esse absolutos, qꝓ facere nō possunt qui diuitias possident. 2. sicut mortē corporalē assumpsit, ut nobis uitam largiretur spiritualē ita corporalē paupertatē sustinuit, ut nobis diuitias spirituales largiretur. 3. ne si diuitias haberet cupiditati eius prædicatio ascriberetur. 4. ut tanto maior uirtus diuinitatis eius ostenderetur, quanto per paupertatē uidebatur abiectior.

AR. IIII. Vtrū Christus in hac uita secundum legem conuersatus fuerit,

Conclusio. Christus in omnibus secundū legis præcepta conuersatus est. Idque primo, ut legem ueterē approbaret. 2. ut eam obseruando, in seipso consummaret & terminaret, ostendens quod ad ipsum erat ordinata. 3. ut Iudęis occasionem calumniandi subtraheret. 4. ut homines à seruitute legis liberaret.

QVAESTIO XLI.

De tentatione Christi in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum conueniens fuerit Christum tentari.

Conclusio. Christus tentari uoluit. 1. ut nobis contra tentationes auxilium ferret, & sic tentationes nostras suis tētationibus uinceret, sicut mortem nostrā sua morte superauit 2. propter nostrā cautelā, ut nullus quantumcūque sanctus se æstimet securum & immunem à tentatione. 3. propter exemplum, ut scilicet nos instrueret, qualiter diaboli tentationes uincamus. 4. ut nobis fiduciam de sua misericordia largiretur, qui potest compati infirmitatibus nostris Tentatio autem quæ est à carne, non potest esse sine

peccato

peccato: quia huiusmodi tentatio fit per delectationem & concupiscentiam. Et ideo Christus tentari uoluit ab hoste, sed non à carne.

ART. II. Vtrum Christus in deserto tentari debuerit.

Conclusio. Diabolus magis tentat aliquem, cùm est solitarius. Et ideo Christus in desertũ exiuit, quasi ad campum certaminis, ut ibi à diabolo tentaretur; nam nisi certasset diabolus, non uicisset Christus.

ART. III. Vtrum Christi tentatio debuerit esse post ieiunium.

Conclusio. Conuenienter Christus post ie iuniũ tẽtari uoluit. 1. Propter exemplum: quia per ieiunium nos oportet contra tentationes armari. 2. Vt ostenderet, quòd etiam ieiunãtes diabolos aggreditur ad tentandum, sicut alios, qui bonis operibus uacant. 3. Quia post ieiunium secuta est esuries, quæ dedit diabolo audaciam eum aggrediẽdi. Cùm autem esurijt Dominus non fuit ex surreptione inediæ, sed naturæ suæ hominem dereliquit: non enim erat à Deo diabolus, sed à carne uincendus.

ART. IIII. Vtrum fuerit conueniens ordo & modus tentationis Christi.

Conclusio. Diabolus hominem spiritualem nõ statim tentat de grauibus peccatis: sed paulatim a leuioribus incipit, ut postmodum ad grauiora perducat. Quod quidẽ obseruauit in tẽtatione primi hominis. Itaque eundem etiam tentandi ordinem seruauit in Christo, Nam primo tentauit ipsum de eo quòd appetunt quantumcunq; spirituales uiri, scilicet de sustentatione corporalis naturæ per cibum: secundũ processit ad id, quo spirituales uiri quandoque deficiunt: ut scilicet aliqua ad ostentationem operentur, quod pertinet ad inanem gloriam. tertiò perduxit tẽtationem ad id quod iam non est spiritualium uirorum, sed car

nalium, scilicet ut diuitias & gloriam mundi concupiscant usque ad contemptum Dei.

QVAESTIO XLII.
De doctrina Christi, in quatuor articulos diuisa.
ARTICVLVS PRIMVS

VTrum conueniens fuerit Christum Iudæis, & non Gentibus prædicare.

Conclusio. Conueniens fuit, prædicationē Christi tā per ipsum, quā per Apostolos à principio solis Iudæis exhiberi. 1. ut ostēderet per suū aduentū impleri promissiones antiquitus factas Iudæis, nō aūt Gētilibus. 2. ut eius aduētus ostēderetur esse à Deo. Quæ enim à Deo sunt, ordinata sūt. Hoc aūt debitus ordo exigebat, ut Iudæis, qui Deo erāt ꝓpinquiores per fidé & cultū unius Dei, prius doctrina Christi proponeretur, & per eos transmitteretur ad Gentes. 3. ut Iudæis auferret calumniandi materiam, ne iustam haberent excusationem. 4. quia Christus per Crucis uictoriam, meruit potestatem & dominiū super Gētes.

ART. II. Vtrum Christus debuerit Iudæis sine eorum offensione prædicare.

Conclusio. Cùm Scribæ & Pharisæi, Iudæorumq; principes cōmuni aduersarētur populi saluti, debuit Dominus non obstante eorum offensione, publicè ueritatem docere, & durè eorum redarguere errores.

AR. III. Vtrū Christus oīa publicè docere debuerit.

Conclusio. Dominus non omnia profunda suæ sapientiæ sua doctrina manifestauit, non solum turbis, sed nec etiam statim Discipulis. Sed tamen quodcunque dignum duxit alijs tradere de sua sapientia, non in occulto, sed palàm proposuit: licet non ab omnibus intelligeretur.

ART. IIII. Vtrum Christus debuerit doctrinam suã scripto tradere.

Conclusio. Conueniens fuit, Christum doctrinam suã non scripsisse. 1. propter dignitatẽ ipsius. Excellẽtiori. n. doctori excellẽtior modus doctrinæ debetur, & ideo Christo tanquam excellentissimo doctori hic modus cõpetebat, ut doctrinã suã auditorum cordib⁹ imprimeret. Vnde ẽt apud Gentiles Pythagoras & Socrates, qui fuerunt excellentissimi doctores, nihil scribere uoluerunt: 2. propter excellentiã doctrinæ Christi, quæ literis cõprehendi nõ potest, nec capacitate legentiũ. Si aũt Christus scripto doctrinã suã mãdasset, nihil altius de eius doctrina homines æstimarẽt, quã quod scriptura contineret. 3. ut ordine quodã ab ipso doctrina ad oẽs perueniret, dũ ipse. s. Discipulos suos immediatè docuit, qui post modũ alios uerbo & scripto docuerũt. Et quidẽ lex uetus in sensibilib⁹ figuris dabatur, ideoq; ẽt cõuenienter sensibilibus signis scripta fuit. Sed doctrina Chisti, quæ est lex Spiritus vitę, scribi debuit nõ attramento, sed Spiritu Dei uiui, nõ in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.

QVAESTIO XLIII.

De Miraculis à Christo factis in generali, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum Christus debuerit facere miracula.

Cõclusio. Diuinitus cõceditur homini miracula facere: primò & principaliter ad confirmãdam ueritatem, quã aliquis docet: ut dũ aliquis facit opera, quæ solus Deus facere potest, credãtur ea quæ dicũtur esse à Deo. Secundò ad ostẽdendã præsentiã Dei in homine per gratiam Spiritussancti: ut dum scilicet homo facit opera Dei, credatur De⁹ habitare in eo p gratiã.

Vtrunque autem circa Chřistũ erat hominibus manifestandum, scilicet quòd Deus esset in eo per gratiã, non adoptionis, sed unionis: & quòd eius supernaturalis doctrina esset à Deo. Et ideo conuenientissimũ fuit, ut miracula faceret.

AR. II. Vtrũ Christ[9] fecerit miracula diuina uirtute.

Conclusio. Christus quæcunque miracula fecit, diuina uirtute facta fuerunt, cùm uera miracula essent. Nam uera miracula sola uirtute diuina fieri possunt: quia solus Deus potest mutare naturæ ordinem, quod pertinet ad rationem miraculi.

AR. III. Vtrũ Xp̃s cœperit facere miracula in nuptijs.

Cõclusio. Miracula facta sunt à Christo propter cõfirmationem doctrinæ eius, & ad ostendendam uirtutem diuinam in ipso. Et ideo nõ debuit antè miracula facere, quàm docere inciperet, nec incipere docere ante perfectam ætatem. Tùm etiam sic debuit per miracula Deitatem ostendere, ut crederetur ueritas humanitatis ipsius. Et ideo decenter non incepit signa facere in prima ætate: existimassent enim phantasma esse Incarnationem, & ante opportunum tẽpus cruci eũ tradidissent. Illa autem signa quæ quidam dicunt in pueritia à Christo facta, mendacia & fictiones sunt.

AR. IIII. Vtrum miracula per Christum facta sufficienter eius diuinitatem ostenderint.

Conclusio. Miracula, quæ Christus fecit, sufficiẽtia diuinitatis eius testimonia erant. 1. secundùm ipsam speciem operum, quæ transcendebant omnẽ potestatem creatæ uirtutis. 2. propter modum miracula faciẽdi: quia scilicet quasi ex propria potestate miracula faciebat: non autem orando, sicut alij. Vnde dicitur, quòd uirtus de illo exibat, & sanabat omnes. 3. ex ipsa doctrina, qua se Deum dicebat: quæ nisi uera esset, nõ confirmaretur miraculis diuina uirtute factis.

QVAE-

QVAESTIO XLIIII,

De singulis miraculorum speciebus, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum miracula facta per Christum circa spirituales substantias fuerint conuenientia?

Conclusio. Miracula, quæ Christus fecit, argumēta quædam fuerunt fidei, quam ipse docebat. Futurum autem erat, ut per uirtutem diuinitatis eius excluderet dæmonum potestatem ab hominibus credituris in eum. Et ideo conueniens fuit, quòd inter alia miracula etiam obsessos à dæmonibus liberaret.

ART. II. Vtrum conuenienter facta fuerint miracula per Christum circa cœlestia corpora.

Conclusio. Decuit Christum non modo circa inferiores creaturas, sed & circa cœlestia corpora miracula facere ut magis suam diuinitatem comprobaret.

ART. III. Vtrum conuenienter Christus circa homines miracula fecerit.

Conclusio. Conueniens fuit, ut Christus particulariter homines miraculose curando ostenderet se esse uniuersalem & spiritualem hominum saluatorem.

ART. IIII. Vtrum conuenienter Christus fecerit miracula circa creaturas irrationales.

Conclusio. Non modo in hominibus, sed circa irrationales etiam creaturas oportuit Christum miracula facere, ut eius magis ostenderetur diuinitas, cui omnia subiecta sunt.

QVAESTIO XLV.

De Transfiguratione Christi, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum fuerit conueniens Christum transfigurari.

Cõclusio. Christus per suam passionem ad hoc per uenit, ut gloriam obtineret non solum animæ, quam habuit à principio suæ conceptionis, sed etiam corporis. Ad quam etiam perducit, qui uestigia suæ passionis sequuntur. Et ideo conueniens fuit, ut Discipulis suis gloriam suæ charitatis ostenderet, quod est ipsum transfigurari. Nam assumptio charitatis, transfiguratio dicitur.

ART. II. Vtrum claritas Christi in transfiguratione fuerit claritas gloriosa.

Conclusio. Claritas, quam Christus in sua transfiguratione ostendit, fuit gloriæ claritas essentialiter, licet non secundum modum, cum fuerit per modum transeuntis qualitatis. Vnde etiam miraculosa fuit: dicitur tamen imaginaria fuisse, non quin esset uera claritas gloriæ: sed quia erat quædam imago repræsentans illam gloriæ perfectionem, secundum quam corpus erit gloriosum.

ART. III. Vtrum testes transfigurationis conuenienter fuerint inducti.

Conclusio. Conueniens fuit ut de præcedentibus ipsum testes adessent, scilicet Moyses & Helias, & de sequētibus ipsum, scilicet Petrus, Iacobus & Ioānes ut in ore duorū uel trium testium staret hoc uerbum.

ART. IIII. Vtrum conuenienter auditum fuerit testimonium paternæ uocis in transfiguratione.

Conclusio. Adoptio filiorum Dei est per quandam conformitatem imaginis ad filium Dei naturalem. Quod quidem fit, uel per gratiam uiæ, quæ est conformitas imperfecta, uel per gloriam patriæ, quę erit conformitas perfecta. Quia igitur gratiam per baptismum consequimur, in transfiguratione autem præmonstra

monstra

monſtrata eſt claritas figuræ gloriæ:ideo tam in bap tiſmo,quàm in tranſfiguratione conueniens fuit manifeſtari naturalem Chriſti filiationem teſtimonio Patris:quia ſolus eſt perfectè conſcius illius perfectę honorationis ſimul cum Filio & Spiritu ſancto.

QVAESTIO XLVI.

De Paſsione Chriſti in 12. articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum fuerit neceſſarium Chriſtum pati pro liberatione humani generis.

Concluſio. Non fuit neceſſarium Chriſtum pati neceſsitate coactionis, neque ex parte Dei, qui Chriſtũ diffiniuit pati, neque etiã ex parte ipſius Chriſti, qui uoluntariè paſſus eſt. Fuit autem neceſſarium neceſſitate finis. 1. ex parte noſtra, qui per eius paſsionem liberati ſumus. 2. ex parte ipſius Chriſti, qui per humilitatem paſsionis meruit gloriã exaltationis: 3. ex parte Dei, cuius diffinitionẽ circa paſsionẽ Chriſti prænuntiatam in Scripturis, & præfiguratam in obſeruantiam ueteris Teſtamenti, oportebat impleri.

ART. II. Vtrum fuerit poſsibilis alius modus liberationis humanæ, quàm per paſsionem Chriſti.

Concluſio. Quanquam alio modo, quàm per paſſionem, potuerit Deus humanum genus liberare: ſuppoſita tamẽ præſciẽtia & præordinatione Dei de paſſione Chriſti, non erat ſimul poſsibile Chriſtum nõ pati uel hominem alio modo, quàm per eius paſsionem liberari. Et eſt eadem ratio de omnibus his quæ ſunt præſcita & præordinata à Deo.

AR. III. Vtrum fuerit aliquis mod⁹ cõueniẽtior ad liberationẽ humani generis, quã per paſsionẽ Chriſti.

Concluſio. Conuenientius fuit hominem liberari per paſsionem Chriſti, cùm maiora & potiora bona

per eam consecuti fuerimus, quàm per solam Dei uoluntatem. Tùm etiam ut per iustitiam homo á seruitute diaboli deliberaretur, Christo satisfaciẽte pro ipso, non per solam potentiam Deitatis, sed etiam per iustitiam & humilitatem passionis.

ART. IIII. Vtrum Christus pati debuerit in Cruce.

Conclusio. Congruum fuit, ut is, qui pro omnium salute moriturus aduenerit, & pro peccato primi hominis satisfacturus, nõ aliam, quàm mortem Crucis pateretur: Ob hoc præcipuè inter cætera multa, Vt nullũ genus mortis rectè uiuenti homini metuendũ esse illius hominis cruce ostenderetur. nihil enim erat inter omnia genera mortis, illo genere execrabilius & formidabilius.

ART. V. Vtrum Christus omnes passiones sustinuerit.

Cõclusio. Passus est Christus omnes passiones humanas, non quidem secundùm speciem, sed secundũ genus, ut totum humanum etiam ex hoc liberasse genus diceretur.

ART. VI. Vtrum dolor passionis Christi fuerit maior omnibus doloribus.

Cõclusio. Dolores, quos Christus passus est, omnes excesserunt dolores, quos homines pati possunt in hac uita: tum ob alias multas rationes, tùm quia cum uoluit genus humanum à peccatis liberare non sola potestate, sed iustitia: dolor eius sufficeret secundùm humanam naturam ad tantam satisfactionem.

ART. VII. Vtrum Christus passus fuerit secundùm totam animam.

Conclusio. Cùm tota essentia animæ coniungatur corpori existens tota in toto, & tota in qualiter corporis parte: patiente corpore, passus fuit Christus secundùm totam animam, & secundùm omnes eius inferiores

feriores potẽtias. Attamẽ superior ratio non patiebatur in Christo ex parte sui obiecti, scilicet Dei: sed ex parte sui subiecti, prout omnes potentiæ animæ radicantur in essentia eius.

ART. VIII. Vtrum tota anima Christi in passione frueretur fruitione beata.

Cõclusio. Quanquam tota anima Christi per essentiam Deo frueretur in passione, non tamen secundũ omnes suas potestates, sed solum superior in illo rationis pars proprio actu beatorum fruitione fruebatur. Non enim impediebatur circa id quod est sibi proprium, per inferiorem aliquam partem.

ART. IX. Vtrum Christus fuerit conuenienti tempore passus.

Conclusio. Conuenienti tempore Christus passus fuit. Omnia enim proprijs locis & temporibus gessit Saluator.

ART. X. Vtrum Christus fuerit conuenienti loco passus.

Conclusio. Sicut Christus cõuenienti tempore, ita & couenienti loco, extra ciuitatem in Caluariæ mõte passus fuisse dicitur.

ART. XI. Vtrum conueniens fuerit, Christum cum latronibus crucifigi.

Cõclusio. Christus inter latrones crucifixus est, quãtum ad intentionem Iudęorum, ut eorum suspitionis fieret particeps. Quantum uerò ad Dei ordinationẽ, Christum cũ latronibus crucifixus est: quia sicut pro nobis maledictum crucis factus est, sic pro omnium salute inter noxios quasi noxius crucifigitur. Cuius rei & aliæ item rationes à Sanctis assignantur.

ART. XII. Vtrum passio Christi sit eius diuinitati attribuenda.

Conclusio. Pertinet passio Christi ad suppositum diuinæ

diuinæ naturæ ratione naturæ pasſibilis aſſumptæ, non autem ratione diuinæ naturæ impasſibilis.

QVAESTIO XLVII.

De cauſa efficiente Paſsionis Chriſti.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Chriſtus fuerit ab alio occiſus, an à ſeipſo.

Concluſio. Chriſtus non à ſeipſo, ſed à ſuis perſecutoribus fuit occiſus: ſuæ tamen mortis cauſa fuiſſe dicitur, non eam prohibendo, cum poſſet.

AR. II. Vtrum Chriſtus fuerit ex obediētia mortuus.

Conc. Cōuenientisſimū fuit ut Chriſtus ex obediētia pateretur, 1. quia hoc cōueniebat iuſtificationi humanæ, ut ſicut per unius hoīs inobedientiā peccatores conſtituti ſunt multi, ita per unius hoīs obedientiam, iuſti conſtituantur multi. 2. Propter reconciliationē Dei ad hoīes, inquantū ſcilicet ipſa mors Chriſti fuit quoddā ſacrificiū acceptisſimū Deo. Obedientia uerò oībus ſacrificijs antefertur. Et ideo cōueniēs fuit ut ſacrificium pasſionis & mortis Chriſti ex obedientia procederet. 3. Hoc conueniens fuit eius uictoriæ, qua de morte & auctore mortis triumphauit. Nō enim miles uincere poteſt, niſi duci obediat, & ita homo Chriſtus uictoriam obtinuit per hoc quod Deo fuit obediēs. Nam hoc, ait, mandatum accepi à Patre meo ſcilicet ponendi animam, & ſumendi eam.

AR. III. Vtrū Deus Pater tradiderit Chriſtū pasſioni.

Concluſio. Tradidit Deus Pater Chriſtū pasſioni, præordinādo ipſum pro humani generis liberatione pati, tantamque charitatem illi infundendo ut pati uellet, & ipſum à pasſione non liberando, ſed perſequentibus exponendo.

ART. IIII. Vtrum fuerit conueniens, Chriſtum pati à Gentilibus.

Conclusio. In ipso modo passionis Christi præfiguratus est effectus ipsius. Nā passio Christi effectū salutis habuit in Iudæis: quorū plurimi in morte Christi baptizati sunt: & ab illis effectus passionis Christi trāsiuit ad Gentes. Et ideo conueniens fuit, ut Christus à Iudæis pati inciperet, & postea Iudæis tradentibus per manus Gentilium eius passio finiretur.

AR. V. Vtrum Christi persecutores eū cognouerint.

1 Conclusio. Maiores, qui Principes dicebātur, sicut & dæmones cognouerunt eum esse Christum promissum in lege: omnia enim signa uidebant in eo, quę dixerant futura prophetæ. Misterium autem diuinitatis eius ignorabant: sed eorum ignorātia non eos excusabat à crimine, quia erat quodammodo ignorantia affectata. uidebant enim euidentia signa diuinitatis ipsius: sed ex odio & inuidia Christi, ea peruertebant & uerbis eius, quibus se Dei filium fatebatur, credere noluerunt. Minores uerò, id est, populares, qui mysteria Scripturę non nouerant, nō plene cognouerunt ipsum esse, nec Christum, nec filium Dei: licet enim aliqui eorum in eum crediderint, multitudo tamen non credidit. Et si aliquando dubitauerunt, an ipse esset Christus, propter signorum multitudinem & efficaciam doctrinæ: tamen postea decepti fuerunt à suis principibus, ut eum non crederent neq; filium Dei neque Christum.

ART. VI. Vtrum peccatum Christum crucifigētium fuerit grauissimum.

Conclusio. Peccatum principum Iudæorum crucifigētium Christum fuit grauissimum tum ex genere peccati, tum ex uoluntatis malitia: aliorum uerò Iudæorum minus fuit ex circunstantia ignorantiæ: Gentilium uerò magis fuit excusabile ex ignorantia legis & scripturarum.

QVAESTIO XLVIII.

De Modo passionis Christi quantum ad effectum, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum passio Christi causauerit nostram salutẽ per modum meriti.

Conclusio. Christus per suam passionem nõ modo sibi sed omnibus membris suis æternam promeruit salutem: Nam Christo data est gratia, non solum sicut singulari personæ, sed inquantum est caput Ecclesiæ ut scilicet ab ipso redundaret ad membra.

ART. II. Vtrum passio Christi causauerit nostram salutem per modum satisfactionis.

Conclusio. Christus ex charitate & obedientia patiendo, magis Deo aliquid exhibuit, quàm exigeret recompẽsatio totius offensæ humani generis. 1. propter magnitudinẽ charitatis, ex qua patiebatur. 2. propter dignitatem uitę suæ, quam pro satisfactione ponebat, quæ erat uita Dei & hominis. 3. propter generalitatẽ passionis, & magnitudinem doloris assumpti. Et ideo passio Christi non solum sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio fuit pro peccatis humani generis.

ART. III. Vtrum passio Christi operata sit per modũ sacrificij.

Conclusio. Sacrificium propriè dicitur aliquid factum in honorem propriè Deo debitum ad eum placandum. Christus autem seipsum obtulit in passione pro nobis, & hoc ipsum opus, quòd uoluntariè passionem sustinuit, Deo maximè acceptum fuit, utpotè ex charitate proueniens. Vnde manifestum est, quòd passio Christi fuerit uerum sacrificium.

ART. IIII. Vtrum passio Christi operata sit nostram salutem per modum redemptionis.

Con-

Cóclusio. Cùm Christi passio fuerit superabundás pro peccatis & reatu pœnæ humani generis satisfactio : fuit nostram salutem operata per modum ueræ redemptionis. Nam quantũ ad pœnam, principaliter homo erat Deo obligatus sicut summo iudici ; diabolo autem tanquam tortori. Quamuis igitur diabolus iniustè, quantum in ipso erat, hominem sua fraude deceptum sub seruitute teneret, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam : iustum tamen erat hoc hominem pati, Deo permittente quantum ad culpá, & ordinante quantum àd pœnam. Et ideo per respectum ad Deum, iustitia exigebat, quòd homo redimeretur, non autem per respectum ad diabolum. Itaq; nõ erat prætium soluendum diabolo, sed Deo; & ideo Christus sanguinem suum (qui est pretium nostræ redemptionis) non dicitur obtulisse diabolo, sed Deo.

AR. V. Vtrum esse redemptorem, sit propriũ Christi.

Conclusio. Esse immediatè redemptorem, propriũ est Christi, inquantum est homo: quamuis ipsa redemptio possit attribui toti Trinitati, sicut primæ causæ.

ART. VI. Vtrum passio Christi operata sit nostram salutem per modum efficientiæ.

Conclusio. Quamuis nostræ salutis efficiens principale Deus sit: passio Christi tamen efficiens instrumẽtale fuit salutis nostræ.

QVAESTIO XLIX.

De effectibus passionis Christi, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum per passioné Christi simus liberati à peccato.

Conclusio. Passio Christi est propria causa remissionis peccatorum tripliciter. 1. per modum prouocantis ad charitatem: quia cõmendat Deus suam charitatem

tē in nobis, quoniã cũ adhuc inimici eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Per charitatē aũt conſequimur ueniã peccatorũ. 2. per modum redēptionis: quia .n. ipſe eſt caput noſtrũ per paſsionē ſuam, quã ex charitate & obedientia ſuſtinuit, liberauit nos tanquã mēbra ſua à peccatis, quaſi per prætiũ ſuæ paſsionis. 3. p modũ efficientiæ, inquantũ caro ſecundum q̃ Chriſt⁹ paſsionem ſuſtinuit, eſt inſtrumentum diuinitatis, ex quo eius paſsiones & actiones operantur in uirtute diuina ad expellendum peccatum.

AR. II. Vtrum per paſsionem Chriſti ſimus liberati à poteſtate diaboli.

Concluſio. Homo eſt à poteſtate diaboli liberatus per paſsionem Chriſti, 1. inquantũ paſsio Chriſti eſt cauſa remiſsionis peccatorum. 2. inquantum nos Deo reconciliauit. 3. inquantum in paſsione Chriſti Diabolus exceſsit modum poteſtatis ſibi traditæ à Deo, machinando in mortem Chriſti, qui non habebat meritum mortis, cùm eſſet abſque peccato.

AR. III. Vtrum per paſsionem Chriſti homines ſint liberati à pœna peccati.

Concluſio. Per paſsionem Chriſti liberati ſumus à reatu pœnæ. 1. Directè, inquantum paſsio Chriſti fuit ſufficiens & ſuperabundans ſatisfactio pro peccatis totius humani generis. Exhibita autem ſatisfactione ſufficienti, tollitur reatus pœnæ. 2. indirectè, inquantũ paſsio Chriſti eſt cauſa remiſsionis peccati, in quo fundatur reatus penæ. Cæterum paſsio Chriſti ſortitur effectum ſuum in illis tantùm, quibus applicatur per fidem & Charitatem, & per fidei ſacramenta. Nã ad hoc quòd conſequamur effectũ paſsionis Chriſti, oportet nos ei configurari. Configuramur autem ei in baptiſmo ſacramentaliter. Vnde baptizatis nulla pœna ſatisfactoria imponitur, quia ſunt totaliter libe-

rati

rati per ſatisfactionẽ Chriſti. Quia uerò Chriſtus ſemet tãtum pro peccatis noſtris mortuus eſt, ideo non poteſt homo ſecũdariò cõfigurari morti Chriſti per ſacramentum baptiſmi. Vnde oportet, quòd illi qui poſt baptiſmum peccant configurentur Chriſto patienti per aliquid pœnalitatis uel paſsionis, quã in ſe ipſis ſubſtineant: quæ tamẽ multò minor ſufficit quã eſſet cõdigna peccato cooperãte ſatisfactiõe Chriſti.

ART. IIII. Vtrum per paſsionẽ Chriſti ſimus Deo reconciliati.

Cõcluſio. Paſsio Chriſti eſt cauſa reconciliationis noſtræ ad Deum 1. inquãtum remouit peccatum, per quod homines conſtituuntur inimici Dei: 2. inquãtũ fuit ſacrificium Deo acceptiſsimum. Etenim tantum bonum fuit, quòd Chriſtus uoluntariè paſſus eſt: ꝙ propter hoc bonum in natura humana inuentum Deus placatus eſt ſuꝑ omni offenſa generis humani.

ART. V. Vtrum Chriſtus ſua paſsione aperuerit nobis ianuam cœli.

Concluſio. Clauſio ianuæ eſt obſtaculum quoddã prohibens homines ab ingreſſu. Prohibebãtur autẽ homines ab ingreſſu regni cęleſtis propter peccatũ. Per paſsionem autem Chriſti liberati ſumus, non ſolum à peccato communi totius humanæ naturæ, & quantum ad culpam, & quantum ad reatum pœnæ, ipſo ſoluente pretium pro nobis: ſed etiam à peccatis proprijs ſingulorum, qui communicãt eius Paſsioni per fidem & charitatem, & fidei ſacramenta. Et ideo ꝑ paſsionẽ Chriſti aꝑta eſt nobis ianua regni cęleſtis.

AR. VI. Vtrũ Xpus ꝑ ſuã paſionẽ meruerit exaltari.

Cõcluſio. Meritũ importat quãdã æqualitatẽ iuſtitiæ: unde cùm aliquis ſibi ex iuſta uolũtate ſubtrahit quod debebat habere, meretur ut ſibi amplius ſuper addatur, quaſi merces iuſtæ uolũtatis, Chriſtus autẽ

in ſua

in sua passione seipsum humiliauit infra suam dignitatem 1. quantum ad passionem & mortem, cuius debitor non erat: 2. quantum ad locum: qui corpus eius positum est in sepulchro, & anima in inferno. 3. quantum ad confusionem & opprobria, quæ sustinuit. 4. quantum ad hoc quod est traditus humanæ potestati. Et ideo per suam passionem meruit exaltationē. 1. quantum ad resurrectionem gloriosam: 2. quantum ad ascensionem in cœlum: 3. quantum ad confessum paternæ dexteræ, & manifestationem diuinitatis ipsius: 4. quantum ad iudiciariam potestatem.

QVAESTIO L.

De Morte Christi, in sex articulos diuisa

ARTICVLVS I.

VTrum conueniens fuerit Christum mori.

Conclusio. Conueniens fuit Christum mori. 1. ad satisfaciendum pro humano genere, quod erat morti adiudicatū propter peccatum. Est enim cōueniens satisfaciēdi pro alio modus, cùm aliquis se subijcit pœnæ, què alius meruit. Et ideo Christus mori uoluit, ut moriendo, pro nobis faceret. 2. ad ostendendum ueritatem naturæ assumptæ: 3. ut moriendo nos a timore mortis liberaret: 4. ut corporaliter moriēdo similitudini peccati, id est, pœnalitati, daret nobis exemplū moriendi spiritualiter peccato, 5. ut à mortuis resurgendo, & uirtutem suam ostenderet, qua mortem superauit, & nobis spem resurgendi à mortuis daret.

ART. II. Vtrum in morte Christi fuerit separata diuinitas à carne.

Conclusio. Sicut ante mortem caro Christi unita fuit secundùm personam & hypostasim uerbo Dei: ita & remansit unita post mortem, ut scilicet nō esset alia hypostasis uerbi Dei & carnis Christi post mortē.

ART.

ART.III. Vtrum in morte Chriſti fuerit facta ſeparatio diuinitatis ab anima.

Concluſio. Cùm uerbum Dei non ſit ſeparatum in morte à corpore, multò minus ſeparatum eſt ab anima. Vnde ſicut de filio Dei prædicatur id quod conuenit corpori ab anima ſeparato, ſcilicet eſſe ſepultum; ita de eo in Simbolo dicitur, quod deſcendit ad inferos, quia anima eius à corpore ſeparata, deſcẽdit ad inferos.

ART.IIII. Vtrũ Chriſtus ĩ triduo mortis fuerit homo.

Concluſio. Chriſtum uerè fuiſſe mortuum, eſt articulus fidei. Vnde aſſerere illud per quod tollitur ueritas mortis Chriſti, eſt error contra fidem. Et ideo dicere Chriſtum in triduo mortis hominem fuiſſe ſimpliciter & abſolutè loquendo, erroneum eſt. Poteſt tamẽ dici quod Chriſtus in triduo fuit homo mortuus.

ART.V. Vtrum fuerit idem numero corpus Chriſti uiuentis & mortui.

Concluſio. Corpus Chriſti mortuum fuit idem numero ſimpliciter uiuum & mortuum, cum idem ſuppoſitum fuerit uiui & mortui, diuinum ſcilicet: non autem fuit idem numero totaliter, quia non fuit totaliter idem, cum uita ſit aliquid de eſſentia corporis uiuentis. Quod ſi diceretur, corpus Chriſti mortuum totaliter idem remanere: ſequeretur quod nõ eſſet corruptũ corruptione, dico mortis. Nã corruptionis nomen duo ſignificat: uno modo ſeparationem animę à corpore, & alia huiuſmodi: alio modo perfectam diſſolutionẽ in elementa. Ergo incorruptibile dicere corpus Domini ſm primũ corruptionis modum ante reſurrectionem, eſt impium: quia corpus Chriſti non eſſet conſubſtantiale nobis, nec in ueritate mortuum eſſet, nec ſecundũ ueritatẽ ſaluari eſſemus. Secundo autem modo corpus Chriſti fuit incorruptũ.

A R. VI. Vtrum mors Christi aliquid operata sit ad nostram salutem.

Conclusio. De morte Christi loqui possumus, uel ſm quod est in fieri: uel ſm quod est in facto esse. Dicitur aũt mors esse in fieri, qñ aliquis per aliquam passionem uel naturalem uel uiolentã tendit in mortẽ. Et hoc modo idẽ est loqui de morte Christi & de passione ipsius. Sed in facto esse mors Christi cõsideratur ſm quod iam facta est separatio corporis & animæ. Hoc aũt modo mors Christi nõ potest esse causa salutis nostræ per modũ meriti, sed solùm per modũ efficientiæ: inquantũ. s. nec per mortẽ diuinitas separata fuit à Christi carne. & ideo quicquid cõtigit circa carnẽ Christi, etiã anima separata, fuit nobis salutiferũ uirtute diuinitatis unitæ. Consideratur autem propriè alicuius causæ effectus secundùm similitudinem causæ. unde quia mors est quædam priuatio uitæ propriæ effectus mortis Christi attenditur circa remotionẽ eorum quæ contrariantur nostræ saluti, quæ quidẽ sunt mors animę & mors corporis. & ideo per mortem Christi dicitur esse destructa in nobis & mors animæ, quæ est per peccatum nostrum, & mors corporis, quæ consistit in separatione animæ.

QVAESTIO LI.

De sepultura Christi, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum fuerit conueniens Christum sepeliri.

Conclusio. Conueniens fuit ad cõprobandã Christi ueram mortem, & ut spes resurgendi mortuis daretur, & spiritualis mortis & sepulturæ peccatorum fieret hominibus exemplum, ut Christus non modo moreretur, sed ut etiam sepeliretur.

AR. II. Vtrũ conuenienti mõ Christus fuerit sepultꝰ.

con-

Conclusio. Modus sepulturæ Christi ostēditur esse conueniens. 1. quantum ad confirmandam fidē mortis & resurrectionis ipsius. 2. ad commendandam pietatem eorum, qui eum sepelierunt. 3. quantum ad mysterium, per quod informantur illi, qui Christo consepeliuntur in mortem.

ART. III. Vtrum corpus Christi in sepulchro fuerit incineratum.

Conclusio. Christus, ne mors eius naturæ infirmitati ascriberetur, noluit corp⁹ suū qualitercūq; putrefieri, aut qualitercūq; resolui: sed ad ostēsionē uirtutis diuinæ uoluit corpus illud incorruptū ꝑmanere.

ART. IIII. Vtrum Christus fuerit in sepulchro solum una die & duabus noctibus.

Conclusio. Per mortem Christi liberati sumus à duplici morte, & animæ & corporis. hoc significatur per duas noctes, quibus Christus in sepulchro permansit. Mors autem eius, quia non fuit ex peccato proueniens, sed ex charitate suscepta, non habuit rationē noctis, sed diei, & ideo significatum per diem integrum, quo Christus fuit in sepulchro. Et sic conueniens fuit, quòd Christus una die & duabus noctibus esset in sepulchro.

QVAESTIO LII.

De descensu Christi ad inferos, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum fuerit conueniens, Christum ad infernum descendere.

Conclusio. Conueniens fuit Christum ad infernū descendere. 1. ut nos à descensu ad inferos liberaret. 2. ut uicto diabolo ꝑ passionē, uinctos eius eriperet, qui detinebātur in inferno. 3. ut etiam potestatē suā osten-

oſtéderet in inferno, ipſum uiſitando & illuminãdo.

ART. II. Vtrum Chriſtus deſcenderit ad infernum damnatorum.

Concluſio. Chriſtus ſecundùm effectum in omné inferni locum deſcendit: ſecundùm uerò ſubſtantialem præſentiam non niſi ad locum inferni deſcẽdit, in quo iuſti detinebantur, ut quos ipſe per gratiam interius uiſitabat ſecundùm diuinitatem, eos etiam ſecundùm animam uiſitaret & loco.

AR. III. Vtrum Chriſtus fuerit totus in inferno.

Concluſio. Cùm nunquam fuerit corpus & anima Chriſti à perſona filij Dei ſeparata: fuit totus Chriſtus in ſepulchro, in inferno, & ubique, ratione diuinæ naturæ.

ART. IIII. Vtrum Chriſtus aliquam moram traxerit in inferno.

Cõcluſio. Corpus Chriſti manſit in ſepulchro per diem integrum & duas noctes, ad comprobãdum ueritatem mortis ſuæ. Vnde etiam tantundem credendum eſt, animã eius fuiſſe in inferno: ut ſimul anima eius educeretur de inferno, & corpus de ſepulchro.

AR. V. Vtrum Chriſtus deſcendit ad inferos, & ſanctos Patres inde liberauerit.

Concluſio. Cùm per Chriſti paſſionem fuerint homines omnes liberati ab omni reatu pœnæ tam originali, quàm actuali peccato debitæ: credendum eſt, Chriſtum ad inferos deſcendentes Sanctos Patres ex inferno liberaſſe: quamuis ex loco illo non exierint, Chriſto apud inferos commorante. quia ipſa Chriſti præſentia pertinebat ad cumulum gloriæ.

ART. VI. Vtrum Chriſtus aliquos damnatos ab inferno liberauerit.

Concluſio. Illi qui erant in inferno damnatorum, aut penitus fidem paſſionis Chriſti non habuerunt, ſicut

ſicut infideles:aut ſi fidem habuerant,nullam confor mitatem habebant ad charitatem Chriſti patientis. Vnde nec à peccatis ſuis erant mundati. Et propter hoc deſcenſus Chriſti ad inferos non contulit eis libe rationem à reatu pœnę infernalis.

AR.VII. Vtrum pueri,qui cum originali deceſſerāt, fuerint per deſcenſum Chriſti,liberati ab inferno.

Concluſio. Chriſtus ad inferos deſcendens non li berauit pueros qui cum originali peccato deceſſerāt, cùm nullo modo fuerant coniuncti paſsioni Chriſti per fidem & dilectionem. Neq; enim fidem propriā habere potuerant,quia non habuerant uſum liberi ar bitrij: neque per fidem parentū,aut per aliquod fidei ſacramentum fuerant à peccato originali mundati.

ART.VIII. Vtrum Chriſtus ſuo deſcenſu liberauerit animas à purgatorio.

Cōcluſio.Deſcenſus Chriſti ad inferos liberatorius fuit in uirtute paſsionis ipſius. Paſsio autem eius nō habet temporalem uirtutem & tranſitoriam,ſed ſem piternam.Et ſic non habuit tunc maiorem efficaciā, quàm habeat nunc.Et ideò illi,qui fuerunt tales qua les nūc ſunt qui in purgatorio detinētur,non fuerūt, à purgatorio liberati per deſcenſū Chriſti ad inferos. Si qui autem inuenti ſunt tales, quales etiā nunc uirtute paſsionis Chriſti à purgatorio liberātur,tales nihil prohibet per deſcenſum Chriſti ad inferos, à purgatorio eſſe liberatos:illos.ſ. qui iā ſufficienter purgati erant,uel etiam qui dū adhuc uiuerent, meruerūt per fidē & deuotionem ad mortē Chriſti,ut eo deſcē dente,liberarentur à temporali purgatorij pœna.

QVAESTIO LIII.

De Reſurrectione Chriſti, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum fuerit necessarium Christum resurgere.

Conclusio. Necessarium fuit Christũ resurgere. 1. ad commendationẽ diuinæ iustitiæ, ad quã pertinet exaltare illos qui se propter Deũ humiliãt: 2. ad fidei nostræ instructionẽ, quia per eius resurrectionẽ cõfirmata est fides nostra circa diuinitatẽ Christi. 3. ad sublevationem nostræ spei, quia dũ uidemus Christum resurgere, qui est caput nostrum speramus & nos resurrecturos. 4. ad informationẽ uitæ fideliũ: ut & nos in nouitate uitæ ambulemus. 5. ad complementũ nostræ salutis: quia sicut per hoc ꝙ mala sustinuit (humiliatus est) moriendo, ut nos liberaret à malis, ita glorificatus est resurgendo, ut nos promoueret ad bona.

ART. II. Vtrum fuerit conueniens Christum tertia die resurgere.

Cõclusio. Conueniens fuit, ut Christus tertia die à mortuis resurgeret. Nã ad hoc, quòd cõfirmaretur fides de ueritate diuinitatis ipsius, oportuit ꝙ cito resurgeret, & ei⁹ resurrectio nõ differretur usq; ad finẽ mũdi. Ad hoc aũt ꝙ confirmaretur fides de ueritate humanitatis & mortis eius, oportuit morã esse inter mortẽ & resurrectionẽ. si enim statim post mortẽ resurrexisset, uideri posset, ꝙ ei⁹ mors uera nõ fuerit, & ꝑ cõsequẽs nec resurrectio uera. Ad ueritatẽ aũt mortis Christi manifestãdã, sufficiebat ꝙ usque ad tertiã diẽ ei⁹ resurrectio differret: quia nõ cõtingit, quin infra hoc tẽpus, ĩ homine q mortuus uidetur cũ uiuat appareãt aliqua indicia uitæ. Per hoc ẽt ꝙ tertia die resurrexit, significatur, ꝙ per resurrectionẽ Christi tertiũ tẽpus incipiebat: nã incepit in Christi resurrectione tertius status Sãctorũ: nã primus fuit sub figuris legis: secũdus sub ueritate fidei: tertius erit in æternitate gloriæ, quam Christus inchoauit resurgendo.

ART.

ART.III. Vtrum Christus primò resurrexerit.

Conclusio. Resurrectio est reparatio à morte in uitam. Cùm autem aliquis liberatur nõ solum à morte sed etiam à necessitate, & quod plus est, à possibilitate moriendi: hæc est uera & perfecta resurrectio: illa uerò resurrectio, qua quis eripit solũ àb actuali morte est resurrectio imperfecta. Loquendo igitur de resurrectione perfecta, Christus est primus resurgentium: quia ipse resurgendo, primo peruenit ad uitam penitus immortalem. Sed resurrectione imperfecta, quidam alii surrexerunt ante Christum, ad præmonstrandum quasi in quodam signo resurrectionẽ ipsius. illi etiam qui suscitati in ueteri Testamento sunt, & illi qui suscitati sunt à Christo, sic redierunt ad uitam, ut iterum morerentur.

AR.IIII. Vtrũ Christus fuerit causa suę resurrectiõis.

Conclusio. Christus secundum uirtutem suæ diuinitatis causa fuit suæ resurrectionis: secundum humanitatem uerò fuit à Deo & non propria uirtute resuscitatus.

QVAESTIO LIII.

De qualitate Christi resurgentis, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus post resurrectionem habuerit uerũ corpus.

Conclusio. Ad hoc quod esset uera Christi resurrectio, oportuit ut idem corpus Christi iterato eidem animæ uniretur. Et quia ueritas naturæ corporis est ex forma, consequens est quod corpus Christi post resurrectionem & uerum corpus fuerit, & eiusdem naturæ, cuius fuerat prius.

AR.II. Vtrum Christi corpus resurrexerit integrum.

Conc.Corpus Christi in resurrectione fuit eiusdē naturæ, sed alterius gloriæ. Vnde quicquid ad naturā corporis humani pertinet, totū fuit in corpore Christi resurgentis, & ēt integraliter absq; omni diminutione: alioquin nō fuisset perfecta resurrectio, si nō fuisset redintegratū, quicquid per mortem ceciderat.

AR.III.Vtrū Christi corpus resurrexerit gloriosum.

Cōclusio. Corpus Christi in resurrectione fuit gloriosum. 1. Quia resurrectio Christi fuit exemplar & causa nostræ resurrectionis. Vnde cum causa sit potior causato, & exemplar exemplato, multo magis corpus Christi resurgentis fuit gloriosum. 2. Quia per humilitatē passionis meruit gloriam resurrectiōis. 3. Quia anima Christi à principio suæ conceptionis fuit gloriosa per fruitionem diuinitatis perfectam. Est autem dispensatiuè factum, ut ab anima gloria non redundaret in corpus, ad hoc quòd mysterium nostræ redemptionis sua passione impleret . Et ideo peracto hoc mysterio passionis & mortis Christi statim anima in corpus in resurrectione resumptum, suam gloriam deriuauit & ita factum est corpus illud gloriosum.

ART.IIII. Vtrum corpus Christi debuerit cum cicatricibus resurgere.

Conclusio. Decuit animam Christi in resurrectione corpus cū cicatricibus resumere, 1. ut uictoriæ suæ triumphum circūferret: 2. ut dubios in fide firmaret. 3. ut Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, semper ostēdat. 4. ut sua morte redemptis, quàm misericorditer sint adiuti, propositis eiusdem mortis indicijs, insinuet. Postremo, ut in iudicio quam iustè damnantur, ibidem denunciet.

QVAESTIO LV,

De manifestatione Resurrectionis, in .6. artic. diuisa.

ART.

ARTICVLVS I.

Vtrum resurrectio Christi debuerit omnibus manifestari.

Conclusio. Christi gloriosa resurrectio non omni populo manifestari debuit, sed quibusdã à Deo præordinatis, per quos manifestata ab alijs crederet: Nã in iis quæ cognoscuntur ex speciali munere gratiæ, hęc est lex diuinitus instituta, ut à Deo immediate superioribus reuelentur, quibus mediantibus deferantur ad inferiores, sicut patet in ordinatione cœlestiũ Spirituum.

ART. II. Vtrum fuisset conueniens, quod Discipuli uiderent Christum resurgere.

Conclusio. Est hic ordo diuinitus institutus, ut ea quæ supra homines sunt hominibus per Angelos reuelentur. Christus autem resurgens non rediit ad uitam communiter hominibus notam, sed ad uitam quandam immortalem & Deo conformem. Et ideo ipsa Christi resurrectio non debuit immediate ab hominibus uideri, sed eis ab Angelis nuntiari.

AR. III. Vtrum Christus post resurrectionem debuerit continuè cum Discipulis conuersari.

Conclusio. Non debuit Christus, postquam surrexit à mortuis, diu cum Discipulis suis conuersari, ne ad uitam rediisse mortalẽ putaretur: sed ad aliquanto tempore, ut se uerè resurrexisse ostenderet.

AR. IIII. Vtrum Christus debuerit discipulis in alia effigie apparere.

Conclusio. Debuit Christus ad credendum dispositis in propria post resurrectionem apparere effigie: cæteris autem minus dispositis effigie mutata pro uaria illorum dispositione. Innotescunt enim diuina hominibus diuersimode, secundum quod diuersimode sunt effecti.

ART.V.Vtrum Christus ueritatem resurrectionis debuerit argumentis declarare.

Conc.Christus nõ probauit resurrectionẽ suã per euidẽtia Discipulis argumenta,sed sacræ Scripturę testimonio cõtentus est:probauit aũt ẽm quædã euidentia signa,se uerè à mortuis resurrexisse : tũ quia non erãt corda eorũ disposita,ad hoc quòd de facili fidem resurrectiõis acciperẽt,tũ ut per huiusmodi signa eis ostensa efficacius eorum testimonium redderetur.

ART.VI.Vtrum argumenta, quæ Christus induxit, sufficienter manifestauerint resurrectionem eius.

Conclusio.Christus resurrectionem suam manifestauit dupliciter,scilicet testimonio, & argumento siue signo. Et utraque manifestatio in suo genere fuit sufficiens.Est enim usus duplici testimonio ad manifestandam suam resurrectionem Discipulis: quorum neutrum potest refelli . Quorum primum est testimonium Angelorum, qui mulieribus resurrectionem annuntiauerunt . Aliud autem est testimonium Scripturarum, quas ipse proposuit ad ostensionem suæ resurrectionis . Argumenta etiam fuerunt sufficientia ad ostendendam ueram resurrectionem, & gloriosam. Quod autem fuerit uera resurrectio, ostendit ex parte corporis. 1. quod esset corpus uerum & solidum , non corpus phantasticum uel rarum,sicut est aer. Et hoc ostendit per hoc quod corpus suum palpabile præbuit. 2. ostendit quod esset corpus humanum ostendendo eius ueram effigiem, quam oculis intuerentur.3.quòd esset idem numero corpus,quod prius habuerat ostendendo eis uulnerum cicatrices. Itidem ostendit eis ueritatem suæ resurrectionis ex parte animæ, iterato corpori unitæ, 1.Per opus uitæ nutritiuæ,in hoc quod cum discipulis manducauit & bibit. 2.per opera uitæ sensitiuæ, in

hoc

hoc quòd Discipulis ad interrogata respondebat, & præsentes salutabat, in quo ostendebat se & uidere & audire, 3. per opera uitæ intellectiuę, in hoc quod eis loquebatur & Scripturis disserebat. Et ne quid deesset ad perfectionẽ manifestationis, ostendit etiã se habere diuinam naturam, per miraculũ quod fecit in piscibus capiendis, & ulterius per hoc quòd eis uidentibus ascendit in cœlum. Gloriam etiam suæ resurrectionis ostẽdit Discipulis, ꝑ hoc quòd ad eos ianuis clausis intrauit, & ꝙ subito ab oculis eorum euanuit.

QVAESTIO LVI.

De Resurrectionis Christi causalitate, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum resurrectio Christi sit causa resurrectionis corporum.

Conclusio. Illud quod est primum in quolibet genere, est causa omniũ, quæ sunt post. Primum autẽ in genere nostræ resurrectionis fuit resurrectio Christi Vnde oportet quòd sit causa nostræ resurrectionis. Habet enim hoc naturalis ordo rerum diuinitus institutus, ut quælibet causa primò operetur in id qđ est sibi propinquius, & per illud operetur in alia magis remota: sicut ignis primò calefacit aërem sibi propinquũ, per quẽ calefacit corpora distantia, & ipse Deus primò illuminat substantias sibi propinquas, ꝑ quas illuminat magis remotas. Et ideo uerbũ Dei primò tribuit uitã immortalẽ corpori sibi naturaliter unito & ꝑ ipsum operatur resurrectionẽ in omnibus alijs.

ART. II. Vtrum resurrectio Christi sit causa resurrectionis animarum.

Cócl. Resurrectio Christi agit in uirtute diuinitatis, quæ quidẽ se extẽdit non solum ad resurrectionẽ

corporũ, ſe ẽt ad reſurrectionẽ animarũ: à Deo.n. eſt, & ꝙ anima uiuat per gratiam, & ꝙ corpus uiuat per animã. Et ideo reſurrectio Chriſti habet inſtrumẽtaliter uirtutẽ effectiuã, non ſolũ reſpectu reſurrectionis corporũ, ſed ẽt reſpectu reſurrectionis animarũ. Similiter etiam habet rationẽ exemplaritatis reſpectu reſurrectionis animarum: quia Chriſto reſurgenti debemus etiam ſecundum animam conformari.

QVAESTIO LVII.

De Aſcenſione Chriſti, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum fuerit conueniens Chriſtum aſcendere.

Concluſio. Locus debet eſſe proportionatus locato Chriſtus autem poſt reſurrectionem, uitam immortalem & incorruptibilem inchoauit. Locus autem, in quo nos habitamus, eſt locus generationis & corruptiõis; ſed locus cęleſtis eſt locus ĩcorruptiõis. Et ideo nõ fuit cõueniẽs, ꝙ Chriſt⁹ poſt reſurrectionẽ remaneret in terris, ſed cõueniẽs fuit ꝙ aſcendere in cęlũ.

ART. II. Vtrum conueniat Chriſto aſcendere in cœlum ſecundum diuinam naturam.

Concluſio. Aſcendere non poteſt conuenire Chriſto ſecundũ cõditionem diuinæ naturæ, tũ quia nihil eſt diuinitate altius, quò poſſit aſcendere. tum etiam quia aſcenſio eſt motus localis, qui diuinæ naturæ nõ cõpetit, quæ eſt immobilis & illocalis. Sed per hunc modum aſcenſio competit Chriſto ſecundum humanam naturam, quæ continetur loco, & motui ſubiici poteſt. Vnde ſub hoc ſenſu poterimus dicere; quod Chriſtus aſcendit in cœlum ſecundum quod homo, non ſecundum quod Deus. Prout uerò Chriſtus ex uirtute diuinitatis in cœlum aſcendit, non autem ex uirtute humanæ naturæ: dicẽdum eſt, quòd Chriſtus

ascendit in cœlum, non secundùm quòd homo, sed secundùm quod Deus.

AR. III. Vtrum Christus ascenderit propria uirtute.

Conclusio. Christus ascẽdit in cœlum propria uirtute, primò quidem uirtute diuina, secundò uirtute animæ glorificatæ, mouentis corpus, prout uult.

ART. II. Vtrum Christus ascenderit super omnes cœlos.

Conclusio. Cùm corpus Christi gloriosum perfectissimo modo diuinam participauerit bonitatem: decuit ut super omnes cœlos eleuaretur.

A R T. V. Vtrum corpus Christi ascenderit super omnem creaturam spiritualem.

Conclusio. Quanquam Christi corpus secundũ suę naturæ conditionem sit infra substantias spirituales: ut coniunctum autem Deo in persona cùm sit omnibus spiritualibus substantijs excellentius, decuit ut super omnem creaturam etiam spiritualem eleuaretur.

A R T. VI. Vtrum ascensio Christi sit causa nostræ salutis.

Cõclusio. Ascensio Christi est causa nostrę salutis, & ex parte nostra: & ex parte ipsius. Ex parte quidem nostra, inquantum per Christi ascensionem mens nostra mouetur in ipsum: quia per eius ascensionem, primò quidem datur locus fidei, secundò spei, tertiò charitati. Quartò etiam per hoc reuerentia nostra augetur ad ipsum, dum iam non existimamus eum sicut hominem terrenum, sed sicut Deum cœlestem. Ex parte autem sua quantum ad ea quæ ipse fecit, ascendens propter nostram salutẽ: 1. uiã nobis præparauit ascendendi in cœlum. 2. ad interpellandum pro nobis, 3. ut in cœlorum sede quasi Deus & Dominus cõstitutus, exindę diuina dona hominibus emitteret.

QVAESTIO LVIII.

De Sessione Christi ad dexteram Patris, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum Christo conueniat sedere ad dexteram Dei Patris.

Cōclusio. Christo cōuenit sedere ad dexterā Patris, & inquantū æternaliter manet incorruptibilis in beatitudine Patris, quæ eius dextera dicitur, & inquantū Patri cōregnet, & ab eo habet iudiciariam potestatē.

AR. II. Vtrum sedere ad dexteram Patris, cōueniat Christo secundùm quod Deus.

Conclusio. Nomine dexteræ tria intelligi possunt, gloria diuinitatis: beatitudo Patris: iudiciaria potestas. Sessio autem uel habitationem, uel regiam seu iudiciariam dignitatem designat. Vnde sedere ad dexteram Patris, nihil aliud est, quàm simul cū Patre habere gloriam diuinitatis, & beatitudinem, & iudiciariam potestatē: & hoc immutabiliter & regaliter. Hoc autem conuenit filio Dei, secūdùm quòd Deus. Vnde Christus, secundùm quòd Deus, sedet ad dexteram Patris. Ita tamen quòd hæc præpositio ad, quæ transitiua est, solam distinctionem personalem importat, & originis ordinem, non autem gradum naturæ, uel dignitatis, qui nullus est in diuinis personis.

AR. III. Vtrum sedere ad dexteram Patris conueniat Christo, secundùm quod homo.

Conclusio. Christus, secundùm quod Deus sedere dicitur ad dexteram Patris, prout unam cum illo naturam habet: item secundùm quod homo, sedet ad illius dexteram, ut homo diuinū denotat suppositū, eodem dignum honore in natura assumptā: at ut homo designat conditionem naturæ. Christus, secundū

quod

quod homo, sedet ad dexteram Patris, id est, in bonis paternis potioribus, præ cæteris creaturis, id est, in maiori beatitudine, & habens iudiciariam potestatẽ.

AR. IIII. Vtrum sedere ad dexteram Patris, sit proprium Christi.

Conclusio. Christus dicitur sedere ad dexteram Patris, inquantum secundùm diuinam naturam est in æqualitate Patris, secundùm autem humanam naturam in excellenti possessione diuinorum bonorum præ cæteris alijs creaturis. Vtrũque autẽ soli Christo conuenit, & nulli alij, nec angelo, nec homini.

QVAESTIO LIX.

De iudiciaria potestate Christi, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum iudiciaria potestas sit specialiter Christo attribuenda.

Conclusio. Ipsa ratio iudicij est lex sapientiæ uel ueritatis, secundùm quã iudicatur. Et quia Filius est sapientia genita, & ueritas à Patre procedens, & ipsũ perfectè repræsentãs, ideo proprie iudiciaria potestas attribuitur filio Dei.

AR. II. Vtrum iudiciaria potestas conueniat Christo secundùm quod est homo.

Cõclusio. Quãuis apud Deum remaneat primæua auctoritas iudicandi: hominibus tñ cõmittitur à Deo iudiciaria potestas respectu eorũ, qui eorũ iurisdictioni subijciuntur. Christus aũt ẽt in natura humana est caput totius Ecclesiæ, & sub pedibus eius De⁹ omnia subiecit. Vnde ad eum pertinet, etiam secundùm naturam humanam, habere iudiciariam potestatem.

AR. III. Vtrum Christus ex meritis adeptus fuerit iudiciariam potestatẽm.

Concl. Non modo iudiciarie Christi potestati Angeli subduntur secundum divinā naturam, sed secundum humanā, quia Christus ut homo, est omnium caput etiam Angelorum.

Questio LX
De Sacramentis in octo articulis divisa
Artic: I.
Utrum Sacramentum sit in genere signi

Concl. Sacramentum potest aliquid dici, vel quia in se habet aliquam Sanctitatem occultam (et secundum hoc Sacramentum idem est quod sacrum secretum) vel quia habet aliquem ordinem ad hanc Sanctitatem vel causę, vel signi, vel secundum quamcumque aliquam habitudinem. Specialiter autem nunc loquimur de Sacramentis secundum quod important habitudinem signi, et secundum hoc Sacramentum ponitur in genere signi.

Art. II Utrum omne signum rei sacrę sit

sit Sacramentum.

Concl: Signa propriè dantur hominibus, quorum est per nota ad ignota pervenire. Et ideò proprie dicitur Sacramentum, quod est signum alicuius rei sacrę ad homines pertinentis: ut scilicet propriè dicatur Sacramentum, quod est signum rei sacrę, in quantum est sanctificans homines.

Art: III. Utrum Sacramentum sit signum unius rei tantum.

Concl: Sacramentum propriè dicitur, quod ordinatur ad significandam nostram Sanctificationem. In qua tria possunt considerari, videlicet ipsa causa sanctificationis nostrę, quę est passio Christi, et forma nostrę sanctificationis, quę consistit in gratia, et virtutibus: et ultimus finis sanctificationis nostrę, qui est vita ęterna. Et hęc omnia per Sacramenta significantur. Unde Sacramentum est signum

reme:

rememorativum eius quod præcessit, scilicet passionis Christi, et demonstrativũ eius quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiæ, et prognosticum, id est prænunciativum futuræ gloriæ. Hæc autem tria quodam ordine sunt unum.

Art. IV. Utrum Sacramentum sit semper aliqua res sensibilis.

Concl: Est homini connaturale, ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilium. Signum autem est, per quod aliquis devenit in cognitionem alterius. Unde cum res sacræ, quæ per Sacramenta significantur, sint quædam spiritualia, et intelligibilia bona, quibus homo sanctificatur: consequens est, ut per aliquas res sensibiles significatio Sacramenti impleatur. Et inde est, quod ad Sacramenta requiruntur res sensibiles.

Art. V. Utrum requirantur res determina=

per rem uisibilem corpus tangit, & per uerbum ab anima creditur. 3. ex parte ipsius significationis sacramentalis. Nam quia per uerba magis distinctè possumus exprimere quod mente concipimus: ideo ad perfectionem significationis sacramentalis, necesse fuit, ut significatio rerum sensibilium per aliqua uerba determinaretur. Itaque ex uerbis & rebus fit quodammodo unum in sacramentis, sicut ex forma & materia: inquantum. s. per uerba perficitur significatio rerum.

ART. VII. Vtrum requirantur determinata uerba in Sacramentis.

Conclusio. Cùm in sacramentis requirantur determinatæ res sensibiles, quæ se habent in sacramentis sicut materia, multò magis requiritur in eis determinata forma uerborum.

ART. VIII. Vtrum liceat aliquid addere uerbis, in quibus consistit forma sacramentorum.

Conclusio. Si quis intendat per quamcunque additionem uel diminutionem alium ritum inducere, qui non sit ab ecclesia receptus, non uidetur perfici sacramentum: quia non uidetur quòd intendat facere id quod facit Ecclesia. Item si diminuatur aliquid eorum quæ sunt de substantia formæ sacramentalis, tollitur debitus sensus uerborum: & ideo non perficitur sacramentum. Si autem subtrahatur aliquid quod non sit de substantia formæ, talis diminutio non tollit debitum sensum uerborum, & per consequens nec sacramenti perfectionem. Circa additionem etiam contingit aliquid apponi, quod est corruptiuum debiti sensus: & talis additio tollit ueritatem sacramenti. Si uero sit talis additio, quæ non auferat debitum sensum, non tollitur sacramenti ueritas. Nec refert utrum talis additio fiat in principio, medio, uel in fine.

QVAESTIO LXI.

De necessitate Sacramentorum, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum Sacramẽta sint necessaria ad humanã salutẽ.

Conclusio. Sacramenta sunt necessaria ad humanã salutem triplici ratione. 1. ex conditione humanæ naturæ, cuius proprium est, ut per corporalia & sensibilia in spiritualia & intelligibilia deducatur. 2. ex statu hominis, qui peccãdo se subdidit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi, ubi patitur morbum. Et ideo conueniens fuit, ut Deus per quędam corporalia signa, homini spiritualem medicinam adhiberet: 3. ex studio actionis humanæ, quæ præcipuè circa corporalia uersatur. Ne ergo esset homini durum, si totaliter à corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad euitanda superstitiosa exercitia, uel qualitercunque noxia. Et sic per sacramentorum institutionem, homo conuenienter suæ naturæ eruditur per sensibilia: humiliatur, se corporalibus subiectum cognoscens, dum sibi per corporalia subuenitur: præseruatur etiam à noxijs actionibus per salubrrã exercitia sacramentorum.

AR. II. Vtrum etiam ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta.

Conclusio. In statu innocẽtiæ homo non indigebat Sacramentis, nec pro remedio peccati, nec pro perfectione animæ.

ART. III. Vtrum post peccatum ante Christum, Sacramenta debuerint esse.

Conclusio. Nullus sanctificari potest post peccatũ,

nisi

nisi per Christum, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostēsionem iusti tiæ suæ, ut sit ipse iustus & iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi. Et ideo oportebat ante Christi aduentum esse quædam signa uisibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro saluatoris aduētu.

ART. IIII. Vtrum post Christum debuerint esse aliqua Sacramenta.

Conclusio. Præter ueteris Legis sacramēta, quibus Christi mysteria futura prænuntiabantur, oportuit alia quædam esse in noua Lege sacramenta, quibus significarentur ea, quæ præcesserunt in Christo. Hic enim quamdiu per speculum & in ęnigmate cognoscimus, oportet nos per aliqua sensibilia signa, in spiritualia deuenire.

QVAESTIO LXII,

De principali effectu Sacramentorum, qui est gratia, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum Sacramenta sint causa gratiæ.

Cōcl. Tametsi solus Deus effectiua & principalis causa gratię sit, sacra tñ nouæ legis causant ipsam per modū instrumēti. Adhibenť enim ex diuina ordinatione hoībus, ad grām in eis causandā. Itaque sacra nouæ Legis, simul sunt causæ & signa: & inde est ꝙ sicut cōmuniter, dicit, efficiunt ꝙ figurāt. Ex quo ēt habent perfecte rationem sacri, inquantum ordinanť ad aliquid sacrum, non solùm per modum signi, sed etiam per modum causę.

ART. II. Vtrum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam uirtutum & donorum.

Conclusio. Gratia secundùm se cōsiderata, perficit essentiam animæ, inquantum participat quādam si-

militudinem diuini eſſe. Et ſicut ab eſſentia animæ fluunt eius potentiæ: ita à gratia fluunt quædam perfectiones ad pontentias animæ, quæ dicũtur uirtutes & dona, quibus potẽtiæ perficiũtur in ordine ad ſuos actus. Ordinantur autem ſacramẽta ad quoſdam ſpeciales effectus neceſſarios in uita Chriſtiana, præter actus potentiarum animæ. Sicut igitur uirtutes & dona addunt ſuper gratiam communiter dictam, quandam perfectionem determinatè ordinatam ad proprios actus potentiarum: ita gratia ſacramentalis addit ſuper gratiam communiter dictam, & ſuper uirtutes & dona, quoddam diuinum auxilium ad conſequendum Sacramenti finem.

AR. III. Vtrũ Sacramẽta nouę legis cõtineãt gratiã.

Concluſio. Gratia eſt in Sacramento nouę legis ſecundùm quandam inſtrumentalem uirtutem quę eſt fluens & incompleta in eſſe naturæ. Et ideo non inconuenienter Sacramentum dicitur cõtinere gratiã.

A R T. IIII. Vtrum in Sacramentis ſit aliqua uirtus gratiæ cauſatiua.

Concluſio. Cùm Sacramentum ſit inſtrumentalis cauſa gratiæ, neceſſe eſt quòd in Sacramento ſit quędam uirtus inſtrumentalis ad inducendum ſacramẽtalem effectum. Et hæc uirtus proportionatur inſtrumẽto. Nam uirtus principalis agentis habet permanẽs & completum eſſe in natura, uirtus autem inſtrumentalis habet eſſe tranſiens ex uno in aliud, & incompletum.

A R T. V. Vtrum Sacramenta nouæ legis habeant uirtutem ex paſſione Chriſti.

Cõcluſio. Principalis cauſa efficiens gratię eſt ipſe Deus, ad quem comparatur humanitas Chriſti, ſicut inſtrumentum coniũctum: ſacramẽtum autem, ſicut inſtrumẽtum ſeparatum. & ideo oportet quòd uirtus

salutifera, à diuinitate Christi, per eius humanitatem î ipsa sacramēta deriuet. Vnde sacramēta Ecclesiæ specialiter habēt uirtutē ex passiōe Christi cuius uirtus quodāmodo nobis copulatur ꝑ susceptionē sacramētorū. In cui⁹ signū de latere Christi pendētis î Cruce fluxerūt aqua & sāguis, quorū unū pertinet ad Baptismū, aliud ad Eucharistiā, q̄ sūt potissima Sacramēta.

ART. VI. Vtrū Sacrã ueteris legis gratiã causarent.

Conc. Virtus passionis Christi copulatur nobis per fidē & sacramenta, differenter tñ. Nã continuatio, quę est per fidē, fit per actũ animæ: continuatio aũt, quæ est per sacramenta, fit per usum exteriorũ rerũ. Nihil aũt prohibet id quod est posterius tp̄e anteq̄ fit, mouere secundum ꝙ præcedit in actu animę. Sed illud ꝙ nondum est in rerum natura non mouet secundum usum exteriorum rerum. Idcirco ex passione Christi, quæ est causa humanæ iustificationis, cōuenienter deriuatur uirtus iustificatiua ad sacramenta nouæ legis, non aũt ad sacramenta ueteris legis: & tamen per fidē passionis Christi iustificabantur antiqui Patres, sicut & nos. Itaque sacramenta ueteris legis non habebant in se aliquam uirtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam iustificantem, sed solum significabant fidem per quam iustificabantur.

QVAESTIO LXIII.

De effectu Sacramentorum, qui est character, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum Sacramentum imprimat aliquem characterem in anima.

Conclusio. Sacramenta nouæ Legis ordinantur, & ad remedium contra peccata, & ad perficiendum animam in his quæ pertinent ad cultum Dei, secundum

ritum Chriſtianæ uitæ. Quicunque autem ad aliquid certum deputatur, conſueuit ad illud conſignari, ſicut milites qui aſcribebantur ad militiam, antiquitus ſolebant quibuſdã characteribus corporalibus inſigniri: eò quòd deputabãtur ad aliquid corporale. Et ideo cum homines per ſacramenta deputentur ad aliquid ſpirituale pertinens ad cultum Dei, cõſequens eſt ꝙ per ea fideles aliquo ſpirituali charactere inſigniãtur.

ART.II. Vtrum character ſit ſpiritualis poteſtas.

Concluſio. Cum charactere homines per ſacramẽta inſigniantur ad ea peragenda, quæ diuini ſunt cultus: neceſſarium eſt illum eſſe quandam animæ collatam ſpiritualem poteſtatem, quæ ad genus qualitatis ſub ſecunda eius reducitur ſpecie.

ART:III. Vtrum character ſacramẽtalis ſit character Chriſti.

Concluſio. Totus ritus Chriſtianæ religionis deriuatur à ſacerdotio Chriſti. Et ideo manifeſtum eſt, quod character ſacramẽtalis ſpecialiter eſt character Chriſti, cuius ſacerdotio configurantur fideles ſecundum ſacramentales characteres. Qui nihil aliud ſunt quàm quædam participationes ſacerdotij Chriſti, ab ipſo Chriſto deriuatæ. Vnde propriè eſt character Chriſti.

ART.IIII. Vtrum character ſit in potentiis animæ ſicut in ſubiecto.

Concluſio. Cum charactere inſigniantur fideles ad ſuſcipiendum, uel aliis tradendum, quæ ſunt diuini cultus, quod actibus perficitur: character non eſt ſicut in ſubiecto in eſſentia animæ, ſed in eius potentia. Nam omne quod ad actum ordinatur, eſt potentiæ tribuendum.

ART.V. Vtrum character inſit animæ indelebiliter.

Concluſio. Sacerdotiũ Chriſti eſt æternum, ideoq; omnis

omnis sanctificatio, quæ fit per sacerdotium eius, est perpetua, re cõsecrata manente. Cum igitur anima sit subiectũ characteris ſm intellectiuã partẽ, in qua est fides manifestũ est, q; sicut ĩtellectus perpetuus est & ĩcorruptibilis, ita character ĩdelebiliter manet ĩ aĩa.

AR. VI. Vtrum per omnia sacramenta nouæ legis imprimatur character.

Conclusio. Per tria tantum nouæ legis sacramenta character imprimitur, per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem: per hæc enim specialiter homo sanctificatur quadam cõsecratione, utpote deputatus ad diuinum cultum: non autem per alia, neque per Eucharistiæ Sacramentum, per quod non ordinatur homo ad aliquid aliud ulterius agendum uel recipiendum in sacramentis: cum potius sit finis & consummatio omnium sacramentorum. Continet tamen in se ipsum Christum, in quo non est character: sed tota sacerdotij plenitudo.

QVAESTIO LXIIII.

De causa Sacramentorum, in decẽ articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum solus Deus operetur interius ad effectum Sacramenti.

Conclusio. Solus Deus operatur interiorẽ effectũ sacramenti: tùm quia solus Deus illabitur animæ, in qua sacramenti effectus existit: tùm quia gratia, quæ est interior sacramenti effectus, est à solo Deo, Character etiam, qui est interior quorundam sacramentorum effectus, est uirtus instrumentalis, quæ manat à principali agente, quod est Deus. Homo tamen potest operari ad interiorem effectũ sacramenti, inquantum operatur per modum ministri. nam eadem ratio est ministri & instrumenti; utriusque enim actio exterius

rius adhibetur. Sed sortitur effectum interiorē ex uirtute principalis agētis, qđ est Deus. Vnde etiam effectus sacramēti nō datur melior per meliorē ministrū. aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti sacramentum per deuotionem ministri, qui tamē nō illud operatur, sed impetrat operandum à Deo.

ART. II. Vtrum Sacramenta sint solum ex institutione diuina.

Conclusio. Cùm uirtus Sacramenti sit à solo Deo, solus ille sacramentorum institutor est.

AR. III. Vtrum Christus, ſm quod homo habuerit potestatē operandi interiorem effectū sacramentorū.

Conclusio. Interiorem sacramentorum effectū operatur Christus & secundùm quod est Deus, per auctoritatem: secundum autem quod est homo, meritoriè & efficienter, sed instrumentaliter, inquantum humanitas est instrumentū diuinitatis eius. Sed tamē quia est instrumentum coniunctum diuinitati in persona, habet quandā principalitatem & causalitatem respectu instrumētorum extrinsecorum, qui sunt ministri Ecclesię. Et ideo sicut Christus inquantum Deus, habet potestatem auctoritatis in sacramentis: ita inquātum homo, habet potestatem ministerij principalis, siue potestatem excellentiæ.

AR. IIII. Vtrum Christus potestatem suam, quam habuit in sacramentis potuerit ministris communicare.

Cōclusio. Nō potuit Christus auctoritatis potestatem cuiquam conferre, sicut nec diuinam essentiam: sed excellentiæ potestatem, quæ competit ei secundū quod homo, potuit ministris communicare, dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus, ut ad inuocationem nominum ipsorum, sanctificarētur sacramēta, & ut ipsi possent sacramēta instituere, &

fine

ſine ritu ſacramentorum effectum ſacramentorum conferre ſolo imperio.

ART. V. Vtrum per malos miniſtros Sacramenta conferri poſſint.

Concluſio. Miniſtri Eccleſię cùm inſtrumentaliter operentur in ſacramentis, ſacramenta conferre poſſunt, etiam ſi mali ſint. Nam inſtrumentum non agit ſecundum propriam formam aut uirtutem, ſed ſecũdum uirtutem eius, à quo mouetur.

ART. VI. Vtrum mali, miniſtrantes ſacramenta, peccent.

Concluſio. Mali, miniſtros ſe exibentes Dei & Eccleſiæ in ſacramentorum diſpenſatione, peccãt, quorum peccato ex ſuo genere mortale eſt.

AR. VII. Vtrũ Angeli poſſint ſacramẽta miniſtrare.

Concluſio. Tota uirtus ſacramentorũ à paſſione Chriſti deriuatur, quæ eſt Chriſti ſecũdùm quod eſt homo: cui in natura conformantur homines, nõ autem Angeli. Et ideo ad homines pertinet diſpenſare ſacramenta, & in eis miniſtrare: non autem ad Angelos. Sciẽdum tamen, quòd ſicut Deus uirtutem ſuam non alligauit ſacramẽtis, quin poſſit ſine ſacramẽtis effectus ſacramentorum conferre: ita etiam uirtutem ſuam non alligauit Eccleſiæ miniſtris quin etiam angelis poſſit uirtutem tribuere miniſtrandi in ſacramentis. Et ideo ſi aliquod ſacramentale miniſterium à bonis angelis perficeretur, eſſet ratum habendum: non autem à dæmonibus.

ART. VIII. Vtrum intentio miniſtri requiratur ad perfectionem ſacramenti.

Concluſio. Cùm ea quæ in ſacramentis geruntur poſſint diuerſimodè, & porpter diuerſa agi: neceſſaria eſt in ſacramentorum adminiſtratione intentio miniſtrantis ſeu Eccleſiæ.

ART.

ART. IX. Vtrũ fides miniſtri ſit de neceſsitate Sacri.

Concluſio. Quia miniſter in ſacramẽtis inſtrumẽtaliter operatur, nõ agit in uirtute propria, ſed in uirtute Chriſti. Vnde ſicut non requiritur ad perfectionem ſacramenti quòd miniſter ſit in charitate, ſed poſſunt etiam peccatores ſacramẽta conferre: ita nõ requiritur ad perfectionem ſacramenti fides eius: ſed infidelis poteſt uerum ſacramentum præbere, dummodo cætera adſint, q̃ ſunt de neceſsitate ſacramẽti.

ART. X. Vtrum intentio recta miniſtri requiratur ad perfectionem ſacramenti.

Concluſio. Intẽtio miniſtri peruerſa & mala reſpectu ſacramenti, puta cùm aliquis non intendit ſacramentum conferre, ſed deriſoriè aliquid agere, tollit ueritatem ſacramenti, præcipuè quando ſuam intentionem exterius manifeſtat. Sed peruerſa intẽtio miniſtri quantum ad id quod ſequitur ſacramentum, ut eo pòſt abutatur, ueritatem ſacramẽti non tollit, ſed ipſe miniſter ex tali intentione grauiter peccat.

QVAESTIO LXV.

De numero Sacramentorum, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum debeant eſſe ſeptem Sacramenta Eccleſiæ.

Cõcl. Sacra Eccleſiæ ordinant ad ꝑficiẽdũ hoĩem, in his quę ꝑtinẽt ad cultũ Dei ſm̃ religionẽ Chriſtianæ uitę, & ẽt in remediũ cõtra defectũ peccati. Vtroque aũt modo cõueniẽter ponũtur ſeptẽ ſacramenta. Vita enim ſpiritualis conformitatem aliquam habet ad uitam corporalẽ: perficitur autem corporalis uita 1. per generationem, per quam homo incipit eſſe & uiuere. Et loco huius in ſpirituali uita, eſt baptiſmus, qui eſt ſpiritualis regeneratio: 2. per augmentũ, quo

aliquis

aliquis perducitur ad perfectam quantitatem & uirtutem. Et loco huius in spirituali uita, est confirmatio, in qua datur Spiritussanctus ad robur. 3. per nutritionē, qua conseruatur in homine uita & uirtus. Et loco huius ī uita spirituali est Eucharistia. Et hoc quidē sufficeret homini, si haberet & corporaliter & spiritualiter impassibilē uitā. Sed quia homo incurrit interdum & corporalē infirmitatē, & spiritualē, s. peccatum, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate. Quæ quidē est. 4. uel sanatio, quæ sanitatē restituit. Et loco huius in spirituali uita est pœnitentia, 5. uel restitutio ualetudinis pristinæ per conuenientē diætā & exercitium. Et loco huius in spirituali uita est extrema unctio, quę remouet peccatorū reliquias, & hominē paratū reddit ad finalem gloriā. Perficitur aūt homo in ordine ad totam cōmunitatem, uel per hoc ꝙ accipit potestatē regendi multitudinem & exercēdi actus publicos. 6. Et loco huius in spirituali uita est sacramentū Ordinis: uel quantum ad naturalē propagationem, 7. quod fit per matrimonium tam in corporali quàm in spirituali uita, eò quòd est non solùm sacramentum, sed naturæ officium.

ART. II. Vtrum sacramenta conuenienter ordinentur secundùm modum prædictum.

Conclusio. Inter sacramenta Ordo & matrimoniū ultimò ponūtur, Pœnitentia uerò & extrema Vnctio posteriora sunt Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia: posterior tamen est extrema Vnctio Pœnitētia. Ex tribus autē Baptismus Confirmationem, & Eucharistiam præcedit. Cuius quidem ratio ordinis apparet ex his quæ modò dicta sunt.

ART. III. Vtrum sacramentum Eucharistiæ sit potissimum inter sacramenta.

Conclusio. Inter omnia sacramenta Eucharistiæ sacramen-

cramētum potisſimū eſt.Quod quidē tū ex alij appa-ret:tū præcipuè ex eo ꝙ in ſacramēto Euchariſtiæ cō tinetur ipſe Chriſtus ſubſtātialiter,in alijs autē ſacra mentis continetur quædam uirtus inſtrumeutalis par ticipata à Chriſto.Semper autem quod eſt per eſſen-tiam,potius eſt eo quod eſt per participationem .

ART. IIII. Vtrum omnia Sacramenta ſint de ne ceſsitate ſalutis.

Concluſio.Tria ſunt ſacramenta ad ſalutem ſimpli citer neceſſaria:Baptiſmus abſolutè,Pœnitentia exi-ſtenti in mortali,Ordo reſpectu Eccleſiæ:cætera uerò ſacramenta ſunt conuenienter neceſſaria , quibus cō-modius effectum ſalutis conſequimur .

QVAETIO LXVI.

De pertinentibus ad Sacramentum Baptiſmi, in duodecim articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum baptiſmus ſit ipſa ablutio .

Cōcluſio.Cū Sacramēta nouæ legis ſanctificationē quādā operenť:ibi perficitur ſacramentū, ubi perficiť ſanctificatio.In aqua aūt non perficitur ſanctificatio , ſed ē ibi quædā ſanctificationis uirtus inſtrumētalis, nō permanens,ſed fluēs in hominē,qui eſt ueræ ſancti ficationis ſubiectū.Et ideo sacrm nō perficiť in ipſa a-qua,ſed in applicatione aquæ ad hominē,quę eſt ablu tio.Et quidem id quod eſt ſacramentū tantū in baptiſ mo,tranſit:permanet autem & id quod eſt ſacramen-tum & res,ſcilicet character:& id quod eſt res tantū, ſcilicet interior iuſtificatio : ſed character permanet indelebiliter,iuſtificatio autem amiſsibiliter.

AR. II. Vtrum baptiſmus fuerit inſtitutus poſt Chri ſti paſsionem.

Concluſio.Baptiſmus,inquantum ſacramētum eſt, fuit

fuit institutus in Christi baptismo, fuit tamen quo ad necessitatem utendi illo, institutus post Christi passionem. Oportuit enim Christum prius pati, et resurgere, quam hominibus indiceretur necessitas se configurandi morti, et resurrectioni eius.

Artic: III. Utrum aqua sit propria materia baptismi.

Concl: Ex institutione divina, aqua est propria materia baptismi. Et hoc convenienter, tum ob alias rationes, tum ob naturales aquę proprietates, quę sua humiditate lavat, frigiditate temperat, diaphanitate est luminis susceptiva.

Artic: IV. Utrum ad baptismum requiratur aqua simplex.

Concl: In qualibet aqua qualitercumque transmutata, dummodo non solvatur species aquę, potest fieri baptismus: si vero solvatur species aquę, non potest fieri baptismus; ut in aqua rosacea, et in aquis alchimicis.

Art. V. Utrum hęc sit conveniens forma baptismi; Ego te baptizo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Concl: Hęc est conveniens forma baptismi. Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Nam in forma baptismi exprimi debet causa baptismi, quę est duplex: principalis, a quo virtutem habet, quę est S. Trinitas, et instrumentalis, scilicet minister, qui tradit exterius Sacramentum.

Art. VI Utrum in nomine Christi possit dari baptismus.

Concl: Christus instituit Sacramentum baptismi dari cum invocatione Trinitatis. Et ideo quidquid desit ad invocationē plenam Trinitatis, tollit integritatem baptismi. Nec sufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem Sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimatur; Quāvis ex speciali Xti revelatione, Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Xti baptizabant,

ut nomen Christi (quod erat odiosum Iudeis, et Gentilibus) honorabile redderetur per hoc quod ad eius invocationem Spiritus Sanctus dabatur in baptismo.

Art. VII Utrum immersio in aqua, sit de necessitate baptismi.

Concl: Cum in baptismo assumatur aqua ad corporis ablutionem, non modo per immersionem necessarium est fieri baptismum, sed etiam vel per aspersionem, vel effusionem secundum varias necessitatis causas.

Art. VIII. Utrum trina immersio sit de necessitate baptismi.

Concl: ad baptismum per se requiritur ablutio aquę, quę est de necessitate Sacramenti: modus autem ablutionis per accidens se habet ad Sacramentum. Et ideo quantum est de se, utrumque licite fieri potest, scilicet et semel, et ter immergere; quia unica immersione significatur unitas mortis Xti, et unitas Deitatis: per trinã autem

Characterem,qui eſt indelebilis, & cum quadam con ſecratione datur. unde ſicut aliæ conſecrationes non iterantur in Eccleſia,ita nec baptiſmus.4.quia baptiſmus principaliter datur contra originale peccatum: & ideo ſicut originale peccatum non iteratur, ita etiam nec baptiſmus iteratur.

ART.X.Vtrum ritus,quo Eccleſia in baptizando utitur ſit conueniens.

Côcluſio.Præter id qđ eſt de neceſsitate ſacraméti cætera etiã omnia,quæ in ritu baptizãdi obſeruat Eccleſia,côuenienter ad quandã ſolennitatem adhibentur ſacramento propter tria. primo quidẽ ad excitandam deuotionem fidelium, & reuerentiam ad ſacramentum. 2.ad fidelium inſtructionem.3.quia per orationes & benedictiones & alia huiuſmodi,cohibetur uis dæmonis ab impediméto ſacramentalis effectus.

AR.XI.Vtrũ côueniéter deſcribãtur tria baptiſmata.

Concluſio.Præter baptiſmum aquæ,poteſt aliquis conſequi ſacramenti effectum ex paſsione Chriſti,in quantũ quis ei côformatur,pro Chriſto patiẽdo. Eadẽ etiã ratione aliquis per uirtutẽ Spirituſſancti conſequitur effectũ baptiſmi, nõ ſolum ſine baptiſmo aquæ,ſed etiã ſine baptiſmo ſanguinis:inquantũ ſcilicet alicuius cor per Spiritumſanctũ mouetur ad credendũ,& diligẽdũ Deũ,& pœnitẽdũ de peccatis.unde etiã dicitur baptiſmus pœnitentię.Sic igitur utrũque aliorum baptiſmatum nominatur baptiſmus inquantum ſupplet uicem baptiſmi aquæ:ſi fortè ad celebrandũ myſterium baptiſmi in anguſtijs temporũ ſuccurri nõ poteſt.Et quia alia duo baptiſmata includũtur in baptiſmo aquæ: nõ tollitur unitas baptiſmatis.Hæc enim duo côueniunt cũ baptiſmo aquæ,non quidem quantum ad rationem ſigni,ſed quantum ad effectum baptiſmatis, & ideo non ſunt ſacramenta.

ART. XII. Vtrum baptiſmus ſanguinis ſit potiſſimus inter alia baptiſmata.

Concluſio. Baptiſmus aquæ efficaciam habet à paſſione Chriſti, & à Spirituſancto. Quæ duæ cauſæ operantur in quolibet horum trium baptiſmatum: excellentiſsimè tamen in baptiſmo ſanguinis. Nam paſsio Chriſti operatur quidem in Baptiſmo aquæ, per quandam figuralem repræſentationem: in baptiſmo autē flaminis uel pœnitentiæ, per quandam affectionem: ſed in baptiſmo ſanguinis, per imitationem operis.

QVAESTIO LXVII.

De miniſtris, per quos traditur baptiſmi Sacramentum, in octo articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum ad officium diaconi pertineat baptizare.

Concluſio. Dicuntur diaconi quaſi miniſtri: quia ad diaconos non pertinet aliquod ſacramentum principaliter, & quaſi ex proprio officio præbere: ſed adhibere miniſterium alijs maioribus, in ſacramentorum exhibitione. Et ſic ad diaconum non pertinet quaſi ex proprio officio tradere ſacramentum baptiſmi: ſed in collatione huius ſacramenti & aliorum, aſſiſtere & miniſtrare maioribus.

ART. II, Vtrum baptizare pertineat ad officium preſbyterorum.

Concluſio. Sicut àd ſacerdotem pertinet cōſecrare Euchariſtiam (ad quod principaliter ſacerdotium ordinatur) ita ad proprium officium ſacerdotis pertinet baptizare. Eiuſdem enim uidetur eſſe operari totum, & partem in toto diſponere.

ART. III. Vtrum laicus poſsit baptizare.

Concluſio. Nō modò ſacerdotes, ſed & laici, in neceſsitate conſtitutis poſſunt ſacramentū baptiſmi miniſtrare.

niſtrare. Nam ad miſericordiam eius qui uult omnes homines ſaluos fieri, pertinet, ut in his quæ ſunt de neceſsitate ſalutis, homo de facili remediũ inueniat.

ART. IIII. Vtrum mulier poſsit baptizare.

Concluſio. Chriſtus eſt qui principaliter baptizat, in Chriſto autem nõ eſt maſculus & fœmina. Et ideo ſicut maſculus laicus poteſt baptizare quaſi miniſter Chriſti, ita etiam & fœmina. Quia tamen caput mulieris eſt uir, & caput uiri eſt Chriſtus, non debet mulier baptizare, ſi adſit copia uiri: ſicut nec laicus præſente clerico, nec clericus præſente ſacerdote, qui tamen poteſt baptizare præſente Epiſcopo: eo quòd pertinet ad officium ſacerdotis.

ART. V. Vtrum non baptizatus, poſsit ſacramentũ baptiſmi conferre.

Concluſio. Non baptizati, ſiue ſint Iudæi, ſiue Pagani, poſſunt ſacramentum baptiſmi conferre: dummodo in forma Eccleſiæ baptizent. Et huius ratio eſt, quia ſicut ex parte materiæ quantum ad neceſsitatẽ ſacramẽti, ſufficit quæcunq; aqua: ita etiam ſufficit ex parte miniſtri quicunque homo. In quo etſi in caſu grauiter peccaret, baptizatus, & per hoc impediretur baptiſmi effectus: non tamen tolleretur ipſum ſacramentum.

ART. VI. Vtrum plures poſsint ſimul unum baptizare.

Concluſio. Poſſunt plures, dummodo debitam Eccleſiæ formam ſeruent, & uterque dicat ſimul, Ego te baptizo, ſacramentum baptiſmi uerũ conferre: quanquam grauiter peccantes puniendi ſunt. Nam ſicut unus eſt Chriſtus, ita oportet eſſe unum miniſtrum, qui Chriſtum repreſentet.

ART. VIII. Vtrum in baptiſmo requiratur aliquis qui baptizatum leuet de ſacro fonte.

Cóclusio. Sicut paruuli nuper carnali generatione nati nutricibus & pædagogis instruendi tradûtur: ita in spirituali per baptismum regeneratione aliquis requiritur, qui baptizatum de sacro fonte baptismatis suscipiens ipsum tueatur & instituat in his, quæ ad diuinum pertinent cultum.

AR. VIII. Vtrum ille, qui aliquem leuat de sacro fonte teneatur ad eius instructionem.

Conclusio. Vnusquisque obligatur ad exequêdum officium quod accepit. Et ideo qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium pædagogi. Et obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret. Nam inter Catholicos Christianos satis possunt ab hæc cura excusari, præsumendo quòd à suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocunq; modo sentirent contrarium, tenerentur saluti spiritualium filiorum curam impendere.

QVAESTIO LXVIII.

De suscipientibus baptismum, in duodecim articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum omnes teneantur ad susceptionem baptismi.

Conclusio. Ad illud homines tenêtur, sine quo salutem consequi non possunt, nullus autem potest salutem consequi, nisi per Christum. Ad hoc uerò datur baptismus, ut aliquis per ipsum regeneratus, incorporetur Christo, factus membrum ipsius. Vnde omnes ad baptismum tenentur, & sine eo non potest esse salus hominibus.

AR. II. Vtrum sine baptismo aliquis possit saluari.

Conclusio. Minimè saluari possunt, qui nec re, nec uoto baptismi sacramentum susceperint: quia nec sacramentaliter nec mentaliter Christo incorporâtur,

per

per quem solùm est salus: qui uerò saltem uoto sacramentum baptismi susceperint, etsi non re: saluari possunt propter desiderium baptismi, quod procedat ex fide per dilectionem operantem: per quam Deus interius hominem sanctificat, cuius potentia sacramentis uisibilibus non alligatur.

ART. III. Vtrum baptismus sit differendus.

Cõclusio. Puerorum baptismus differendus nequaquam est, sed statim sunt baptizandi: adulti uerò nõ statim, sed ad certum tempus baptizari debent, nisi fuerint in fide perfectè instructi, & in aliquo mortis periculo.

ART. IIII. Vtrum peccatores sint baptizandi.

Conclusio. Peccatoribus persistentibus in mortali peccato, uel in proposito peccandi, non est baptismi sacramentum conferendum: tùm aliàs ob causas, tum imprimis, quòd quamdiu aliquis habet uoluntatem peccandi non potest Christo coniungi, neque à peccato mundari, ad quod ordinatur baptismus.

AR. V. Vtrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria.

Cõclusio. Homo per baptismum incorporatur ipsi morti Christi, quæ satisfactoria fuit sufficienter pro peccatis, non solùm nostris, sed etiam totius mundi. Et ideo ei, qui baptizatur, pro quibuscunque peccatis non est aliqua satisfactio iniungenda: hoc enim esset iniuriam facere Passionis & morti Christi, quasi ipsa non esset sufficiens ad plenariam satisfactionem pro peccatis baptizatorum.

AR. VI. Vtrum peccatores ad baptismum accedentes teneantur sua peccata confiteri.

Conclusio. Peccatorum confessio interior, quæ fit Deo, requiritur ante baptismũ, ut homo sua peccata recogitans, de eis doleat. Non enim potest inchoare

nouam uitam, niſi pœniteat eum ueteris uitæ. Sed confeſſio exterior quæ fit ſacerdoti, non requiritur ante baptiſmum: tùm quia talis confeſſio cum reſpiciat perſonam miniſtri, pertinet ad pœnitentiæ ſacramentum, quod non requiritur ante baptiſmum, quia eſt ianua omnium ſacramentorum: tùm quia confeſſio exterior ordinatur ad hoc, quòd ſacerdos confitentem abſoluat à peccatis, & liget ad opera ſatisfactoria, quæ baptizatis non ſunt imponenda. Nec etiam baptizati indigent remiſsione peccatorum per claues Eccleſiæ quibus omnia remittuntur per baptiſmum. Si qui tamen baptizandi ex deuotione ſua peccata cõfiteri uellent, eſſet eorum confeſſio audienda, nõ ad hoc quòd eis ſatisfactio imponeretur: ſed ad hoc ꝙ contra peccata conſueta eis ſpiritualis informatio uitæ traderetur.

AR. VII. Vtrum ex parte baptizati requiratur intentio ſuſcipiendi ſacramentũ baptiſmi.

Cõcluſio. Sicut ad hoc ꝙ homo moriatur ueteri uitæ, reqniritur in habẽte uſum liberi arbitrij uolũtas, qua eũ ueteris uitæ pœniteat: ita requiritur uolũtas, qua intendat uitæ nouitatẽ, cuius principium eſt ipſa ſuſceptio ſacramenti. Et ideo ex parte baptizati requiritur uoluntas ſiue intentio ſuſcipiendi ſacramẽtum.

AR. VIII. Vtrum fides requiratur ex parte baptizati.

Concluſio. Ex parte gratiæ, quam quis per baptiſmum ſuſceptiuus eſt, exigitur in ſuſcipiente fides: ex parte uerò characteris, recta fides baptizati nõ requiritur ex neceſsitate ad baptiſmum, ſicut nec recta fides baptizantis, dummodo adſint cætera quæ ſunt de neceſsitate ſacramenti. Non enim ſacramentum perficitur per iuſtitiam hominis dantis uel ſuſcipientis baptiſmum, ſed per uirtutem Dei.

ART. IX. Vtrum pueri ſint baptizandi.

Con-

Cõclusio. Pueri baptizandi sunt cum sint originali peccato obnoxij, & ad bonum faciliores. Nam sicut pueri in maternis uteris constituti, non per seipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustẽtantur, ita etiam pueri nondum habentes usum rationis, quasi in utero matris Ecclesiæ constituti, non per seipsos, sed per actum Ecclesiæ salutem suscipiunt.

ART.X. Vtrum pueri Iudæorum uel aliorum infidelium sint inuitis parentibus baptizandi.

Conc. Pueri infideliũ si habent usum rationis: quãtum ad ea, quæ sunt iuris diuini uel naturalis, incipiũt suæ potestatis esse. Et ideo propria uoluntate inuitis parentibus possunt baptismũ suscipere, sicut & matrimoniũ cõtrahere. & tales licite moneri possunt & induci ad suscipiendũ baptismũ. Si uerò nõdũ habẽt usũ liberi arbitrij ẽm ius naturale sunt sub cura parentũ, quãdiu ipsi sibi prouidere non possunt. Et ideo cõtra iustitiam naturalem esset, sit tales pueri inuitis parentibus baptizarentur. Esset ẽt periculosum taliter filios infidelium baptizare: quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectũ ad parentes. Et ideo non habet hoc Ecclesiæ consuetudo, quod filii infidelium inuitis parentibus baptizentur.

ART.XI. Vtrum pueri in maternis ueteris positi, sint baptizandi.

Conc. Nullo modo possũt pueri in maternis uteris existẽtes baptizari, q̃a de necessitate baptismi ẽ, quod corpus baptizãdi aliquo modo aqua abluať, cũ baptismus sit quædã ablutio. Corpus aũt infantis anteq̃ nascať ex utero, nõ põt aliquo modo ablui aqua. Igiť expectãda est totalis egressio pueri ex utero ad baptismũ nisi mors ĩmineat. Si tñ primo caput egrediať, in quo fundanť oẽs sensus debet baptizari periculo ĩminẽte & nõ ẽst postea rebaptizãdus, si eũ perfecte nasci

contigerit. Et uidetur idem faciendum, quæcunque alia pars egrediatur periculo imminente: etsi de hoc aliis aliter uideatur.

AR. XII. Vtrum furiosi & amentes debeant baptizari.

Conclusio Amentes & furiosi quidā sunt à natiuitate nulla habentes lucida interualla: in quibus ēt nullus usus rationis apparet & de talibus uidetur esse idē iudiciū & de pueris, qui baptizantur in fide Ecclesiæ. Alij uerò ex sana mente quā habuerunt prius in amētiā inciderunt. Et tales sunt iudicandi ſm uoluntatē quā habuerunt, dū sanę mentis existerēt. Et ideo si tūc apparuit in eis uoluntas suscipiendi baptismū, debet eis exhiberi in furia & amentia constitutis, ēt si tunc actu contradicant: alioquin si nulla uoluntas suscipiēdi baptismū in eis apparuit, dū sanæ mētis essent, non sunt baptizandi. Quidā uerò etsi à natiuitate fuerint furiosi uel amentes, habent tamen aliqua lucida interualla, in quibus recta ratione uti possunt. Vnde si tūc baptizari uoluerint, baptizari possunt etiam in amentia constituti, si periculum timeatur alioquin melius est, ut tempus expectetur, in quo sint sanæ mentis, ad hoc ꝙ deuotius suscipiant sacramentū. Si autem tempore lucidi interualli non appareat in eis uolūtas suscipiendi baptismū, baptizari non debent in amentia constituti. Dormientes quoque non sunt baptizandi, nisi periculum mortis immineat: idque si prius in eis uoluntas apparuit suscipiendi baptismum.

QVAESTIO LXIX.

De effectibus Baptismi, in decem articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum per baptismum tollantur omnia peccata.

Conclusio. Per batismum homo moritur uetustati peccati: & incipit uiuere nouitate gratiæ. Omne aūt pecca-

peccatum ad priſtinam uetuſtatē pertinet. Vnde conſequens eſt, quod omne peccatū per baptiſmū tollat.

ART. II. Vtrum per baptiſmum liberetur homo ab omni reatu peccati.

Concluſio. Omni baptizato communicatur paſſio Chriſti ad remediū, acſi ipſe paſſus & mortuus eſſet, Paſſio autem Chriſti eſt ſufficiens ſatisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum. Et ideo ille, qui baptizatur, liberatur à reatu totius pœnæ ſibi debitę pro peccatis, acſi ipſe ſufficienter ſatisfeciſſet pro omnibus peccatis ſuis. Licet autem homicida per baptiſmum liberetur à reatu pœnæ quo ad Deum; remanet tamen obligatus adhuc quo ad homines, quos iuſtū eſt ædificari de pœna, ſicut ſunt ſcandalizari de culpa Piè tamē talibus Princeps poſſet pœnam indulgere.

ART. III. Vtrum per baptiſmum debeant auferri pœnalitates præſentis uitæ.

Conc. Baptiſmus habet uirtutem auferēdi pęnalitates præſentis uitæ nō tñ eas aufert in præſenti uita: ſed eius uirtute auferentur à iuſtis in reſurrectione, qñ mortale hoc induet immortalitatē. Et hoc rationabiliter. 1. quia per baptiſmum homo incorporat Chriſto, & efficitur mēbrū eius. Et ideo cōueniens eſt, ut id agatur in mēbro incorporato, q eſt actū in capite. Chriſtus aūt à principio ſuæ conceptionis fuit plenꝰ gratia & ueritate: habuit tñ corpus paſſibile, quod poſt paſſionē & mortē & ad uitā glorioſam reſuſcitatū. Vnde eſt Chriſtianus in baptiſmo gratiā cōſeqtur, quantū ad animam: habet tamē corpus paſſibile, in quo pro Chriſto poſſit pati, ſed tandē reſuſcitabit ad impaſſibilē uitā. 2 propter ſpirituale exercitium, ut uidelicet contra concupiſcentiā & alias paſſibilitates pugnans homo, uictoriæ coronam acciperet. 3. ne homines ad baptiſmum accederent propter im

poſſibi-

pasſibilitatē p̄ſentis uitæ & nō ꝑ gloriā uitę ęternę.

AR. IIII. Vtrum per baptiſmum conferantur homini gratia & uirtutes.

Concluſio. Ad hoc baptiſmus ualet ut baptizati Chriſto incorporentur, ut membra eius. A capite autem Chriſto, in omnia mēbra eius, gratiæ & uirtutis plenitudo deriuatur.

AR. V. Vtrum conuenienter attribuantur baptiſmo quidam actus uirtutum.

Concluſio. Per baptiſmum aliquis regeneratur in ſpiritualem uitam quæ eſt propria fidelium Chriſti. uita autem non eſt niſi membrorum capiti unitorum a quo ſenſum & motum ſuſcipiunt: & ideo neceſſe eſt, quod per baptiſmum aliquis incorporetur Chriſto quaſi membrum ipſius. Sicut autem à capite naturali deriuatur ad membra ſenſus & motus: ita à capite ſpirituali, quod eſt Chriſtus deriuatur ad membra eius, ſenſus ſpiritualis, qui conſiſtit in cognitione ueritatis & motus ſpiritualis, qui eſt per gratiæ inſtinctum. Et ideo conſequens eſt, quod baptizati illuminentur à Chriſto circa cognitionem ueritatis, & fœcundentur ab eo fœcunditate bonorum operum per gratiæ infuſionem.

ART. VI. Vtrum pueri in baptiſmo cōſequantur gratiam & uirtutes.

Concluſio. Pueri non characterem Chriſti tantum cōſequuntur per bantiſmum, ſed gratiam & uirtutes. Nam pueri ſicut & adulti, in baptiſmo efficiuntur mēbra Chriſti: unde neceſſe eſt, quod à capite recipiāt influxum gratiæ & uirtutis.

ART. VII. Vtrum effectus baptiſmi ſit apertio ianuæ regni cœleſtis.

Concluſio. Aperire ianuam regni cœleſtis eſt amouere impedimentū, quo quis impeditur regnum cœleſte

lestem introire. Hoc autem impedimentum est culpa & reatus pœnæ. Sed per baptismum omnis culpa & omnis reatus pœnæ tollitur. Vnde consequens est, quod effectus baptismi sit apertio ianuæ regni cœlestis.

ART. VIII. Vtr. baptism⁹ habuerit ĩ oĩb⁹ ęqualẽ effectũ.

Conc. Duplex est effectus baptismi, unus per se, & alius ꝑ accidẽs. Per se quidẽ effect⁹ baptismi est id ad ꝙ baptismus est institutus. s. ad regenerandos hoĩes in spiritualẽ uitã. Et hunc effectum æqualiter facit in omnibus qui æqualiter se habent ad baptismũ, ut in pueris, qui non in fide propria, sed in fide Ecclesiæ baptizantur. Adulti uerò, qui per propriã fidẽ ad baptismũ accedũt, non æqualiter se habẽt ad baptismũ: quidam enim cum maiori, quidam cum minori deuotione ad baptismum accedunt, & ideo quidam plus, quidam minus de gratia nouitatis accipiũt. Effectus aũt baptismi per accidens est ad quẽ baptismus nõ est ordinatus, sed diuina uirtus hoc in baptismo miraculose operatur. Puta, ut lex peccati, quæ est in membris, prorsus extinguatur. Et tales effectus non æqualiter suscipiuntur ab omnibus baptizatis, etiam si cũ æquali deuotione accedant: sed dispensantur secundum ordinem prouidentiæ diuinæ.

ART. IX. Vtrum fictio impediat effectum baptismi.

Conclusio. Fictè accedentes, effectum baptismi minimè assequuntur. Nam cum Deus non cogat hominẽ ad iustitiam: ad hoc quod aliquis iustificetur per baptismum, requiritur quod uolũtas hominis amplectatur baptismum, & baptismi effectum. Dicitur autem aliquis fictus, per quod uoluntas eius contradicit uel baptismo, uel eius effectui, & hoc quatuor modis: 1. cum quis non credit: 2. cum contẽnit ipsum sacramentũ: 3. cum aliter celebrat sacramentum, non seruans ritum Ecclesiæ: 4. cum indeuotè accedit.

ART.

ART. X. Vtrum fictione recedente, baptiſmus ſuum effectum conſequatur.

Concluſio. Quãdo aliquis baptizatur, accipit characterem quaſi formam, & conſequitur proprium effectum, qui eſt gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem: unde oportet quòd remota ea per pœnitentiam, baptiſmus ſtatim conſequatur ſuum effectum.

QVAESTIO LXX.

De Circunciſione quæ præceſſit baptiſmum in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum circunciſio fuerit præparatoria & figuratira baptiſmi.

Concluſio. Circunciſio, quam ſancti Patres in fidei proteſtationem ſuſceperunt, præparatoria fuit ad baptiſmum, & præfiguratiua ipſius, ſecundum quod antiquis Patribus omnia in figuram futuri contingebant, ſicut & fides eorum erat de futuro.

AR. II. Vtrũ circunciſio fuerit conueniẽter inſtituta?

Concluſio. Cum Abraham primus Chriſti naſcituri promiſſionem ſuſceperit, & primus ſe ab infideliũ ſocietate ſegregauerit ſecundum mandatum Dei: fuit in ipſo conuenienter circunciſio inſtituta.

AR. III. Vtrum ritus circunciſionis fuerit conueniẽs.

Cõcl. Circunciſio quoddã ſignũ fidei eſt, inſtitutũ à Deo, cuius ſapientiæ non eſt numerus. Et ideo cõcedendum eſt, quòd ritus circunciſionis fuit conueniẽs.

ART. IIII. Vtrum circunciſio conferebat gratiam iuſtificantem.

Concluſio. In circunciſione conferebatur grã quãtum ad omnes gratiæ effectus, aliter tamen, quàm in baptiſmo. Nam in baptiſmo confertur gratia ex uir-

tute ipsius baptismi, quam habet inquãtum est instrumentum passionis Christi iam perfectæ. In circuncisione autẽ conferebatur gratia, non ex uirtute circuncisionis, sed ex uirtute fidei passionis Christi, cuius signũ erat circũcisio: ita scilicet, ꝙ homo qui accipiebat circuncisionem, profitebatur se suscipere talẽ fidem: uel adultus pro se, uel alius pro paruulis. Et quia baptismus operatur instrumentaliter in uirtute passionis Christi, nõ autem circuncisio, ideo baptismus imprimit characterem incorporantem hominẽ Christo, & copiosiorem gratiam cõfert quàm circuncisio, maior enim est effectus rei iam præsentis, quàm spei.

QVAESTIO LXXI.

De præparatorijs, quæ simul concurrunt cum baptismo, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum Catechismus debeat pręcedere baptismum.

Conclusio. Ante baptismum cõuenienter præcedit Catechismus, siue fidei instructio. Nam baptismus est fidei sacramentum, cùm sit quædam professio fidei Christianæ. Ad hoc autem quòd aliquis fidem accipiat, requiritur quod de fide instruatur.

AR. II. Vtrũ exorcismus debeat pręcedere baptismũ.

Cõclusio. Diabolus hostis est humanæ salutis, quæ per baptismum exhibetur, & habet Potestatem aliquam in hominem, ex hoc ipso quod subditur originali peccato, uel etiam actuali. Vnde conuenienter ante baptismũ expellũtur dæmones per exorcismos, ne salutem hominis impediant, quam quidem expulsionem significat exufflatio. Benedictio autem cum manus impositione, præcludit expulso uiã, ne redire posit. Sal autem in os missum, & narium & aurium sputo linitio, significat receptionem doctrinæ fidei

quan-

quantum ad nares, & confesſionem quantum ad os. Olei uerò inunctio ſignificat aptitudinẽ hominis ad pugnandum contra dæmones.

AT. III. Vtrum ea, quæ aguntur in exorciſmo, aliquid efficiant.

Concluſio. Non modò aliquid ſignificant ea quæ in exorciſmis aguntur, ſed etiam aliquẽ effectum habent: differenter tamen ab ipſo baptiſmo. Nam per baptiſmum datur homini gratia ad plenam remiſsionẽ culparum. Per ea uero quæ in exorciſmo aguntur, excluditur duplex impedimentum ſalutaris gratiæ percipiendæ: unum extrinſecum, prout dęmones hominis ſalutẽ impedire conantur. Et hoc impedimentum excluditur per exufflationes, quibus poteſtas dæmonis pellitur, quantum. ſ. ad hoc q non præſtet impedimentum ſacramento ſuſcipiẽdo. Manet tamen poteſtas dæmonis in homine, quantum ad maculã peccati & reatum pœnæ, quouſque peccatum per baptiſmũ tollatur. Aliud impedimentũ eſt intrinſecum: prout. ſ. homo ex infectione originalis peccati habet ſenſus præcluſos ad percipienda ſalutis myſteria. Vnde per ſaliuam typicam & ſacerdotis tactum, ſapientia & uirtus diuina ſalutem catechumeni operatur, ut aperiantur ei nares, ad percipiẽdum odorem notitiæ Dei: ut aperiantur ei aures, ad audiendum mandata Dei: ut aperiantur illi ſenſus in intimo corde, ad reſpondendum.

ART. IIII. Vtrum ſit officium ſacerdotis, cathechizare & exorciſare baptizandum.

Concluſio. Ad diaconum pertinet aſsiſtere ſacerdotibus, & miniſtrare in omnibus quæ aguntur in ſacramentis Chriſti, in baptiſmo, ſcilicet in chriſmate, patina, & calice. Inferiores autem miniſtri cooperantur ſacerdotibus in his quæ ſunt præparatoria

ad

ad ſacramẽtum: ſicut lectores in catechiſmo, & exorciſtæ in exorciſmo. Multiplex autem eſt inſtructio, una conuerſiua ad fidem: quæ poteſt competere cuilibet prædicatori, uel etiam cuilibet fideli. Secunda eſt inſtructio, qua quis eruditur de fidei rudimentis, & qualiter ſe debeat habere in ſuſceptione ſacramentorũ: & hæc ꝑtinet ſecũdariò q̃dẽ ad miniſtros, principaliter autẽ ad ſacerdotes. Tertia eſt inſtructio de cõuerſatione Chriſtianę uitę & hęc ꝑtinet ad patrinos. Quarta eſt inſtructio de profundis myſterijs, fidei & perfectione Chriſtianæ uitæ, & hæc ex officio pertinet ad Epiſcopos.

QVAESTIO LXXII.

De Sacramento Confirmationis, in duodecim articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum confirmatio ſit Sacramentum.

Cõcl. Vbi occurrit aliquis ſpecialis effectus gratiæ, ibi ordinatur ſpeciale ſacramẽtũ. Sicut autẽ uitã ſpiritualẽ homo accipit ꝑ baptiſmũ, qui eſt ſpiritualis regeneratio, ita in cõfirmatione accipit quaſi quãdã ꝑfectã ætatẽ ſpiritualis uitę. Et ideo manifeſtum eſt, ꝙ Cõfirmatio eſt ſpeciale ſacramentũ. Chriſtus autem inſtituit hoc ſacramentũ, non exhibendo, ſed promittendo. Et hoc ideo, quia in hoc ſacramento datur plenitudo Spiritusſancti, quæ non erat danda ante Chriſti reſurrectionem & aſcenſionem. Et quidem ad perfectionem ſalutis confirmatio eſt de neceſsitate ſalutis, quamuis ſine ea poſsit eſſe ſalus, dum tamen non prætermittatur ex conceptu ſacramenti.

ART. II. Vtrum chriſma ſit conueniens materia huius ſacramenti.

Cõcluſio. In hoc ſacramento datur plenitudo Spiritus

rituſſancti ad robur ſpirituale, quod competit perfectæ ætati. Homo autẽ cũ ad perfectã ætatẽ peruenerit, incipit iam cõmunicare actiones ſuas ad alios, antea uerò quaſi ſingulariter ſibijpſi uiuit. Gratia uerò Spirituſſancti in oleo deſignatur: unde Chriſtus dicitur eſſe unctus oleo lętitiæ propter plenitudinẽ Spirituſſancti quã habuit. Et ideo oleũ cõpetit materiæ huius ſacramẽti. Admiſcetur autẽ balſamum propter fragrantiam odoris quæ redũdat ad alios, & quia etiã incorruptionẽ præſtat. Quia autẽ ſolũ ad impoſitionem manus Apoſtolorum, & etiam ad eorum prædicationem deſcendebat plenitudo Spirituſſancti ſuper fideles ſub uiſibilibus ſignis, ſicut & à principio deſcenderat ſuper Apoſtolos: ideo non erat neceſſaria ſenſibilis materia ſacramentalis, ubi ſenſibilia ſigna miraculosè exhibebantur diuinitus. Vtebantur tamen Apoſtoli communiter chriſmate in exhibitione ſacramenti quando huiuſmodi uiſibilia ſigna non exhibebantur, ut habet Dioniſ.4.cap. Eccleſ. Hierar.

AR.III. Vtrũ ſit de neceſsitate huius ſacramẽti, quòd chriſma fuerit prius per epiſcopum conſecratum.

Concluſio. Quibuſdam ſacramẽtis habentibus materiam corporeã Chriſtus eſt uſus, ſcilicet baptiſmo & etiam Euchariſtia. Et ideo ex ipſo uſu Chriſti, materiæ horũ ſacramentorũ aptitudinẽ acceperũt ad pfectionẽ ſacramenti. Et propter hoc non eſt de neceſſitate horum ſacramentorum, quòd materia prius benedicatur: quia ſufficit benedictio Chriſti. Si qua uero benedictio adhibeatur, pertinet ad ſolennitatẽ ſacramenti nõ autẽ ad neceſsitatẽ. Vnctionibus autem uiſibilibus Chriſtus nõ eſt uſus, ne fieret iniuria inuiſibili unctioni, qua eſt unctus præconſortibus ſuis. Et ideo tã chriſma quã oleum ſanctũ infirmorum, prius benedicuntur, quã adhibeantur ad uſum ſacramenti.

ART. IIII. Vtrum hæc ſit conueniens forma huius ſacramenti, Conſigno te ſigno Crucis, &c.

Concluſio. Hæc eſt conueniens ſacramenti Confirmationis forma; Conſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti, Amen. Nam in hoc ſacramento tria ſunt neceſſaria, quæ continentur in forma prædicta. 1. cauſa conferens plenitudinem roboris ſpiritualis, quæ eſt ſancta Trinitas. 2. robur ſpirituale, quod homini confertur per ſacramentum materiæ uiſibilis ad ſalutem. 3. ſignum quod pugnatori datur: Crucis ſcilicet, in quo Rex noſter triumphauit.

ART. V. Vtrum Sacramentum Confirmationis imprimat characterem.

Concluſio. Character eſt quædã ſpiritualis poteſtas ad aliquas ſacras actiones ordinata. Per ſacramentum autem Cõfirmationis datur homini poteſtas ſpiritualis ad quaſdam alias actiones ſacras, præter illas ad quas datur ei poteſtas in baptiſmo, nempe ad agendum ea quæ pertinent ad pugnam ſpiritualem contra hoſtes fidei. Et ideo in ſacramento confirmationis imprimitur character.

ART. VI. Vtrum character Confirmationis præſupponat characterem baptiſmi.

Concluſio. Character Confirmationis ex neceſſitate præſupponit characterem baptiſmalem: ita ſcilicet. quòd ſi aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, ſed oporteret iteratò ipſum confirmari poſt baptiſmum. Cuius ratio eſt: quia ſicut nullus poteſt promoueri in ætatem perfectam, niſi primò fuerit natus: ita niſi primò aliquis fuerit baptizatus, non poteſt ſacramentum Confirmationis accipere. Poteſt tamen effectus confirmationis alicui conferri ante baptiſmum.

AR. VII. Vtrum per sacramentum confirmationis conferatur gratia gratum faciens.

Cõclusio. In hoc sacramento datur Spiritussanctus ad robur. Mißio autem seu datio Spiritussancti nõ est nisi cum gratia gratum faciente. Vnde manifestum est, quòd gratia gratum faciens confertur in hoc sacramento.

ART. VIII. Vtrum hoc sacramentum sit omnibus exhibendum.

Conclusio. Confirmationis sacramentum debet cõiter omnibus baptizatis exhiberi, & omni sexui, & ætati. Anima enim, ad quam pertinet & spiritualis natiuitas, & spiritualis ætatis perfectio, immortalis est, & sicut potest tempore senectutis spiritualem natiuitatem consequi, ita tempore iuuentutis uel pueritiæ consequi perfectam ætatem: quia huiusmodi corporales ætates animæ non præiudicant.

AR. IX. Vtrum hoc sacramentum sit conferendum homini in fronte.

Cõclusio. Signantur confirmandi chrismate signo Crucis in fronte, ut & in manifesto se ostendant Christianos esse, & ut neq; propter timorẽ, neque propter erubescentiã, nomen Christi confiteri prætermittãt.

ART. X. Vtrum ille qui confirmatur, debeat teneri ab alio.

Conclusio. Hoc sacramentũ exhibetur homini ad robur pugnę spiritualis. Et pp hoc ille qui accipit hoc sacramentũ, ab alio tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus. Similiter etiam, & quia per hoc sacramentum confertur homini perfectio spiritualis ætatis, ideo ille, qui ad hoc sacramentum accedit, sustẽtatur, quasi adhuc spiritualiter imbecillus & puer.

ART. XI. Vtrum solus episcopus hoc sacramentum conferre posit.

Con-

Conclusio. Confirmationis sacr̄m est quasi ultima consummatio sacri baptismi: ita.s.ꝙ ꝑ baptismũ ædificatur homo in domum spũalē, & conscribitur quasi quædã spiritualis epistola: sed ꝑ sacr̄m cõfirmationis quasi domus ædificata dedicatur in tēplũ Spiritussancti, & quasi epistola conscripta signat̄ signo Crucis. Et iõ collatio huius sacri episcopis reseruat̄ q̃ obtinent sumã potestatē in Ecclesia: sicut & in primitiua Ecclesia, per impositionē manus Apostolorũ, quorum uicē gerunt episcopi, plenitudo Spiritussancti dabatur.

AR. XII. Vtrum ritus huius sacramenti sit cõueniēs.

Cõclusio. Firmiter tenendũ ē ꝙ ordinationes Ecclesiæ dirigantur secundùm sapientiam Christi. Et propter hoc certũ esse debet, ritus quos Ecclesia obseruat in hoc, & in aliis sacramentis esse conuenientes.

QVAESTIO LXXIII.

De Sacramento Eucharistiæ secundùm se, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum Eucharistia sit sacramentum.

Conclusio. Sicut ad uitam spirtualem oportuit esse baptismum, qui est spiritualis generatio; & confirmationem, quæ est spirituale augmentum: ita oportuit esse sacramētũ Eucharistiæ, quod est spirituale alimētũ. In quo quidem Sacramento species panis & uini non efficiunt aliquid, nisi uirtute corporis Christi ueri. Hæc autem est differentia inter Eucharistiam & alia sacramenta habentia materiam sensibilem, quòd Eucharistia continet aliquid sacrum absolutè, scilicet ipsum Christũ: aqua uerò baptismi continet aliquid sacrum in ordine ad aliud, scilicet uirtutem ad sanctificandũ, & eadem ratio est de chrismate & similibus. Et ideo sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa

cõsecratione materiæ, alia uerò sacramenta perficiũtur in applicatione materię ad hominẽ sanctificandũ. Et ex hoc etiam consequitur alia differentia, nã in sacramento Eucharistiæ id qđ est res & sacramẽtũ, est in ipsa materia: id aũt qđ est res tãtũ, est in suscipiente, scilicet gratia quæ cõfertur: in baptismo aũt utrunque est in suscipiente, scilicet & character, qui est res & sacramẽtum, & gratia remissionis peccatorũ, quæ est res tantũ, & eadem ratio est de alijs sacramentis.

ART. II. Vtrũ hoc Sacramentum sit unum uel plura.

Cõclusio. Hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed unũ formaliter & perfectiuè. Nam panis & uinum materialiter quidem sunt plura signa: formaliter uerò & perfectiuè, unum inquantum ex eis perficitur una refectio.

ART. III. Vtrũ Eucharistia sit de necessitate salutis.

Cõclusio. Res huius sacramẽti est unitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus: res autem alicuius sacramẽti haberi potest ante perceptionem sacramenti, ex ipso uoto sacramenti percipiendi. Vnde ante perceptionem huius sacramenti, potest homo habere salutem ex uoto percipiendi hoc sacramẽtũ: sicut & antę baptismum ex uoto baptismi. Est tamen differentia: tùm quia perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem uitam, perceptio autem Eucharistiæ ad consummandum ipsam, non ad hoc quòd simpliciter habeatur, sed sufficit eã habere in uoto, sicut & finis habetur in desiderio & intẽtione: tùm quia per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam, & ideo ex hoc ipso quòd pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam, & sic sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, & per consequens recipiunt rem ipsius. Sed ad baptismum non ordinatur

per aliud præcedens ſacramentum. Et ideo ante ſuſceptionem baptiſmi non habent pueri aliquo modo baptiſmum in uoto, ſed ſoli adulti: unde adulti rem ſacramenti non poſſunt percipere ſine perceptione ſacramenti. Et ideo hoc ſacramētum illo hoc modo eſt de neceſsitate ſalutis, ſicut baptiſmus.

ART. IIII. Vtrum conuenienter hoc ſacramentum pluribus nominibus nominetur.

Concluſio. Hoc ſacramentum reſpectu præteriti, inquantum eſt commemoratiuum Dominicæ paſsionis, quæ fuit uerum ſacrificiū, nominatur ſacrificiū. Reſpectu autem rei præſentis, ſcilicet Eccleſiaſticæ unitatis cui homines aggregantur per hoc ſacramentum nominatur communio uel ſynaxis. At reſpectu futuri inquantum eſt præfiguratiuum fruitionis Dei, quæ erit in patria, dicitur uiaticum: quia hic præbet nobis uiam illuc perueniendi. Et ſecundùm hoc etiā dicitur Euchariſtia, id eſt bona gratia, quia gratia Dei uita æterna uel quia realiter cōtinet Chriſtū qui eſt plenus gratia. Dicit etiā in Græco metalepſis, id eſt, aſſumptio, quia per hoc filij Deitatē aſſumimus.

AR. V. Vtrū īſtitutio huiꝰ Sacramēti fuerit cōueniēs.

Concluſio. Conuenientiſsimum fuit, Euchariſtiæ ſacramentum à Chriſto in ultima cœna inſtitui, tùm alias ob cauſas, tùm quo eius memoria firmiùs fidelium Diſcipulorum cordibus infigeretur.

ART. VI. Vtrum Agnus Paſchalis fuerit præcipua figura huius Sacramenti.

Concluſio. In hoc Sacramento tria cōſiderare poſſumus: ſacramentum tantum quod eſt panis & uinum: res & ſacramentum, ſcilicet corpus Chriſti uerum & res tantum, ſcilicet effectus huius ſacramēti. Quantum ad id quod eſt ſacramentum tantum, potiſsima figura fuit huius ſacramēti oblatio Melchiſe-

dec, qui obtulit panē & uinū. Quantū aūt ad ipsum Christū passum, qui cōtinetur in hoc sacramēto, figuræ eius fuerūt omnia sacrificia ueteris Testamēti: pręcipuè sacrificium expiationis, quod erat solēnissimū. Quantū aūt ad effectū, fuit præcipua eius figura Manna: qd̓ habebat in se omnis saporis suauitatē sicut & gratia huius sacramēti, quantū ad omnia reficit mentē. Sed agnus Paschalis quātū ad hæc tria, præfigurabat hoc sacramētū, quia mādūcabatur cum panibus azymis: & quia immolabatur ab omni multitudine filiorū Israël decimaquarta luna, qd̓ fuit figura passionis Christi qui ꝓpter innocētiā dicitur agnus: & qa ꝑ sanguinē agni Paschalis ꝓtecti sunt filij Israel à deuastāte Angelo, & educti de AEgyptiaca seruitute. Et quātū ad hoc ponitur præcipua figura hui⁹ sacramēti agn⁹ Paschalis: quia ẜm omnia ipsum repræsentat.

QVAESTIO LXXIIII.

De materia Eucharistiæ quantum ad speciem, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum materia huius sacramēti sit panis & uinum.

Concl. Christus hoc sacramētū sub specie panis & uini instituit. Vnde panis & uinū sunt materia conueniens huius sacramēti. Et hoc rationabiliter. 1. quātū ad usum huius sacramenti, qui est mādūcatio. 2. quantū ad pasionē Christi: in qua sanguinis est à corpore separatus. Et ideo seorsum sumitur panis, ut sacramētum corporis, & uinū, ut sacramentū sanguinis. 3. quātum ad effectū consideratum in unoquoq; sumentiū, quia hoc sacramētum ualet ad tuitionē animę & corporis. 4. quātum ad effectum respectu totius Ecclesię, quæ constituitur ex diuersis fidelibus sicut panis conficię ex diuersis granis, & uinū fluit ex diuersis uuis.

ART.

ART.II. Vtrum requiratur determinata quantitas panis & uini ad materiam huius sacramenti.

Conclusio. Finis huius sacramenti est vsus fidelium. Vnde oporret, quòd quantitas materiæ huius sacramenti determinetur per comparationem ad vsum fideliũm. Numerus autẽ fidelium est in determinatus. Vnde non potest dici, quòd quantitas materiæ huius sacramenti sit determinata..

ART.III. Vtrum requiratur ad materiam huius sacramenti, quòd sit panis triticeus.

Cõcl. Ad vsum sacramẽtorũ assumitur realis materia, quæ cõmunius apud hoĩes in talẽ usum uenit. Inter alios aũt panes cõmunius hoĩes utũtur pane triticeo: Et ideo Christus creditur in huius panis specie hoc sacr̃m instituisse, qui ẽt panis magis cõfortat hominẽ, & ita cõueniẽtius significat effectũ huius sacr̃i. Et ideo propria materia huius sacr̃i, est panis triticeus. Si qua tamẽ frumẽta sunt, quæ ex semine tritici generari possunt (sicut ex grano tritici seminato in malis terris: nascitur siligo) ex tali frumẽto panis cõfectus potest esse materia huius sacramenti. Item si sit modica admixtio alterius frumẽti ad multo maiorẽ quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia huius sacramenti: non autem, si sit magna permixtio, puta ex æquo uel quasi. Denique si sit tanta corruptio panis, quòd soluitur species panis: ex tali materia nõ potest confici corpus Christi. Sin speciem nõ soluat, sed disponat ad corruptionem; ex tali pane potest confici corpus Christi: sed peccat conficiens propter irreuerentiam sacramenti. Et quia amidum est ex tritico corrupto, non uidetur quòd panis ex eo confectus, possit fieri corpus Christi.

ART.IIII. Vtrum hoc sacramentum debeat confici ex pane azymo.

Conclusio. Quamuis confici possit Eucharistiæ sacramentum ex quocunque fermentato pane, secundum cuiusque Ecclesiæ suæ usum: conuenientius tamen est, ut ex pane conficiatur azymo.

AR. V. Vtrũ uinũ uitis sit ꝑpria materia huius sacri.

Conclusio. De solo uino uitis potest confici hoc sacramentum. 1. propter institutionem Christi, qui in uino uitis hoc sacramentum instituit. 2. quia ad materiam sacramentorum assumitur id quod propriè & communiter habet talem speciem. Propriè autem uinum dicitur quod de uite sumitur: alii uerò liquores uinum dicuntur secundum quandam similitudinem ad uinum uitis. 3. quia uinum uitis magis competit ad effectum huius sacramenti, qui est spiritualis lætitia. Et sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc sacramentum, ita nec de aceto. Potest tamẽ confici de uino accescenti, sicut & de pane, qui est in uia ad corruptionem, licet peccet conficiens. Agresta nondum habet speciem uini & propter hoc de ea non potest confici hoc sacramentum: sed de musto potest. Non tamen debent uuæ integræ misceri: quia iam esset ibi aliquid præter uinum. Prohibetur etiam ne mustum statim expressum de uua in calice offeratur: quia hoc est indecens propter impuritatem musti. Potest tamen in necessitate fieri.

ART. VI. Vtrum aqua sit uino permiscenda.

Conclusio. Vino, quod offertur in hoc sacramento debet aqua misceri. 1. propter institutionem: probabiliter enim creditur, quod Dominus hoc sacramentum instituerit in uino aqua permixto, secundum morem illius terræ. 2. quia hoc conuenit repræsentationi dominicæ passionis. Vnde dicit Alex. Papa. Nõ debet in calice Domini aut uinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrunque permixtum: quia utrunque ex latere

tere eius in passiõe sua profluxisse legitur, 3. quia hoc cõuenit ad significandũm effectũ huius sacri, qui est unio populi Christiani ad Christum: quia cũ in calice uino aqua miscetur, Christo popul' adunatur. 4. quia hoc cõpetit ad ultimũ effectũ huius sacramẽti, qui est introitus ad uitam æternam, unde Ambr. dicit. Redundat aqua in calicem, sed salit in uitam æternam.

ART. VII. Vtrũ pmixtio aq̃ sit d' necessitate hui' sacri.

Conclusio. Appositio aquæ ad uinum refertur ad significandum participationem huius sacramenti à fidelibus, quantum ad hoc, quod per aquam mixtam uino, significatur populus adunatus Christo. Sed & hoc ipsum quod de latere Christi pendentis in Cruce aqua profluxit, ad idem refertur: quia per aquã significatur ablutio peccatorum quæ fiebat per passionem Christi. Itaque cum hoc sacramentum perficiatur in consecratione materiæ, usus autem fidelium non sit de necessitate sacramenti, sed aliquid consequens ad sacramentum: sequitur, quod oppositio aquæ non sit de necessitate sacramẽti. Ideoque non refert, quantũ ad sacramenti necessitatem, quæcunque aqua misceatur uino, siue naturalis, siue artificialis. Quamuis quãtum ad conuenientiam sacramenti, peccet qui aliam aquam miscet, nisi naturalem & ueram. Quia uerò ad mixtio aquæ ad farinam, est de necessitate huius sacramenti, utpote cõstituens substantiam panis: si farinę adimsceretur aqua resocea, uel quicũq; alius aliquor, quam uera aqua: non posset ex eo confici sacramentũ, quia non esset uerus panis.

ART. VIII. Vtrum aqua debeat in magna quantitate apponi.

Conclusio. In sacramento alteris post consecrationem nihil est nisi corpus & sanguis Christi, alioquin non totum adoraretur ueneratione latriæ. Et ideo eo

rũ opinio probabilior eſt: qui dicunt aquã cõuerti in uinũ,& uinũ in ſanguinẽ. Hoc aũt fieri nõ poſſet,niſi adeò modicũ apponeretur de aqua, ꝙ cõuerteref in uinũ. Et ideo ſemper tutius eſt parũ de aqua apponere, & præcipuè ſi uinũ ſit debile: quia ſi tãta fieret appoſitio aquæ, ut ſolueref ſpecies uini nõ poſſet perfici ſacramẽtũ. Neque ſi acqua apponeref dolio ſufficeret ad ſignificationẽ huius ſacri. Sed oportet aquã vino apponi circa ipſam celebrationem ſacramenti.

QVAESTIO LXXV.

De conuerſione panis & uini in corpus et ſanguinem Chriſti, in octo articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum in hoc ſacramento ſit corpus Chriſti ſecundum ueritatem.

Cõcl. Verũ corpus Chriſti & ſanguinẽ eſſe in hoc ſacrõ, ſenſu deprehẽdi nõ põt: ſed ſola fide, quę auctoritati diuinæ innitif. Hoc aũt cõueniẽs eſt. 1. pfectione nouę legis. Sacra.n. ueteris legis illud uerũ ſacrificiũ paſſionis Chriſti cõtinebãt ſolũ in figura. Et ideo oportuit, ut aliqd haberet ſacrm̃ nouæ legis à Chriſto inſtitutũ: ut ſcillicet cõtineret ipſum Chriſtũ paſſum, nõ ſolũ ĩ ſignificatione uel figura, ſed ẽt in rei ueritate. Et ideo hoc ſacrm̃, qđ ipſum Chriſtũ realiter cõtinet, eſt perfectiuum oĩum aliorũ ſacramẽtorum, Chriſti participatur. 2. hoc cõpetit charitati Chriſti, ex qua pro ſalute noſtra corpus uerum noſtrę naturæ aſſumpſit. Et quia maximè proprium amicitiæ eſt conuiuere amicis, ſui præſentiam corporalem nobis repromittit in pręmium, nec unquam in hac peregrinatione deſtituit, ſed per ueritatem corporis & ſanguinis ſui nos ſibi coniungit in hoc ſacramento. Vnde hoc ſacramentum eſt maximæ charitatis ſignum,

&

& nostræ spei subleuamentũ, ex tã familiari coniunctione Christi ad nos. 3. hoc cõpetit perfectioni fidei quæ sicut est de diuinitate Christi, ita est de eius humanitate. Et quia fides est inuisibiliũ, sicut diuinitatẽ suã nobis exhibet Christus inuisibiliter: ita & in hoc sacramento carnẽ suã nobis exhibet inuisibili modo.

ART. II. Vtrum in hoc sacramento remaneat substantia panis & uini post consecrationem.

Cõclusio. Non potest aliquid esse alicubi ubi prius nõ erat nisi uel per loci mutationem, uel per alterius conuersionẽ in ipsum. Sed corpus Christi non incipit esse in hoc sacramẽto per motũ localẽ, quia tũc desineret esse in cœlo: & quia omne corpus localiter motũ, pertrãsit omnia media, qđ hic dici nõ potest, & etiã quia impossibile est ꝙ unus motus eiusdẽ corporis totaliter moti terminetur simul ad diuersa loca; cùm tamen in pluribus locis corpus Christi sub hoc sacramẽto simul esse incipiat. Et ideo relinquitur, ꝙ nõ possit aliter corpus Christi incipere esse de nouo in hoc sacramẽto, nisi per conuersionẽ substantiæ panis in ipsum. Quod aũt conuertitur in aliquid, facta conuersione non manet. Vnde relinquitur, quòd salua ueritate huius sacramenti substantia panis post consecrationem remanere non possit. Præterea cùm in forma huius sacramenti, dicatur. Hoc est corpus meum: nõ esset id uerum, si substantia panis ibi remaneret. nunquam enim substãtia panis est corpus Christi: sed potius esset dicendum, Hic est corpus meum. Item contrariaretur uenerationi huius sacramenti, si aliqua substantia creata esset ibi, quæ non possit adoratione latriæ adorari. Postremò aduersaretur ritui Ecclesiæ secundùm quem post corporalem cibum nõ licet sumere corpus Christi: cùm tamen post unam hostiam consecratam liceat sumere aliam.

ART. III. Vtrum substantia panis uel uini post cōsecrationem huius sacramenti annihiletur.

Conclusio. Substantia panis uel uini facta consecratione: neque sub speciebus sacramenti manet, neque alibi. Non tamen sequitur, quod annihiletur: conuertitur enim in corpus Christi.

AR. IIII. Vtrū panis posit cōuerti in corpus Christi.

Conclusio. Cùm in hoc sacramento sit uerum corpus Christi, nec incipiat ibi esse de nouo per motum localem, cum etiam nec corpus Christi sit ibi sicut in loco: necesse est dicere, quod incipiat ibi esse per conuersionem substantiæ panis in ipsum. Hæc tamen conuersio non est similis conuersionibus naturalibus, sed est omnino supernaturalis, sola Dei uirtute effecta. Deus enim est actus infinitus, eiusque actio se extendit ad totam naturam entis. Non igitur solum potest perficere conuersionem formalem, ut scilicet diuersæ formæ sibi in eodem subiecto succedant: sed conuersionem totius entis, ut scilicet tota substantia huius conuertatur in totā substantiam illius. Et hoc agitur diuina uirtute in hoc sacramento. Nam tota substantia panis conuertitur in totam substantiam corporis Christi, & tota substantia uini, in totam substantiam sanguinis Christi. Vnde hæc conuersio non est formalis, sed substantialis nec continetur inter species motus naturalis, sed proprio nomine potest dici transsubstantiatio.

ART. V. Vtrum in hoc sacramento remaneant accidētia panis & uini, post conuersionem.

Conclusio. Sensu apparet, facta consecratione, omnia accidentia panis & uini remanere. Quod quidē rationabiliter per diuinam prouidentiam fit. 1. quia non est consuetum hominibus, sed horribile carnem hominis comedere, & sanguinem bibere. Et ideo

propo

proponuntur nobis caro & sanguis Christi sumēda sub speciebus illorum, quæ frequētius in usum hominis ueniunt, scilicet panis & uini. 2. ne hoc sacramentū ab infidelibus irrideatur, si sub specie propria Dominum nostrum mādu cemus. 3. ut dum inuisibiliter corpus & sanguinem Domini nostri sumimus, hoc proficiat ad meritum fidei.

ART. VI. Vtrum facta consecratione, remaneat in hoc sacramento forma substantialis panis.

Cōclusio. Quanquā accidentia panis in hoc sacramento remaneāt, ut sub eis uideatur corpus Christi, non autem sub propria specie, non tamen ideo dicēdum est, q̄ forma substantialis panis remaneat.

ART. VII. Vtrum ista conuersio fiat in instanti.

Conclusio. Tribus rationibus hæc conuersio est instantanea. Primò quidem, quia substantia corporis Christi, ad quam terminatur ista conuersio, non suscipit magis neque minus. Secundò, quia in hac conuersione non est aliquod subiectum, quod succesiuè præparetur. Tertiò, quia agitur Dei uirtute infinita.

AR. VIII. Vtrū hęc sit falsa. Ex pane fit corpus Christi.

Cōclusio. Hæc conuersio panis in corpus Christi, partim conuenit cū creatione & cū transmutatione naturali, partim differt ab utroq;. Est enim commune his trib⁹ ordo terminorū, scilicet ut post hoc sit hoc, & quòd termini nō sint simul. Propter ordinē igitur extremorū possumus uti hac præpositione. Ex quę ordinē designat: possumus enim uerè & ꝓpriè dicere, quòd ex pane sit corpus Christi. Nam in hoc sacramēto tota substantia in totam substantiam mutatur, & ꝑp hoc hæc conuersio propriè transubstantiatio uocatur: Sed non potest propriè dici, quòd de pane fiat corpus Christi: quia hęc prępositio De, designat causam consubstantialem. Neque etiam conceditur, q̄

pan-

panis erit corp⁹ Christi,uel ꝙ fiat corpus Christi:qa hic modus loquendi uerificatur in transmutationib⁹ naturalibus ratione subiecti: nō aūt hæc cōuersio fit per potētiā pasiuā creaturæ,sed per solā potētiā acti uā creatoris. Quia tñ in hoc sacramento, facta cōuer sione aliquid idē manet,scilicet accidētia panis, ſm quādam similitudinē aliquæ harū locutionū possunt cōcedi scilicet,ꝙ panis fit corpus Christi, &c. Vt nomine Panis nō intelligatˀ substantia panis,sed in uniuersali hoc qđ specieb⁹ panis continetˀ,sub q̄bus pri⁹ continetur substantia panis,& postea corpus Christi.

QVAETIO LXXVI.

De modo quo Christus est in hoc sacramento, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrū totus Christus cōtineatur sub hoc sacramēto. Concl. Omnino necesse est cōfiteri ſm fidē Catholicā,ꝙ totus Christus sit in hoc sacramēto. Sed quia cōuersio panis, & uini nō terminatˀ ad diuinitatē uel animam Christi, cōsequēs est ꝙ diuinitas uel anima Christi nō sit in hoc sacramēto ex ui sacramenti, sed ex reali cōcomitātia. Quia enim diuinitas corpus assumptum nūquā deposuit:ubicunque est corp⁹ Christi,necesse est & eius diuinitatē esse,& ideo in hoc sacramēto necesse est esse diuinitatē Christi cōcomitātem eius corpus. Anima uerò realiter separata fuit à corpore. Et ideo si in illo triduo mortis fuisset hoc sacramētū celebratū,non fuisset ibi anima Christi, nec ex ui sacramēti, nec ex reali concomitātia. Sed quia Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, anima eius semper est realiter corpori eius unita. Et ideo in hoc sacramēto corpus quidem Christi est ex ui sacramenti, anima autem Christi ex reali concomitantia.

mitantia. Et quidē ex ui sacramenti sub hoc sacramē-to continetur quantum ad species panis, nō solùm ca ro, sed totum corpus Christi. s. ossa, nerui, & alia huiusmodi. Et hoc apparet ex forma huius sacramenti: in qua non dicitur, hæc est caro mea, sed hoc est corpus meum. Cùm uerò dominus dixit: Caro mea uerè est cibus: caro ponitur ibi pro toto corpore: quia ẜm consuetudinem humanam uidetur esse magis manducationi accommodata: prout. s. homines carnibus animalium uescuntur cōiter, non autem ossibus uel alijs huiusmodi. Porrò corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ, & non per modum quantitatis. Propria autem totalitas substantiæ continetur indifferenter in parua uel magna quantitate.

AR. II. Vtrum totus Christus contineatur sub utraq; specie huius sacramenti.

Conclusio. Certissimè tenēdum esse, quòd sub utraque specie sacramenti totus est Christns; aliter tamē & aliter. Nam sub speciebus panis, est quidē corpus Christi ex ui sacramenti, sanguis autem ex reali concomitantia, sicut supra dictum est de anima & diuinitate Christi. Sub speciebus uerò uini, est quidem sanguis Christi ex ui sacramenti, corpus autē Christi ex reali cōcomitantia; sicut anima & diuinitas: eo quòd nūc sanguis Christus nō est ab eius corpore separatus: sicut fuit tempore passionis & mortis. Vnde si tunc fuisset hoc sacramētū celebratū sub speciebus panis, fuisset corpus Christi sine sanguiue, & sub speciebus uini sanguis sine corpore, sicut erat in rei ueritate.

ART. III. Vtrrm sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis uel uini.

Conclusio. Natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus cōtinetur. Et boc indifferenter, siue sint dimēsiones actu diuisæ, uel etiam

ſint actu indiuiſæ, diuiſibiles uero potentia. Et ideo manifeſtum eſt, quòd totus Chriſtus eſt ſub qualibet parte ſpecierum panis, etiam hoſtia integra manẽte, & non ſolùm cùm frangitur.

ART. IIII. Vtrum tota quantitas dimenſiua corporis Chriſti ſit in hoc Sacramento.

Concluſio. Quia ſubſtantia corporis Chriſti realiter non denudatur à ſua quantitate dimenſiua, & ab alijs accidentibus: unde eſt, quòd ex ui realis concomitantiæ, eſt in hóc ſacramento tota quantitas dimenſiua corporis Chriſti, & omnia accidentia eius.

ART. V. Vtrum corpus Chriſti ſit in hoc Sacramento ſicut in loco.

Concluſio. Cùm Chiſtus ſit in hoc Sacrõ non per modũ quantitatis dimẽſiuæ, ſed per modũ ſubſtãtiæ: non ſicut in loco, ſed per modum ſubſtãtiæ eſt in eo, quomodo uidelicet à dimenſionibꝰ ſubſtantia cõtinetur. Sed neq; corpus Chriſti eſt in hoc ſacrõ diffinitiuè: quia ſic nõ eſſet alibi q̃ in hoc altari, ubi conficiẽ hoc ſacrm̃: cùm tamẽ ſit & in cœlo in propria ſpecie, & in multis alijs altaribus ſub ſpecie ſacramẽti. Similiter ẽt nec circunſcriptiue: quia non eſt ibi ſm̃ commẽſurationem propriæ quãtitatis. Locus aũt ille, in quo eſt corpus Chriſti, nõ eſt uacuus. Sed repletur ſpeciebus ſacramẽtorum, uel propter naturam dimenſionum, uel ſaltem miraculosè, ſicut & miraculosè ſubſiſtunt per modum ſubſtantiæ. Ea etiam accidentia corporis Chriſti ſunt in hoc ſacramento, quæ ſunt ei intrinſeca. Eſſe autem in loco, eſt accidens per comparationem ad extrinſecum continens.

ART. VI. Vtrum corpus Chriſti ſit mobiliter in hoc ſacramento.

Concluſio. Chriſto non eſt idem eſſe ſecundùm ſe, & eſſe ſub hoc ſacramento: quia per hoc ꝙ dicimus

ipſum

ipſum eſſe ſub hoc ſacr̄o, ſignificatur quędā habitudo eius ad hoc ſacr̄m. Secundùm igitur hoc eſſe non mouetur Chriſtus per ſe ẜm locū, ſed ſolùm per accidēs: quia Chriſtus nō eſt in hoc ſacr̄o ſicut in loco. Quod autem nō eſt in loco, non mouetur per ſe in loco, ſed ſolū ad motum eius, in quo eſt. Similiter aūt neque ꝑ ſe mouetur ẜm eſſe quod habet in hoc ſacr̄o, quacunque alia mutatione, puta quantum ad hoc ꝙ deſinat eſſe ſub hoc ſacramento: quia illud quod de ſe habet eſſe indeficiens, nō poteſt eſſe deficiendi principium: ſed alio deficiente, hoc deſinit eſſe in eo: ſicut Deus, cuius eſſe eſt indeficiens immortale, deſinit eſſe in aliqua creatura corruptibili, per hoc quòd creatura corruptibilis deſinit eſſe. Et hoc modo cum Chriſtus habeat de ſe eſſe indeficiēs, & incorruptibile, nō deſinit eſſe ſub ſacramento, neque per hoc ꝙ ipſum deſinat eſſe, neq; etiam per motum localem ſui, ſed ſolum per hoc quòd ſpecies huius ſacramenti deſinūt eſſe. Vnde patet quòd Chriſtus per ſe loquēdo, immobiliter eſt in hoc ſacramento. Itaque corpus Chriſti remanet in hoc ſacramento, non ſolùm in craſtino, ſed etiam in futuro, quouſque ſpecies ſacramentales manent. Quibus ceſſantibus deſinit eſſe corpus Chriſti ſub eis: nō quia ſub eis depēdeat, ſed quia tollitur habitudo corporis Chriſti ad illas ſpecies: per quem modum Deus deſinit eſſe Dominus creaturæ deſinentis.

AR. VII. Vtrū corpus Chriſti prout eſt in hoc ſacr̄o, poſsit uideri ab aliquo oculo, ſaltem glorificato.

Concluſio. A nullo oculo corporali corpus Chriſti poteſt uideri, prout eſt in hoc Sacramento: tùm quia accidentia corporis Chriſti in hoc Sacramento non habent immediatam habitudinem, neque ad hoc Sacramentum, neq; ad corpora, quæ ipſum circunſtāt, ut ſic ab aliquo corporali oculo uideri poſsint: tùm

quia corpus Chriſti eſt in hoc ſacro tm̃ p modũ ſubſtã tiæ, quæ nõ eſt uiſibilis oculo corporali, neq; ſubiacet alicui ſenſui, ſed nec ãt imaginationi: ſed ſoli intellectui, cuius obiectũ eſt quod quid eſt. Et ideo propriè loquẽdo, corpus Chriſti ſm modũ eſſendi, quẽ habet in hoc ſacro, neq; ſenſu neq; imaginatione perceptibile eſt, ſed ſolo intellectu qui dicitur ocul⁹ ſpiritualis, Quia.n.modus eſſendi, quo Chriſtus eſt in hoc ſacro, eſt penitus ſupernaturalis: à ſupernaturali intellectu, .ſ. diuino, ſm ſe uiſibilis eſt, & per conſequens ab intellectu beato uel angeli, uel hominis, qui ſm participatã claritatẽ diuini intellectus uidet ea, quæ ſupernaturalia ſunt, per uiſionem diuinæ eſſentiæ: ab intellectu aũt hominis uiatoris nõ põt coſpici niſi p fidẽ, ſicut & cætera ſupernaturalia. Sed nec ẽt intellect⁹ angelicus ſm ſua naturalia ſufficit ad hoc intuendũ. Vnde dęmones nõ poſſunt uidere per intellectũ Chriſtum in hoc ſacro niſi per fidem, cui non uoluntariè aſſentiũt, ſed ad eam euidentia ſignorum conuincuntur.

AR. VIII. Vtrum quando in hoc ſacramento apparet miraculosè caro uel puer, ſit ibi uerè corpus Chriſti.

Concluſio. Manentibus dimenſionibus, quæ prius fuerant, fit miraculosè quædã ĩmutatio circa alia accidentia (puta figurã & calorẽ, & alia huiuſmodi) ut uideatur caro uel ſanguis aut ẽt puer. Et hoc non eſt deceptio: quia fit in figuram cuiuſdam ueritatis. ſ. ad oſtendẽdam per hanc miraculoſam apparitionem, ꝙ in ſacramento eſt uerè corpus & ſanguis Chriſti. Et ſic patet quòd remanentibus dimenſionibus, quæ ſũt fundamenta aliorum accidentium, remanet uerè corpus Chriſti in hoc ſacramento. In huiuſmodi autem apparitionibus non uidetur propria ſpecies Chriſti, ſed ſpecies miraculosè formata uel in oculis intuentium, uel etiam in ipſis ſacralibus dimenſionibus.

QVAE-

QVAESTIO LXXVII.

De remanentibus in ſacramento accidentibus, in octo articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum accidentia remaneant ſine ſubiectoin hoc ſacramento.

Concluſio. Accidentia in hoc ſacramento manent ſine ſubiecto, uirtute diuina. Cũ enim effectus magis depẽdeat à cauſa prima, quã à cauſa ſecũda: Deus qui eſt prima cauſa ſubſtãtiæ & accidentis ꝑ ſuã infinitã uirtutem cõſeruare poteſt in eſſe accidens, ſubſtracta ſubſtantia, per quam conſeruabatur in eſſe ſicut per propriã cauſam: ſicut etiam alios effectus naturaliũ cauſarum poteſt producere ſine naturalibus cauſis, ſicut humanum corpus formauit in utero uirginis ſine uirili ſemine. Et ita etiam licet ſit ſecundùm communem naturæ ordinem. quòd accidens ſit in ſubiecto: ex ſpeciali tamen ratione ſecundũ ordinem gratiæ, accidentia ſunt in hoc ſacramento ſine ſubiecto.

ART. II. Vtrũ in hoc ſacramento quantitas dimẽſiua panis uel uini, ſit aliorum accidentium ſubiectum.

Cõcluſio. Quæuis accidentia quæ remanẽt in ſacramẽto, ꝗuis in nulla ſint ſubſtãtia, ſunt tñ in quãtitate dimẽſiua panis & uini tanꝗ in ſubiecto. Nã quãdo accidenti datᷓ diuinitꝰ ut ꝑ ſe ſit, poteſt ẽt per ſe alterius accidẽtis ſubiectũ eſſe. Et ſicut ſubtracta ſubſtãtia, diuina uirtute cõſeruãtur alia accidentia: ita ſubtracta materia, diuina uirtute cõſeruãtur qualitates materiã cõſequẽtes: ſicut rarũ & denſũ. Neq; etiã quantitas dimẽſiua, ꝗ remanet in hoc ſacr̃o ſine ſubiecto, eſt quãtitas mathematica, ꝗ nõ abſtrahit à materia ĩtelligibili, ſed à ſenſibili: hæc uerò ſubijcitur ſenſibilibus

ART.III. Vtrum ſpecies, quæ remanent in hoc Sacramento, poſsint immutare aliquid extrinſecum.

Cõcluſio. Quia ſpeciebus ſacramentalibus datum eſt diuina uirtute, ut remaneant in ſuo eſſe quod habebant, ſubſtantia panis & uini exiſtente, conſequẽs eſt, quòd etiam remaneant in ſuo agere: & ideo omnem actionem quam poterant agere, ſubſtantia panis & uini exiſtẽte poſſunt etiam agere, ſubſtantia panis & uini tranſeunte in corpus & ſanguinem Chriſti. Vnde etiam poſſunt immutare exteriora corpora.

AR.IIII. Vtrũ ſpecies ſacramentales poſsint corrũpi.

Cõcluſio. Species ſacramentales retinẽt idem eſſe qđ prius habebãt, ſubſtãtia panis & uini exiſtẽte. Et ideo ſicut eſſe horũ accidẽtiũ poterat corrũpi, ſubſtãtia panis & uini exiſtẽte: ita etiã poteſt corrumpi, illa ſubſtãtia abeunte. Diſtinguẽdũ tamen eſt, quia cum corpus Chriſti & ſanguis ſuccedãt in hoc ſacramẽto ſubſtantiæ panis & uini, ſi ſiat talis immutatio ex parte accidẽtiũ, quæ non ſuffeciſſet ad corruptionem panis & uini: propter talẽ immutationẽ nõ deſinit corpus & ſanguis Chriſti eſſe ſub hoc ſacramento, ſiue ſiat immutatio, ex parte qualitatis (puta cùm modicũ immutatur color aut ſapor panis uel uini) ſiue ex parte quantitatis, ſicut cũ diuiditur panis aut uinũ in tales partes, quòd adhuc in eis poſſet ſaluari natura panis aut uini. Si uerò ſiat tãta immutatio, ꝙ fuiſſet corrupta ſubſtãtia panis & uini, nõ remanent corpus & ſanguis Chriſti ſub hoc ſacramento. Et hoc ſiue ex parte qualitatũ, ſiue ẽt ex parte quãtitatis. Neq; tamẽ corruptio illarũ ſpecierũ eſt miraculoſa, ſed naturalis. Præſupponit tamen miraculũ quod eſt factũ in cõſecratiõe, ſcilicet ꝙ illæ ſpecies ſacramẽtales retineãt eſſe ſine ſubiecto quod prius habebãt in ſubiecto, ſicut & cæcꝰ miraculosè illuminatꝰ, naturaliter uidet.

ART.

ART. V. Vtrum ex ſpeciebus ſacramentalibus aliquid poſsit generari.

1 Concluſio. In ipſa conſecratione miraculosè datur qnantitati dimenſiuæ panis & uini, quod ſit primum ſubiectum ſubſequentium formarum. Hoc autem eſt proprium materiæ: & ideo ex conſequenti datur prædictæ quantitati dimenſiuæ omne illud quod ad materiam pertinet. Et ideo quicquid poſſet generari ex materia panis uel uini, ſi adeſſet: id totum poteſt generari ex prædicta quantitate dimenſiua panis uel uini: non quidem nouo miraculo, ſed ex ui miraculi prius facti. Nam quamuis nõ ſit ibi materia, ex qua aliquid generetur: quantitas tamen dimenſiua ſupplet uicem materiæ. Et illæ ſpecies ſacramentales, ſunt quidem accidentia, habent tamen actum & uim ſubſtantiæ. Quãtitas etiam dimenſiua retinet naturam propriã, & accipit miracalosè uim & proprietatem ſubſtãtiæ. Et ideo poteſt tranſire in utrunque, id eſt, in ſubſtantiam & dimenſionem.

AR. VI. Vtrum ſpecies ſacramentales poſsint nutrire.

Concluſio. Species ſacramentales poſſunt per eandem rationem cõuerti in corpus humanum, per quã poſſunt conuerti in cineres uel in uermes. & ideo manifeſtum eſt quòd nutriunt.

ART. VII. Vtrum ſpecies ſacramentales frangantur in hoc ſacramento.

Concluſio. In hoc ſacramento fractio ſit ſicut in ſubiecto in quantitate dimenſiua panis, ſicut & alia accidentia. Et ſicut ſpecies ſacramentales ſunt ſacramentum corporis Chriſti ueri, ita fractio huiuſmodi ſpecierũ eſt ſacramentũ Dominicæ paſsionis, quæ fuit in corpore Chriſti uero. Sicut enim in ſpeciebus ſacrãlibus remanet rarũ & denſum, ita ẽt remanet ibi poroſitas, & per cõſequẽs frangibilitas. Et illud q̃dẽ q̃d mã

ducatur in propria ſpecie, ipſum & frāgitur & maſticatur in ſua ſpecie. Corpus aūt Chriſti non manducatͨ in ſua ſpecie, ſed in ſpecie ſacramētali, nec ēt aliter frāgitur niſi ſecūdū ſpeciem ſacramētalē. Et ideo hoc ſic intelligēdū eſt, ut fractio, & attritio dētiū referatͨ ad ſpēm ſacramētalē, ſub qua uerè ē corp⁹ Chriſti.

ART. VIII. Vtrum aliquis liquor poſsit uino conſecrato commiſceri.

Concluſio. Corpus & ſanguis Chriſti remanent in hoc ſacramento, quamdiu illæ ſpecies manent eædē numero: conſecratur enim hic panis, & hoc uinum. Vnde ſi fiat tanta permixtio liquoris cuiuſcunque, ꝙ ꝑtingat ad totū uinū cōſecratū, & fiat ꝑmixtū: erit aliud numero, & nō remanebit ibi ſanguis Chriſti: Si uerò fiat tā parua alicui⁹ liquoris adiūctio, ꝙ nō poſſit diffundi ꝑ totū, ſed uſq; ad aliq̄ partē ſpecierū: deſinit eſſe sāguinis Chriſti ſub illa parte uini cōſecrati, remanebit tñ ſub alia. Nā liquor oppoſit⁹ uino conſecrato, nullo modo miſcetͨ ſubſtātię sāguinis Chriſti, miſcetͨ tñ ſpecieb⁹ ſacr̄alib⁹. Ita tñ ꝙ, ꝑmixtione facta corrūpuntͨ prædictę ſpecies, uel in toto, uel in parte.

QVAESTIO LXXVIII.

De forma ſacramenti Euchariſtiæ, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum hæc ſit forma huius ſacramenti, Hoc eſt corpus meum, &, Hic eſt calix ſanguinis mei.

Concluſio. Miniſter in hoc ſacramento perficiēdo nō habet alium actum, niſi prolationem uerborum. Et quia forma debet eſſe conueniens rei, ideo forma huius ſacramenti importat ſolā conſecrationem materiæ, quæ in tranſſubſtantatione conſiſtit: & profertur quaſi ex perſona ipſius Chriſti loquētis, ut detur

intelligi,

intelligi, quod minister in perfectione huius sacramẽti nihil agit, nisi quòd profert uerba Christi.

ART. II. Vtrum hæc sit conueniens forma consecrationis panis. Hoc est corpus meum.

Conclusio. Hæc consecratio cõsistit in conuersione substantiæ panis in corpus Christi. Oportet autem formam sacri significare id, ꝙ in sacro efficitur. Vnde & forma consecrationis panis debet significare ipsã cõuersionẽ panis in corpus Christi. Quæ quidẽ cõuersio nõ est successiua, sed instãtanea, & in hac forma sic debet exprimi, ut in facto esse, ad ꝙ fert intẽtio. Id aũt in quod fit conuersio, est totũ corpus Christi & nõ sola caro eius. Vnde hæc forma est cõueniẽtissima. Hoc est corpus meũ. Hæc uerò cõiunctio Enim, apponitur in hac forma ſm consuetudinẽ Romanæ Ecclesiæ à B. Petro Apostolo deriuatam: & hoc propter cõtinuationem ad uerba præcedentia. Et ideo non est de forma sicut nec uerba præcedentia formam.

AR. III. Vtrũ hæc sit conueniens forma consecratiõis uini, Hic est calix sanguinis mei, noui & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro uobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Conclusio. Omnia prædicta uerba sunt de substantia formæ. Sed per prima uerba, cum dicitur, Hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conuersio uini in sanguinem. Per uerba autem sequentia designatur uirtus sanguinis effusi in passione quæ operatur in hoc sacramẽto. Cùm autem dicitur calix sanguinis, est locutio figuratiua, uel secundum metonymiam, qua ponitur continens pro contento, uel secundum metaphoram: prout per calicem similitunariè intelligitur passio Christi, quæ ad similitudinẽ calicis inebriat. Dicitur autẽ, Hic sanguis noui Testamenti, quia iam non in figura, ut uetus, sed

in ueritate exhibetur. Et est quidem nouum ratione exhibitionis. Dicitur tamen æternum tam ratione æternæ Dei præordinationis, quàm etiã ratione æternæ hæreditatis, quæ per hoc Testamentum disponitur. Ipsa etiam persona Christi, cuius sanguine Testamẽtũ disponitur est æterna. Quod uerò mysterium hic ponitur, non fit ad excludendam rei ueritatem, sed ad ostendendã occultationem: quia & ipse sanguis Christi occulto modo est in hoc sacr̃o, & ipsa passio Christi occulte fuit figurata in ueteri Testamẽto. Et dicitur mysterium fidei, quasi fidei obiectũ: quia quod sanguis Christi secundum ueritatem sit in hoc sacramẽto, sola fide tenetur. Porro quia sanguis seorsum consecratus à corpore expresius repræsentat passionem Christi: ideo potius in consecratione sanguinis fit mentio de passione Christi & fructu ipsius, quã in consecratione corporis. Denique Euangelistæ non intendebant tradere formas sacramentorum, quas in primitiuá Ecclesia oportebat esse occultas: sed intenderunt historiam de Christo texere. Et tamẽ hæc omnia fere uerba ex diuersis scripturæ locis accipi possunt. Quod autem additur, æterni, & iterum, mysterium fidei: ex traditione Domini habetur, quæ ad Ecclesiam per Apostolos peruenit.

ART. IIII. Vtrum prædictis uerbis formarum insit aliqua uis creata, effectiua consecrationis.

Conc. Cùm hoc sacr̃m sit præ cęteris dignius: cõsequẽs est, ꝙ ĩ uerbis formalib⁹ hui⁹ sacr̃i sit quedã uirtus creata ad cõuersionẽ huius sacr̃i faciendã, instrumentalis tamen sicut & in aliis sacramẽtis. Cũ enim hæc uerba ex persona Christi proferãtur, ex eius mãdato consequuntur uirtutem instrumentalem à Christo: sicut & cætera eius facta uel dicta habent instrumentaliter salutiferam uirtutem.

ART.

ART.V. Vtrum prædictæ locutiones ſint ueræ.

Concluſio. Veriſſima ſunt conſecrationis corporis & ſanguinis Chriſti uerba, quæ ipſa Veritas proferre dignata eſt. Nec obſtat quod ſacerdos ea recitatiuè profert, quaſi à Chriſto dicta: quia propter infinitam uirtutem Chriſti, ex prolatione ipſius hæc uerba uirtutem conſecratiuam ſunt conſecuta, à quocunque ſacerdote dicantur, acſi Chriſtus ea præſentialiter proferret. Nam ueritas huius locutionis non præſupponit rem ſignificatam, ſed facit eam. ſic enim ſe habet uerbum Dei ad res factas per uerbum.

ART. VI. Vtrum forma conſecrationis panis conſequatur ſuum effectum antequam perficiatur forma conſecrationis uini.

Cõcluſio. Prima forma non expectat ſecundam in agendo, ſed ſtatim habet ſuum effectum. Nam facta conſecratione panis, eſt quidem corpus Chriſti ibi ex ui ſacramenti, & ſanguis ex reali concomitantia: ſed poſtmodum per conſecrationem uini, fit ibi econuerſo ſanguis Chriſti ex ui ſacramenti, corpus autem ex reali concomitantia. Ita quod totus Chriſtus eſt ſub utraque ſpecie.

QVAESTIO LXXIX.

De effectibus Sacramenti Euchariſtiæ in octo articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum per hoc ſacramentum conferatur gratia.

Concluſio. Sacroſanctum Euchariſtiæ ſacramẽtum gratiam cõferre neceſſarium eſt, cum multis aliis modis, tum inprimis quod uerè Chriſtũ, qui omnis gratiæ origo eſt contineat.

ART. II. Vtrum effectus huius ſacramenti ſit adeptio gloriæ.

Conclusio. In hoc sacramento potest cõsiderari & id, ex quo habet effectum, scilicet ipse Christus cõtentus, & passio eius repræsentata, & id per quod habet effectum, scilicet usus sacramenti, & species eius. Et quantum ad utrunque competit huic sacramento, q causet adeptionem uitæ æternæ. Nam ipse Christus per suam passionem aperuit nobis aditum uitæ æternæ. Similiter etiam refectio cibi spiritualis, & unitas significata per species panis & uini; habentur quidẽ in præsenti, sed imperfectè: perfectè autem in statu gloriæ. Hoc autem sacramentum non statim nos in gloriam introducit, sed dat nobis uirtutem perueniẽdi ad gloriam, & ideo uiaticum dicitur.

ART. III. Vtrum effectus huius sacramenti sit remissio peccati mortalis.

Conclusio. Secundum se hoc sacramentum habet uirtutẽ ad remittendũ quæcunque peccata ex passiõe Christi, quæ est fons & causa remissionis peccatorum. Quicunq; aũt habet conscientiã peccati mortalis, habet in se impedimẽtũ percipiendi effectũ huius sacramenti, eò quòd non est conueniens susceptor huius sacramenti: tum quia non uiuit spiritualiter, & ita nõ debet speciale nutrimentum suscipere quod non est nisi uiuentis: tum quia non potest uniri Christo (qđ fit per hoc sacramentum) dum est in affectu peccandi mortaliter. Potest tamen hoc sacramentum operari remissionem peccati, uel non perceptum actu, sed uoto, sicut cum quis prius iustificatur à peccato uel etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam & affectum non habet.

ART. IIII. Vtrum per hoc sacramentum remittantur peccata uenialia.

Conclusio. In hoc sacramento & ipsum sacramentum & res sacramenti habet uirtutem ad remissionem

nem uenialium peccatorum. Nã hoc facramentũ fumitur fub fpecie cibi nutrientis. Nutrimentũ autẽ cibi eft neceffarium corpori ad reftaurandum id, quod quotidie deperditur per actionẽ caloris naturalis. Spiritualiter autem quotidie aliquid ĩ nobis deperditur ex calore concupifcentiæ per peccata uenialia quæ diminuunt feruorem charitatis. Et ideo cõpetit huic facramẽto ut remittat peccata uenialia. Res autem huius facramenti, eft charitas non folum quãtum ad habitum, fed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc facramento, per quem peccata uenialia foluunť. Vnde manifeftum eft, quod uirtute huius facramenti remittuntur peccata uenialia.

AR. V. Vtrũ ꝑ hoc facr̃m tota pœna peccati remittať.

Conclufio. Hoc facramentum fimul eft & facrificiũ inquantum offertur, & facramentum, inquantum fumitur. Et ideo effectum facramenti habet in eo, qui fumit, effectum autem facrificij in eo, qui offert, uel in his, pro quibus offertur. Si igitur confideretur ut facramentum, habet effectum: Vno modo directe ex ui facramenti, alio modo quafi ex quadam concomitantia. Ex ui quidem facramenti directè habet illum effectum, ad quem eft inftitutum, fcilicet non ad fatisfaciendum, fed ad fpiritualiter nutriendum per unionem ad Chriftum & ad membra eius. Sed quia hæc unitas fit per chariratem ex cuius feruore aliquis confequitur remisfionem nõ folùm culpæ, fed etiam pœnæ inde eft, quod ex confequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum, homo confequitur remisfionẽ pœnę non quidem totius, fed fecundùm modum fuæ deuotionis, & feruoris inquantum uerò eft facrificium, habet uim fatisfactiuam. Sed in fatisfactione magis attenditur effectus offerẽtis, quàm quãtitas oblationis.

Quam-

Quamuis ergo hęc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum per omni pœna: tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, uel etiam offerentibus, secundùm quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota pœna.

ART. VI. Vtrum per hoc Sacramentum præseruetur homo à peccatis futuris.

Conclusio. Cùm per Eucharistiæ sacramẽtum, quo Deo coniungimur & passio ipsa Christi significatur, intus animo homines roborentur, & exterius omnis dæmonum depellatur incursus: eo præseruari homines à futuris peccatis, certum est.

ART. VII. Vtrum hoc Sacramentum prosit alijs, quã sumentibus.

Conclusio. Inquantum in hoc sacramẽto repræsentatur passio Christi, qua Christus obtulit se hostiam Deo, habet rationem sacrificij: inquantũ uerò in hoc sacramento traditur inuisibilis gratia sub uisibili specie, habet rationem sacramenti. Sic ergo sumentibus quidem prodest & per modum sacramenti, & per modum sacrificij: quia pro omnibus sumẽtibus offertur. Sed alijs, qui non sumunt, prodest per modum sacrificij, inquantum pro salute eorum offertur.

ART. VIII. Vtrum per ueniale peccatum impediatur effectus huius sacramenti.

Conclusio. Quanquam peccata uenialia præterita effectum sacramenti minimè impediant: actu tamen exercita possunt ex parte effectum impedire. Nam effectus huius sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiæ uel charitatis: sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis. Quæ quidem impeditur, si aliquis accedat per peccata uenialia mente distractus. Non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ uel charitatis.

QVAE-

QVAESTIO LXXX.

De usu seu sumptione huius Sacramenti in communi, in duodecim articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum distingui debeant duo modi manducandi corpus Christi.

Cóclusio. Duo sunt manducandi sacramētum modi, alter sacramentalis, per quem solum percipitur sacramentum, alter spiritualis, per quem suscipitur effectus sacramenti, quo homo spiritualiter Christo coniungitur, quorum ille imperfectus, hic autem perfectus est modus.

ART. II. Vtrum solius hominis sit hoc sacramentum spiritualiter sumere.

Conclusio. In hoc sacramento cōtinetur ipse Christus, non in specie ꝓpria, sed in specie sacri. Et angeli quidē māducāt spiritualiter ipsum Christū in sua specie, inquātū ei uniūtur fruitione charitatis perfectæ, & uisione manifesta (quē panem expectamus in patria) non per fidem, sicut nos ei hic unimur. Sed spiritualiter māducare Christū sub speciebus huius sacramēti, inquārū scilicet aliquis credit in Christū cū desiderio sumēdi hoc sacramētū: hoc nō solum est spiritualiter māducare Christū, sed ēt spiritualiter mānducare hoc sacramētū, quod nō competit Angelis. Quia uero ista manducatio sub sacramento, quodammodo deriuatur ab illa manducatione angelorum in patria ideo dicitur homo manducare panem angelorum, quia primo & principaliter est angelorum qui eo fruuntur in specie propria, secundariò autem est hominum, qui Christum sub sacramento accipiunt.

AR. III. Vtrum solus homo iustus possit Christum sacramentaliter manducare.

Con-

Cõclusio. Corpus Chrsti etiam sacramentaliter à peccatoribus sumitur,& contrarium asserere est erroneum. derogat enim ueritati huius sacramẽti,ad quã pertinet,ꝙ manẽtibus speciebus corpus Christi sub eis esse nõ desinat. Species aũt manent,quamdiu substantia panis maneret,si ibi adesset. Substantia uerò panis assumpta à peccatore nõ statim esse desinit, sed manet quãdiu per calorẽ naturalẽ digeratur. Vnde ẽt tãdiu corpus Christi sub speciebus sacramentalibus manet à peccatoribus sumptis. Itaq; peccator sacramentaliter corpus Christi mãducare potest,& nõ solũ iustus. Sed iustus ẽt spirituali mãducatione fruiť, quæ peccatoribus nõ conuenit præter solã corporalẽ & sacramẽtalẽ. Qđ si infidelis etiã sumat species sacrã tales corpus Christi sub sacramẽto sumit. Vnde manducat Christũ sacramẽtaliter,ex parte mãducati,nõ aũt ex parte manducantis,propriè loquendo: quia nõ utitur eo ut sacramento,sed ut simplici cibo: nisi fortè intenderet recipere illud qđ Ecclesia confert,licet nõ haberet fidẽ uerã ẽt circa hoc sacramẽtũ. Sed & si mus uel canis hostiã cõsecratã manducet, substantia corporis Christi nõ desinit esse sub speciebus,quãdiu species ille manẽt: hoc est quãdiu substãtia panis maneret,sicut ẽt si proiiceretur in lutũ. Nec hoc uergit in detrimẽtũ dignitatis corporis Christi,qui uoluit à peccatoribus crucifigi absq; diminutione suæ dignitatis: præsertim cũ mus aut canis nõ tãgat ipsum corpus Christi secundùm propriam speciem, sed solum secundũ species sacramentales. Nec tamen dicẽdum est,quòd animal brutum sacramẽtaliter corpus Christi manducet: quia non est natũ uti eo ut sacramento. Vnde non sacramentaliter, sed per accidens corpus Christi manducat: sicut mãducaret ille, qui sumeret hostiam consecratam, nesciens eam esse consecratã.

ART.

ART. IIII. Vtrum peccator sumens corpus Christi sacramentaliter, peccet.

Conclusio. Duplex est res huius sacri. Vna quidem significata & contenta, s. ipse Christus: alia autem significata & non contenta, s. corpus Christi mysticũ, quod est societas Sanctorũ. Quicunq; ergo hoc sacr̃m sumit, ex hoc ipso significat se esse Christo unitum, & mẽbris eius iucorporatũ. Quod quidẽ fit per fidẽ formatã, quam nullus habet cũ peccato mortali. Et ideo manifestũ est, ꝙ quicunq; cũ peccato mortali hoc sacramentũ sumit, falsitatem in hoc sacr̃o committit: & ideo incurrit sacrilegium, tanquam sacramenti uiolator: & propter hoc mortaliter peccat.

ART. V. Vtrum accedere ad hoc sacramentum cum conscientia peccati, sit grauissimum omnium peccatorum.

Conclusio. Hoc peccatũ est multis alijs grauius secundùm suam speciem: non tamen est omnium grauissimum. Nã ille qui proijceret hoc sacramentum in lutũ, multò grauius peccaret, quàm ille qui cũ cõsciẽtia peccati mortalis ad id accedit, q̃a ille hoc faceret ex intentione iniuriam faciendi huic sacr̃o, quod nõ intendit peccator indignè corpus Christi accipiens.

ART. VI. Vtrum sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti.

Conclusio. Manifestis ac publicis peccatoribus ẽt petentibus est sacra deneganda communio, non autẽ occultis. Potest tamen sacerdos, qui est conscius criminis, occultè monere peccatorẽ occultum, uel etiam in publico generaliter omnes, ne ad mensam Domini accedant, antequam de peccatis pœniteant, & Ecclesiæ reconcilientur. Nam post pœnitentiam & reconciliationem, etiam publicis peccatoribus non est communio deneganda, præcidué in articulo mortis.

ART. VII. Vtrum nocturna pollutio aliquem impediat à sumptione huius sacramenti.

Conclusio. Quamuis nocturna ipsa pollutio ſm se considerata, peccatum mortale esse non posit, nihilominus tamen ratione suæ causæ quandoque habet peccatum mortale annexum. Et si quidē causa sit sine peccato, uel cū peccato ueniali, non ex necessitate impedit sumptionē huius sacri:ita. s. ꝙ homo sumendo sit reus corporis & sanguinis Domini. Si uerò sit cū peccato mortali, impedit ex necessitate. Ex quadam uerò congruentia impedit quantū ad duo, quorum unū sēper accidit, s. quædam fœditas corporalis, cū qua propter reuerentiam sacramēti, non decet ad altare accedere. Aliud autem est euagatio mentis quæ sequitur pollutionem nocturnam, præcipuè quando cū turpi imaginatione contingit. Hoc tamen impedimētum, quod ex cōgruitate prouenit, postponi debet propter aliquā necessitatem, puta cùm fortasse aut festus dies exigit, aut exhibere ministerium, pro eo quòd sacerdos alius deest, ipsa necessitas compellit.

ART. VIII. Vtrum cibus uel potus præassumptus impediat sumptionem huius sacramenti.

Conclusio. Solum mortale crimen impedit secundùm se huius sumptionem sacramenti; cibus uerò uel potus præassumptus non nisi ex rationabili Ecclesiæ statuto. Ab hac tamen generali regula excipiuntur infirmi: qui statim cōmunicādi sunt etiam post cibum, si de eorum periculo dubitatur, ne sine communione decedant: quia necessitas legem non habet. Reliquiæ item cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem huius sacramenti: quia non traijciuntur per modum cibi, sed per modū saliuæ. Et eadem ratio est de reliquijs aquæ uel uini, quibus os abluitur: dummodo non traijciantur in

magna

magna quantitate, sed permixtæ saliuæ, quod uitari non potest. Et quia Ecclesia Romana diem à media nocte incipit, ideo si post mediam noctem aliquis sumpserit aliquid per modum cibi uel potus, non potest eadem die hoc sumere sacramētum: potest uerò, si ante mediam noctem.

ART. IX. Vtrum non habentes usum rationis, debeant suscipere hoc sacramentum.

Conclusio. Non quicunque usu rationis carentes arcendi sunt à sumptione Eucharistiæ, sed hi, qui nũquam habuerunt usum rationis: his uerò, qui in principio habuerunt rationis usum, & postea caruerũt, in articulo mortis exhiberi potest sacramētum, nisi fortè uomitus uel expuitionis periculum timeatur.

AR. X. Vtrũ liceat quotidie hoc sacramētũ suscipere.

Conclusio. Ex parte ipsius sacramenti, cuius uirtus est hominibus salutaris, utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie eius fructũ pcipiat. Sed quia multoties in pluribꝰ hominũ multa impedimēta huius deuotionis occurrunt, ꝓpter corporis indispositionē uel animę, non est utile omnibus hominibꝰ quotidie ad hoc sacramētũ accedere, sed quotiescunq; se ad illud homo inuenerit præparatũ. Nõ est aũt pluries in die cõmunicãdũ, ut saltē ꝑ hoc ꝙ aliqs semel in die cõmunicat, repſentet unitas passionis Christi. Et quidē in primitiua Ecclesia quãdo magna uigebat deuotio fidei Christianæ statutũ fuit, ut quotidie fideles cõmunicarēt. Postmodm uerò diminuto fidei feruore, indultum est, ut si non frequentius, saltē ter in anno omnes communicent, scilicet in Pascha, Pentecoste, & Natali Domini. Postmodum propter iniquitatis abundantiam refrigescente charitate multorum, statutum est ut saltem semel in anno, scilicet in Pascha, fideles commnicent. Consulitur tamen in

lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, omnibus diebus Dominicis esse communicandum.

ART. XI. Vtrum liceat omnino à cõmunione cessare.

Conclusio. Quanquam sacramentaliter nõ omnes (ut pueri) teneantur de necessitate salutis sumere; tamẽ spiritualiter, seu uoto omnes (præsertim adulti) sumere tenentur, non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini. Et licet in peccatis permanẽtes non excusentur propter hoc à trãsgressione pręcepti pœnitentes tamen, qui ad tempus secundùm consilium sacerdotis abstinent, excusantur.

AR. XII. Vtrũ liceat sumere corp⁹ Xp̃i sine sanguine.

Cõclusio. Quia ad sacerdotẽ pertinet hoc sacrametum cõsecrare & perficere, nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine. Ex parte aũt sumentiũ requiritur summa reuerẽtia, & cautela, ne aliquid accidat, ꝙ uergat ad iniuriã tanti mysterij. Quod pręcipuè posset accidere in sanguinis sumptione: qui q̃dẽ si incautè sumeretur, de facili posset effundi. Et ideo prouidè in quibusdam Ecclesijs obseruatur, ut populo sanguis sumẽdus non detur, sed solum à sacerdote sumatur, Nec exinde sequitur aliquod detrimentum: quia sacerdos in persona omnium sanguinem offert, & sumit, sub utraq; specie totus Christus cõtinetur.

QVAETIO LXXXI.

De modo quo Christus usus est hoc Sacramento in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum Christus sumpserit suũ corpus & sanguinẽ.

Conclusio. Christus non modo sui corporis sacramentum instituit sumendum alijs, sed ipsum etiam sumpsit. Nam quæ ab alijs obseruanda instituit, ipse primitus obseruauit. Quamuis autem Christo gratia

non

non fuerit augmentata ex suſceptione huius ſacramẽti, habuit tamen quandam ſpiritualem delectationẽ in noua inſtitutione huius ſacramenti. Vnde ipſe dicebat deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare uobiſcum, quod Euſebius exponit de nouo myſterio noui Teſtamenti.

AR.II. Vtrum Chriſtus dederit Iudæ corpus ſuum.

Concluſio. Quia Chriſtus nobis debuit eſſe exẽplũ iuſtitiæ, nõ conueniebat eius magiſterio, ut Iudã occultũ peccatorẽ, ſine accuſatore & euidenti probatione ab aliorũ cõione ſepararet, ne per hoc daretur exẽplũ prælatis Eccleſiæ, ſimilia faciendi, & ipſe Iudas exaſperatus inde ſumeret occaſionẽ peccandi. Et ideo Iudas cũ alijs Diſcipulis corpus Domini & ſanguinẽ ſuſcepit. Chriſto autẽ nota erat Iudæ iniquitas, ſicut Deo: nõ aũt per modũ, quo hominibus innoteſcit. Neque Iudas ſub pane intincto corpus Chriſti ſumpſit, ſed ſimplicem panem: corpus autem antea ſumpſerat.

ART.III. Vtrum Chriſtus ſumpſerit & Diſcipulis dederit corpus ſuum impasſibile.

Concluſio. Idẽ corpus Chriſti erat quòd à Diſcipulis tunc in propria ſpecie uidebatur, & in ſpecie ſacri ſumebatur. Non aũt erat impasſibile, ſecũdum quod in propria ſpecie uidebaẽ, quinimo erat pasſioni paratum. Vnde nec ipſum corpus Chriſti, quod in ſpecie ſacramenti dabatur, impasſibile erat. Impasſibili tamen modo erat ſub ſpecie ſacramenti, quod in ſe erat pasſibile: ſicut inuiſibiliter, quod in ſe erat uiſibile.

ART. IIII. Vtrum ſi hoc ſacramentum tempore mortis Chriſti fuiſſet ſeruatum uel conſecratum, ibi moreretur.

Concluſio. Corpus Chriſti idem in ſubſtãtia eſt in hoc ſacro & in propria ſpecie, ſed non eodem modo. Nam in propria ſpecie contingit circunſtantia cor-

pora per proprias dimẽſiones,non autem prout eſt in hoc ſacr̃o.Et ideo quicquid pertinet ad Chriſtum ſecundum quod in ſe eſt,poteſt attribui ei & in propria ſpecie,& in ſacr̃o exiſtenti:ſicut uiuere, mori dolere, animatum uel inanimatum eſſe,&c.Quæcunque uerò conueniunt ei per comparationem ad corpora extrinſeca,poſſunt ei attribui in propria ſpecie exiſtenti,n on autem prout eſt in ſacramento: ſicut irrideri, conſpui crucifigi,flagellari,& cætera huiuſmodi.

QVAESTIO LXXXII.

De miniſtro huius Sacramenti, in decem articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum conſecratio huius ſacramenti ſit propria ſacerdotis.

Concluſio.Hoc ſacramentum eſt tantæ dignitatis, quòd non conficitur niſi in perſona Chriſti. Quicũq; aũt aliquid agit in perſona alterius, oportet hoc fieri per poteſtatẽ ab illo conceſſam.Sacerdoti autẽ,cũ ordinatur,confertur poteſtas hoc ſacr̃m conſecrandi in ꝑſona Chriſti. Per hoc.n.ponitur in gradu eorũ, quibus dictũ à Domino:hoc facite,&c.& ideo propriũ ẽ ſacerdotiũ cõficere hoc ſacr̃m.Et quidem laicus iuſtꝰ unitus eſt Chriſto unione ſpirituali per fidem & charitatem,nõ autem per ſacramentalem poteſtatem. Et ideo habet ſpirituale ſacerdotium ad offerendum ſpirituales hoſtias,non autem ſacramentales.

ART. II. Vtrum plures ſacerdotes poſsint unam & eandem hoſtiam conſecrare.

Concluſio.Secundùm conſuetudinem quarũdam Eccleſiarum, noui ordinati Epiſcopo ordinanti concelebrant.Nec propter hoc iteratur conſecratio ſuper eandem hoſtiam:quia omnium intentio debet ferri

ad

ad idem instans consecrationis.

ART. III. Vtrum dispensatio huius sacramenti pertineat solum ad sacerdotem.

Conclusio. Ad sacerdotē pertinet dispēsatio corporis Christi: Primò, quia ipse cōsecrat in persona Christi. Vnde sicut ad sacerdotē pertinet cōsecratio corporis Christi, ita ēt & dispensatio. 2. qa sacerdos cōstituitur medi⁹ inter Deū & populū. Vnde sicut ad eū pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eū pertinet dona sanctificata diuinitus populo tradere. 3. quia in reuerentiā huius sacri, nulla re cōtingitur nisi consecrata. Vnde & corporale & calix consecrantur, & similiter manus sacerdotis, ad tangendū hoc sacrm. Vnde nulli alij tangere licet, nisi in necessitate: puta si caderet in terram, uel aliquo alio necessitatis casu.

ART. IIII. Vtrum sacerdos consecrans teneatur sumere hoc sacramentum.

Conclusio. Eucharistia non solùm est sacramentū, sed etiam sacrificium. Quicunque autem sacrificium offert, debet sacrificij fieri particeps: quia exterius sacrificium, quòd offertur, signum est interioris sacrificij, quo quis seipsum offert Deo. Vnde per hoc quòd participat sacrificio, ostendit ad se sacrificium interius pertinere. Similiter etiam per hoc quòd sacrificium populo dispensat, ostendit se esse dispensatorem diuinorum, quorum ipse primò debet esse particeps. Et ideo ipse antè sumere debet, quàm populo dispenset. Et ideo necesse est, quòd sacerdos, quotiescunq; consecrat, sumat integrè hoc sacramentum. Si uerò miraculosè corpus Christi in altari sub specie carnis appareat, aut sanguis sub specie sanguinis, non est sumendum. Consulendum tamen esset sacerdoti, quòd iteratò corpus & sanguinem Domini consecraret, & sumeret.

ART. V. Vtrum malus sacerdos Euchariſtiam conſecrare poſſit.

Concluſio. Cùm ſacerdotes non propria, ſed Chriſti uirtute conficiant ſacr̄m: poſſunt, etiam ſi mali fuerint, perficere ſacramentum. Poteſt enim aliquis eſſe minister Chriſti, etiam ſi iuſtus non ſit. Nã Deo ſeruiunt non ſolum bona, ſed etiam mala, quæ per ipſius prouidentiam in eius gloriam ordinãtur. Verum maculoſi ad altare accedere prohibentur. Non tamẽ remouetur, quin ſi acceſſerint, ſit uerum ſacrificium quod offerunt: quia benedictio ſacerdotis peccatoris, inquantum ab ipſo indignè fit, eſt maledictione digna: inquantum autem profertur ex perſona Chriſti, eſt ſancta & efficax ad ſanctificandum.

ART. VI. Vtrum miſſa mali ſacerdotis minus ualeat, quàm miſſa ſacerdotis boni.

Concluſio. Quantum ad ſacramentum, non minus ualet miſſa ſacerdotis mali, quàm boni: quia utrobiq; idem conficitur ſacramentum. Oratio uerò quæ fit in miſſa, inquantum habet efficaciam ex deuotione ſacerdotis orantis, non eſt dubium, quòd miſſa melioris ſacerdotis magi eſt fructuoſa. Sed inquantum oratio in miſſa profertur à ſacerdote in perſona totius Eccleſiæ, cuius eſt miniſter (quod quidem miniſterium etiã in peccatoribus manet) eſt fructuoſa non ſolum oratio ſacerdotis peccatoris in miſſa: ſed etiam omnes eius orationes, quas facit in Eccleſiaſticis officijs, in quibus gerit perſonam Eccleſiæ: licet orationes eius priuatæ non ſint fructuoſæ.

ART. VI. Vtrum hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati poſſint conſecrare.

Concluſio. Poſſunt ſchiſmatici, atque excommunicati hoſtiam cõſecrare, dummodo fuerint antè ordinati, cùm conſecratio ſit actus conſequens ordinis po-

teſtatem

testatem: non tamen hoc recte faciunt, sed peccant facientes. Et ideo fructum sacrificij nō percipiūt: quod est sacrificium spirituale. At solus baptismus permittitur esse ratus hæreticis & schismaticis, quia possunt licite baptizare in articulo necessitatis. In nullo autem casu licitè possunt alia sacramenta conferre. Et licet sacerdos ab unitate Ecclesiæ pcisus, missam celebret, quia potestatem ordinis non amittit, & cōsecrat uerū corpus & sanguinē Christi: tamē quia est ab Ecclesiæ unitate separatus, orationes eius efficaciā non habent.

ART. VIII. Vtrum sacerdos degradatus possit hoc sacramentum conficere.

Conclusio. Potestas consecrandi Euchariſtiam pertinet ad characterem sacerdotalis ordinis. Character autem cuilibet, quia cum quadam consecratione datur, indelebilis est. Vnde potestas consecrandi non amittitur per degradationem. Etsi degradatis quidē auferatur executio potestatis sacerdotalis, quasi ī perpetuum condemnatis.

ART. IX. Vtrum liceat ab excommunicatis, uel hæreticis, seu peccatoribus, communionem recipere, & eorum missam audire.

Conclusio. Non licet ab excommunicatis, & hæreticis, & schismatis, seu publicis peccatoribus sacramētum suscipere, uel missam audire: quamdiu sunt per sententiam Ecclesiæ executione huius potestatis priuati. Vsque autem ad sententiam Ecclesiæ licet.

ART. X. Vtrum liceat sacerdoti, omnino à cōsecratione Eucharistiæ abstinere.

Cōclusio. Vnusquisque tenetur uti gratia sibi data cum fuerit oportunum. Oportunitas autem sacrificium offerendi, non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem

ad Deum, cui cõsecratione huius sacri sacrificiũ offertur. Vnde sacerdoti, ẽt si nõ habeat curã aĩarum, non licet omnino à celebratione cessare sed saltẽ celebrare tenetur in præcipuis festis, & maximè in illis dieb⁹ in quibus fideles cõmunicare consueuerunt. Et quia hoc sacr̃m perficitur nõ in solo usu, sed in consecratione Eucharistię in qua sacrificiũ Deo offert: ad hoc sacerdos obligat Deo ex ordine iã suscepto: nisi ex ĩpedimẽto legitimo puta si ꝑ sentẽtiã Ecclesiæ sit executione ordinis priuatus, uel simpliciter, uel ad tẽpus, aut si debilitas uel ægritudo aliqua superueuiat, uel ẽt ob quãcũq; alienationẽ mẽtis. Põt tñ leprosus missam dicere occulte, nisi lepra adeò ĩualuẽrit, ꝙ per corrosionẽ membrorũ eum ad hoc reddiderit impotentem.

QVAESTIO LXXXIII.

De ritu huius Sacramenti, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum in hoc sacramento Christus immoletur.

Cõclusio. Duplici ratione celebratio huius sacramenti dicitur immolatio Christi. Primo quidẽ, quia solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt. Celebratio autem huius sacramenti, imago quædam est repræsentatiua passionis Christi, quę est uera eius immolatio. Et ideo celebratio huius sacramenti dicitur Christi immolatio. Alio modo quantum ad effectum passionis Christi: quia scilicet per hoc sacramẽtum participes efficimur fructus Dominicæ passionis. Vnde dicitur: Quoties huius hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur. Quãtum igitur ad primum modum, poterat dici Christus immolari etiam in figuris ueteris Testamenti. Vnde dicitur: Quod agnus occisus est ab origine mundi. Sed quantum ad secundum

dum modum proprium est huic sacramento quod in eius celebratione Christus immoletur.

AR.II. Vtrum cōueniēter sit determinatum tempus celebrationis.

Conc. Quia Dñicę passionis fructu quotidie indigemus, & a tertia usq; ad horā nonā passus est Christus: ideo regulariter quotidie, & in illa parte diei solenniter hoc sacr̄m in Ecclesia celebratur. Sed tñ Paschatis tpe recolitur passio Christi solū s̄m hoc q in ipso capite nostro fuit pfecta. Quod quidē factū est semel. Et ideo illa cōmemoratio fit semel in anno. Inde ēt in die quo ipsa passio Dñi recolitur, prout realiter gesta est, nō celebratur consecratio huius sacr̄i: scilicet in die Parasceues. In die aūt Natiuitatis plures missæ celebrātur pp triplicē Christi Natiuitatē. Quarū una est æterna, quæ quantū ad nos est occulta. Et ideo una missa cātatur in nocte. Alia aūt est tēporalis, sed spiritualis: qua scilicet Christus oritur tanquā lucifer ī cordibus nostris. Tertia est Christi natiuitas tēporalis & corporalis: secundum quā uisibilis nobis processit ex utero Virginali, carne indutus. Et ob hoc cantatur tertia missa in clara luce. Sicut etiam & in aliis diebus, in quibus occurrunt plura Dei beneficia, uel recolenda, uel expetenda, plures missæ celebrātur in die. Et licet Christus ultimo hoc sacramētum Discipulis traderet, ut fortius eorum cordibus imprimeretur (& ideo post cœnam in fine diei hoc sacramentum consecrauit) à nobis tamen celebratur hora Dominicę passionis, scilicet diebus festis in tertia, quādo crucifixus est linguis Iudæorum, & quando Spiritus sanctus descēdit super discipulos: uel diebus profestis in sexta, quando crucifixus est manibus militum uel diebus ieiuniorum in nona, quando uoce magna clamans emisit spiritum. Potest tamen tardari, maximè

quando

qñ sunt Ordines faciendi, uel ēt accelerari pp aliquã necessitatē, Cū aūt regulariter missa debeat celebrari in die, & nō in nocte: specialiter tñ in nocte natalis Dñi missa cele bratur, pp hoc ꝙ Dñs in nocte natus est. Et similiter ēt in sabbato sancto circa noctis principiū pp hoc ꝙ Dominus nocte surrexit, id est, cū adhuc tenebræ essent ante manifestum solis ortū. Et excepto die natiuitatis Dominicæ (nisi causa necessitatis suadeat) sufficit sacerdoti unā missam in die una celebrare: quia Christus semel passus est, & totū mundū redemit: & ualde fœlix est, qui unā digne celebrarē potest. Quidam tñ pro defunctis unā faciunt, alterā de die, si necesse sit. Qui uerò pro pecunia aut adulationibus secularium, una die præsumunt plures celebrare missas, non æstimo euadere damnationem.

ART. III. Vtrum oporteat hoc sacramentum celebrari in domo & uasis sacris.

Conclusio. Circa hoc sacramentum duo considerantur. Quorum unum pertinet ad repræsentationem eorum, quæ circa Dominicam passionem sunt acta: Aliud ad reuerentiam huius sacramenti, in quo Christus secundum ueritatem continetur, & non solum in figura. Vnde & consecrationes adhibentur his rebus, quæ ueniunt in usum huius sacramenti: tum propter sacramenti reuerentiam, tum ad repræsentandum effectū, qui ex passione Christi prouenit. Regulariter ergo hoc sacramentum celebrari debet in domo, per quam significatur Ecclesia. Extra Ecclesiam enim non est locus ueri sacrificii. Et quia Ecclesia non erat concludēda sub finibus gentis Iudaicæ, sed erat in uniuerso mundo fundanda: ideo passio Christi non est celebrata intra ciuitatem Iudæorum, sed sub dio: ut sic totus mundus se haberet ad passionem Christi ut domus. Et tamen cōceditur, in itinere positis, si Ecclesia

defuerit,sub dio,seu intentorio,si tabula altaris con secrata,cæteraque sacra ministeria ad id officium pertinentia ibi affuerint.missarum solennia celebrari. Ecclesia autem conuenienter consecratur,tum ad repręsentandam sanctificationem,quam Ecclesia consecuta est per passionem Christi: tum etiam ad significãdum sanctitatem, quæ requiritur in his qui hoc sacramẽtũ suscipere debent.Per altare aũt significat̃ ipse Christ⁹. Vnde & consecratio altaris significat sanctitatẽ Christi.Itaq; regulariter nõ licet celebrare hoc sacr̃m,nisi in domibus cõsecratis.Propter necessitatẽ t̃n põt hoc sacr̃m peragi ĩ domibus nõ cõsecratis,uel uiolatis:sed t̃n de cõsensu Episcopi.Nõ t̃n sine altari portatili cõsecrato.Ecclesia aũt & altare, & alia huiusmodi ĩanimatã cõsecrãtur,nõ quia sint gratiæ susceptiua, sed quia ex consecratione adipiscũtur quandã spiritualẽ uirtutem, per quam apta redduntur diuino cultui:ut scilicet homines deuotionẽ quandam exinde percipiãt, ut sint paratiores ad diuina, nisi hoc ꝑ ꝑ irreuerentiã impediatur. Et inde est,ꝙ huiusmodi ante consecrationem emundantur & exorcizantur, ut exinde uirtus inimici pellatur. Et eadem ratione Ecclesiæ,quæ sanguinis effusione, aut cuiuscunque semine pollutæ fuerint,reconciliantur: quia per peccatum ibi commissum,apparet ibi aliqua operatio inimici.Propter autem uirtutem,quæ ex consecratione Ecclesiæ acquiritur,consecratio Ecclesiæ non iteratur, nisi propter causas prædictas. At Ecclesiæ, uel altaria, quæ ambigua sunt de consecratione,consecrentur. Inde etiam ligna Ecclesiæ dedicata,non debent ad aliud opus iungi,nisi ad aliam Ecclesiam, uel igni comburenda, uel ad profectum in Monasterio fratribus.

AR.IIII.Vtrum conuenienter ordinentur ea quæ circa hoc sacramentum dicuntur.

Con-

Conc. Quæcunque circa Eucharistię sacrm in missa agunt, aut dicunt, nõ sine ratione instituta sunt ab Ecclesia. Et quia in sacro totũ mysteriũ nostræ salutis cõprehẽditur, ideo præcęteris sacris cũ maiori solennitate agit. Et consecratio quidẽ solis uerbis Christi cõficit. Alia uerò necesse est addere ad præparationẽ populi. Et quãuis efficacia uerborũ sacraliũ impediri põt per intentionẽ sacerdotis (Nec tñ est incõueniens ꝙ à Deo petamus id ꝙ certissimè scimus ipsum factũ rũ) nõ tñ uidetur sacerdos in missa orare, ut consecratio impleatur, sed ut nobis fiat fructuosa. Vnde signãter dicit: Vt nobis corpus & sanguis fiat. Et hoc significãt uerba, quæ præmittit, dicens: Hãc oblationẽ facere digneris benedictã, ẽm Augustinũ, id est, per q̃ benedicamur scilicet, per gratiã, ascriptã, id est, per q̃ in cœlo ascribamur: ratã, id est, per q̃ de uisceribus Christi esse censeamur: rationabilẽ, id est, per q̃ à bestiali sensu exuamur: acceptabilẽ, ut qui nobisipsis displicemus, per hãc acceptabiles eius unico filio simus. Item q; licet hoc sacrm ex seipso præferatur oĩbus antiquis sacrificijs: tñ sacrificia antiquorũ fuerũt Deo acceptissima ex eorũ deuotiõe. Petit ergo sacerdos ut sic hoc sacrificium acceptetur à Deo ex deuotione offerentium, sicut illa accepta fuerunt Deo. At neque sacerdos petit, aut quod species sacramentales deferantur in cœlum aut corpus Christi uerum, quod ibi esse nõ desinit: sed petit hoc pro corpore mystico (quod in hoc sacramento significatur) ut scilicet orationes sacerdotis & populi Angelus assistens diuinis mysterijs Deo representet. Sublime autem altare Dei dicitur uel ipsa Ecclesia triumphans, in quam trãsferri petimus uel ipse Deus, cuius participationẽ petimus. Vel per Angelum intelligitur ipse Christus, qui est magni consilij Angelus, qui corpus suum mysticum Deo

patri

patri coniungit, & Ecclesiæ triumphanti. Et propter hoc etiã missa nominatur, quia per Angelũ sacerdos præces ad Deum mittit, sicut populus per sacerdotẽ: uel quia Christus est hostia nobis missa à Deo.

ART. V. Vtrum ea quæ in celebratione huius sacramenti aguntur, sint conuenientia.

Conclusio. Quæcunque cæremonialia circa hoc sacramentum aguntur, sunt certa ratione statuta, uel ad repræsentandam Christi passionem, uel etiã dispositionem corporis mystici, uel ad deuotionem & reuerentiam huius sacramẽti, ut ablutio manuum, &c. Nec tamen Ecclesia hoc seruat tãquam cæremoniale ueteris legis præceptum, sed quasi ab Ecclesia institutum, sicut quiddam secundùm se conueniens. Et ideo nõ eodem modo obseruatur, sicut tunc: ueluti etiam in thurificatione, & alijs huiusmodi. Neq; ea quę sacerdos in missa facit, sunt ridiculosæ gesticulationes: fiũt.n. ad aliquid repræsentandũ. Quòd.n. brachia extendit post cõsecrationẽ, significat extẽsionẽ brachiorũ Christi in Cruce. Leuat etiã manus orando, ad designandũ ꝙ oratio eius dirigitur pro populo ad Deũ. Quòd autẽ manus interdum iungit, & se inclinat, est suppliciter & humiliter orantis, & designat humilitatem & obedientiam Christi, ex qua passus est. Digitos autem iungit post consecrationem, scilicet pollicem cum indice, quibus corpus Christi consecratũ tetigerat, ut si qua particula digitis adhæserit, nõ dispergatur: quod pertinet ad reuerentiã sacramenti.

ART. VI. Vtrum posit sufficienter occurri defectibus circa celebrationem huius sacramenti occurrentibus, statuta Ecclesiæ obseruando.

Conclusio. Quicunque defectus in missa occurrentes possunt ex Ecclesiæ statutis emendari, uel præueniendo ne accidant, uel si sequantur, emendãdo, uel

adhibendo remediũ, uel saltē per pœnitētiā eius qui negligenter ęgit circa hoc sacr̄m, 2. Itaq; si sacerdos morte aut infirmitate graui occupetur ante consecrationē corporis & sanguinis Domini, non oportet ut ꝑ aliũ suppleatur. Si uerò incepta consecratione hoc acciderit dēt missæ celebritas per aliũ expleri. 2. si sacerdos post consecrationē inceptā, recordetur se aliquid comedisse, uel bibisse nihilominus dēt perficere sacrificiũ, & sumere sacr̄m. Similiter si recordetur se peccatũ aliquod cõmisisse, dēt pœnitere cũ proposito confitendi & satisfaciendi: & sic non indigne, sed fructuosè sumere sacr̄m. Et eadem ratio est si meminerit se excommunicationi cuicunq; subiacere, dēt. n. assumere propositũ humiliter absolutionē petendi, & sic per inuisibilem pontificē Iesum Christũ absolutionē consequetur quantum ad hunc actũ, ꝙ peragat diuina mysteria. Si uerò ante cõsecrationē alicuius prædictorũ sit memor tutius reputarē, maximè in casu manducationis & excommunicationis, ꝙ missā inceptā desereret, nisi graue scandalũ timeretur. 3. ꝙ si musca uel aranea in calicē ante consecrationē ceciderit, aut etiā uenenũ deprehenderit esse immissum debet effundi, & abluto calice, denuò aliud uinũ poni consecrandũ Si uerò aliquid horum post consecrationē acciderit, debet animal cautè capi, & diligenter lauari & cõburi, & ablutio cũ cineribus in sacrariũ mitti. Si uerò uenenũ ibi esse deprehēderit immissum nullo modo debet sumere, nec alij dare, ne calix uitæ uertat in mortē: sed dēt diligēter in aliquo uasculo ad hoc apto cũ reliquijs cõseruari. Et ne sacr̄m remaneat imperfectũ, debet aliud uinum apponere in calicem, & denuò resumere à cõsecratione sanguinis, & sacrificiũ ꝑficere. 4. Si sacerdos ante consecrationem sanguinis, & post consecrationem corporis, percipiat aut uinum, aut

aquam

aquã nõ esse in calice debet statim apponere, & cõse crare. Si uerò post cõsecrationis uerba perceperit, ꝙ aqua desit: debet nihilho minus ꝓcedere: quia impo sitio aquæ, non est de necessitate sacraméti. Debet tñ puniri ille, ex cuius negligẽtia hoc contingit. Nullo aũt modo debet aqua uino iã cõsecrato misceri: quia sequeretur corruptio sacramenti pro aliqua parte. Si uerò percipiat post uerba cõsecrationis, ꝙ uinũ non fuerit positũ in calicẽ: si quidẽ hoc ꝑcipiat ante sumptionẽ corporis, debet deposita aqua, si ibi fuerit, im ponere uinũ cũ aqua & resumere à uerbis cõsecratio nis sanguinis. Si uerò hoc ꝑceperit post sumptionem corporis, aliã hostiã apponare debet, iterũ cõsecrãdã simul cũ sanguine. Et debet in fine iterũ sumere hostiã cõsecratã & sanguinẽ, nõ obstante ẽt, si prius sum pserit aq̃, quæ erat in calice: quia p̃ceptũ de ꝑfectiõe sacri maioris est põderis, q̃ p̃ceptũ ꝙ hoc sacrum à ieiunis sumat. 5. licet sacerdos nõ recolat se dixisse aliqua eorũ, q̃ dicere debuit, nõ tñ debet ex hoc mẽte ꝑ turbati: nõ. n. qui multa dicit recolit oĩum, q̃ dixit. Si tñ sacerdoti probabiliter cõstet se aliqua omisisse: si q̃dẽ nõ sunt de necessitate sacri, nõ existimo ꝙ ꝑꝑ hoc debeat resumere, immutãdo ordinẽ sacrificij: sed debet ulterius ꝓcedere. Si uerò certificet, se omisisse ali quid eorũ, quæ sunt de necessitate sacri, s. formã con secrationis, cũ forma cõsecrationis sit de necessitate sacri, sicut & materia, idẽ uidetur faciẽdũ, qđ dictum est in defectu materiæ, ut scilicet resumatur à forma cõsecrationis, & cętera ꝑ ordinẽ reiterẽtur, ne mutetur ordo sacrificij. 6, fractio hostię cõsecratę. & ꝙ una sola pars mittat in calicẽ, respicit corpꝰ mysticũ, sicut admixtio aquæ significat populũ. Et ideo horũ p̃ter missio nõ facit imꝑfectionẽ sacrificij, ut ꝑꝑ hoc sit ne cesse aliquid reiterare circa celebrationẽ huius sacri.

7.Si per negligētiā aliquid de sanguine stillauerit in tabulā, q̄ terræ adhęret, lingua lābetur, & tabula radetur. Si uerò nō fuerit tabula, terra radeť & igni consumetur. & cinis intra altare condetur, & sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si aūt sup altare stillauerit calix, sorbeat minister stillā, & tribus diebus pœniteat. Si sup linteū altaris, & ad aliud stilla puenerit, decē diebus pœniteat. Si usque ad tertiū, nouē dieb⁹ pœniteat. Si usq; ad quartū, uiginti diebus pęniteat: & linteamina quæ stilla tetigerit, trib⁹uicib⁹lauet minister calice subtus posito: & aqua ablutionis sumať, & iuxta altare recōdatur. posset ēt sumi in potū à ministro, si uelit. Quidā aūt ulterius partē illā linteaminū incidūt, & comburūt, & cinerē in altari uel sacratio reponūt. 8. Si quis per ebrietatē uel uerocitatem Eucharistiam euomuerit, quadraginta diebus pœniteat, si laicus est: clerici, uel monachi, seu diaconi & presbyteri, septuaginta diebus pœniteant: Epus, nonaginta. Si aūt infirmitatis causa euomuerint, septē diebus pœniteāt. 9. Qui nō bene custiodierit sacrum & m⁹ uel aliquod aliud animal illud comederit, quadraginta diebus pęniteat. Qui autē perdiderit illud in Ecclesia aut pars eius ceciderit, & nō inuēta fuerit triginta diebus pęniteat. Et eadē pœnitētia uideť dignus sacerdos, p cuius negligētiā hostiæ cōsecratę putrefiūt. Prædictis aūt dieb⁹ debet pęnitēs ieiunare, & à cōmunione cessare. Vbicunq; aūt species integrę inueniūtur, sunt reuerenter cōseruādæ, uel ēt sumendæ quia manētibus speciebus manet ibi corpus Christi. Ea uerò: in quibus inueniuntur, si commode fieri potest, sunt comburenda, cinere in sacrario recondito.

QVAESTIO LXXXIIII.

De Sacramento Pœnitētiæ, in decem articulos diuisa.

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

VVrum pœnitentia sit sacramentum.

Cõclusio. Sacramentum est in aliqua cælebratione, cum res gesta ita sit, ut aliquid significatiuè accipiamus quod sancta accipiendum est. Manifestum est autem, quòd in pœnitẽtia ita res gesta sit, quòd aliquid sanctũ significat tam ex parte peccatoris pœnitentis, quàm ex parte sacerdotis absoluentis: nam peccator pœnitens per ea quæ facit & dicit, ostendit cor suum à peccato recessisse. Similiter etiã sacerdos per ea quæ agit & dicit circa pœnitentem, sinificat opus Dei remittentis peccata. Vnde manifestum est, quòd pœnitentia quæ in Ecclesia agitur, est sacramentum.

AR. II. Vtrũ peccata sint propria materia huius sacri.

Conclusio. Proxima sacramenti pęnitẽtiæ materia sunt actus pœnitentis: remota uerò sunt peccata non acceptanda, sed detestanda & destruenda.

AR. III. Vtrũ hæc sit forma hui⁹ sacri, Ego te absoluo.

Conclusio, In qualibet re perfectio attribuitur formæ, hoc autem sacramentũ perficitur per ea quæ sunt ex parte sacerdotis. Vnde oportet quòd ea quæ sunt ex parte pœnitentis, sint quædam materia huius sacramenti: ea uerò, quæ sunt ex parte sacerdotis, se habeant per modum formæ. Cùm autem sacramenta nouæ legis efficiant quod figurant, oportet quòd forma sacramenti significet id quod in sacramento agitur, proportionaliter materiæ sacramenti. At sacramentum pœnitentiæ non consistit in consecratione alicuius materiæ, nec in usu alicuius materiæ sanctificate, sed magis in remotione cuiusdam materiæ, scilicet peccati: prout peccata dicuntur esse materia pœnitẽtiæ. Talis autem remotio significatur à sacerdote, cùm dicitur, Ego te absoluo. Nam peccata sunt quædam uincula, secundùm illud Prouerb. 5. Funibus

peccatorum suorum quisque cõstringitur. Vnde hæc est conuenientissima forma huius sacri, Ego te absol- uo. Et tali forma Ecclesia utitur in sacramẽtali absolutione. Cæterũ absolutiones in publico factæ, non sunt sacramẽtales, sed sunt orationes quædã ordinatę ad remissionẽ uenialiũ peccatorũ. Vnde in sacramentali absolutione nõ sufficeret dicere, Misereať tui omnipotẽs Deus, uel, Absolutionẽ & remissionẽ tribuat tibi Deus: quia per hæc uerba sacerdos absolutionem nõ significat fieri, sed petit ut fiat. Præmittiť tñ in sacramẽtali absolutione talis oratio ne impediať effectus sacri ex parte pęnitẽtis: cuius actus materialiter quodãmodo se habẽt in sacro, nõ aũt in baptismo uel in Cõfirmatione. Licet aũt solus Deus ꝑ auctoritatẽ & à peccato absoluit, & peccatũ remittit: Sacerdotes tñ utrũque faciunt per ministerium: inquãtũ scilicet uerba sacerdotis in hoc sacramento instrumẽtaliter operantur in uirtute diuina, sicut etiã in alijs sacramẽtis.

ART. IIII. Vtrum impositio manuum sacerdotis requiratur ad hoc sacramentum.

Conclusio. Impositio manuum in sacramentis Ecclesiæ fit ad designandum aliquem copiosum gratiæ effectum. Et ideo manus impositio fit in sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus sancti: & in sacramento Ordinis, in quo cõfertur quędam excellentia potestatis in diuinis mysterijs. Sacramentum autem pœnitentiæ non ordinatur ad consequendam aliquam excellentiam gratiæ, sed ad remotionem peccatorum. Et ideo ad hoc sacramẽtum non requiritur manuũ impositio, sicut etiã nec ad baptismum: in quo tamen fit plenior remissio peccatorum.

AR. V. Vtrũ hoc sacramẽtũ sit de necessitate salutis.

Conclusio. Non absolutè pœnitentiæ sacramentũ necessariũ est, ut baptismus, sed ex suppositione, pec-

 cato

cato uidelicet subiacentibus, sicut medicatio corporalis, postquã homo in morbũ periculosum inciderit.

AR.VI.Vtrũ pęnitẽtia sit scd'a tabula post naufragiũ.

Conclusio. Pęnitentiæ sacramentum, cùm non nisi ex suppositiõe actualis peccati necessariũ sit, est quasi secunda post naufragium tabula. Nam primum remedium in mari huius uitæ est, quod homo per aliorum sacramentorum nauigium integritatem seruet: secundùm autẽ remedium est si per peccatum facto naufragio integritatem perdiderit, quòd per pęnitentiæ tabulã enatet & redeat. Pęnitentia autẽ, quæ baptismũ præcedit, non est pęnitentiæ sacramẽtum, sed uirtus.

ART. VII. Vtrum hoc sacramentum fuerit conuenienter in noua lege institutum.

Cõcl. Materia in sacramẽtis præexistit à natura, ut aqua, uel ab arte, ut panis: sed ꝙ talis materia ad sacramẽtũ assumatur, institutione indiget hoc determinãte. Sed forma sacri & uirtus ipsius totaliter est ex institutione Christi, ex cuius pasione ꝓcedit uirtus sacramẽtorũ. Sic ergo huius sacri materia præexistit à natura (ex naturali enim ratione hõ mouetur ad pęnitẽdũ de malis q̃ fecit) sed ꝙ hoc uel illo modo pęnitentiã agat, est ex institutione diuina. Vnde & Domin⁹ in principio ꝑdicationis suæ indixit hoĩbus, ut nõ solũ pęniterẽt, sed ẽt pęnitẽtiã agerẽt significãs determinatos modos actuum, qui requirũtur ad hoc sacramẽtum Sed id quod pertinet ad officiũ ministrorũ, determinauit Matth. 16. ubi dixit Petro, Tibi dabo claues regni cęlorũ, &c. Efficatiam aũt huius sacramenti & originem uirtutis eius, manifestauit post resurrectionẽ Luc. ult ubi dixit, quòd oportet ꝑdicari in nomine eius pœnitẽtiam & remisionem peccatorum in omnes gẽtes, præmiso de pasione & resurrectione, ex uirtute .n. nominis Iesu Christi patiẽtis &

resurgentis hoc sacramentum efficaciam habet in remissionem peccatorum. Et sic conuenienter hoc sacramentum in noua lege est institutum.

ART.VIII. Vtrum pœnitentia debeat durare usque ad finem uitæ.

Conclusio. Interior pœnitentia, qua quis dolet de peccato commisso, debet durare usq; ad finẽ uitæ. Sẽper .n. debet homini displicere ꝙ peccauit: si.n. ei placeret peccasse, iam ex hoc ipso peccatũ incurreret, & fructũ ueniæ perderet. Displicentia aũt dolorẽ causat in eo, qui est susceptiuus doloris, qualis est hõ in hac uita: post hãc uitã aũt sancti nõ sunt susceptiui doloris. Vnde displicebũt eis peccata ꝑterita sine omni tristitia. Pœnitentia uerò exterior, qua quis exteriosa signa doloris ostẽdit, & uerbotenus peccata sua cõfitetur sacerdoti absoluẽti, & iuxta ei' arbitriũ satisfacit, nõ oportet ꝙ duret usq; ad finẽ uitæ, sed usque ad determinatum tempus secundum mensuram peccati.

ART.IX. Vtrum pænitentia possit esse continua.

Conclusio. Pænitentiam secundum actum continuam esse impossibile est, secũdum habitum uerò cõtinua esse debet, & quantum ad hoc quod homo nunquam aliquid cõtrarium pœnitentiæ faciat per quod habitualis dispositio pęnitentis tollatur: & quantum ad hoc quod debet homo in proposito gerere, quod semper sibi præterita peccata displiceant.

AR. X. Vtrum sacramentũ pęnitentiæ debeat iterari.

Conclusio. Pęnitentia sacramentum nõ semel, sed pluries reiterari potest. Nam charitas semel habita propter libertatem arbitrij potest amitti, & per consequens post ueram pęnitentiam potest aliquis peccare mortaliter. Peccatum etiam post remissionem consecutam potest esse grauius & leuius, quam fuerit primum peccatũ remissum. At Diuina misericordia

superat omnē numerū & magnitudinē peccatorū, & peccātibus per pœnitentiā ueniā præbet absq; ullo termino. At pœnitētia ꝑ baptiſmū, & pœnitētia solēnis in Eccleſia nō iteratur. Et licet irriſor ſit & nō pœnitēs, qui ſimul dū pęnitet, uel ꝓponit iterū ſe factu-rū qđ geſsit, uel ēt actualiter peccat eodē uel alio genere peccati: ꝙ tamen aliquis poſtea peccat, uel actu uel propoſito, nō excludit quin prima pœnitētia uera fuerit: nunquā enim uéritas prioris actus excludiť per actū cōtrariū ſubſequentē. Sicut enim uerè currit qui poſtea ſedet: ita uerè pęnituit, qui poſtea peccat: Et baptiſmus quidē ſicut quædam ſpiritualis generatio ſemel tantum debet conferri. Sed pœnitentia ſicut ſpiritualis medicatio, frequenter iterari poteſt.

QVAESTIO LXXXV.

De Sacramento pœnitentiæ ſecundùm quod eſt uirtus, in ſex articulos diuiſa,

ARTICVLVS I.

VTrum pœnitentia ſit uirtus.

Cōcluſio. In ſacramento pœnitentiæ materialiter ſe habent actus humani: quod non contingit in baptiſmo uel confirmatione. Et ideo cùm uirtus ſit principium alicuius actus, potius pęnitētia eſt uirtus uel cū uirtute, quàm baptiſmus ſeu Confirmatio. At pœnitentia ſecundùm quod eſt paſsio, nō eſt uirtus: ſed ſecūdum quod habet ex parte uoluntatis electionem rectam, ſcilicet ut eſt dolor ꝙ diſplicentia ſeu reprobatio facti præteriti cum intentione remouendi ſequelam ipſius, ſcilicet offenſam Dei & reatum pęnæ.

ART. II. Vtrum pœnitentia ſit ſpecialis uirtus.

Concluſio. In pœnitentia inuenitur ſpecialis ratio actus laudabilis, ſcilicet operari ad deſtructionē peccati præteriti, inquantum eſt Dei offenſa: quod non

pertinet ad rationem alterius uirtutis. Vnde pœnitentia est specialis uirtus.

AR. III. Vtrum uirtus pœnitentiæ sit species iustitiæ.

Conclusio. Emendatio offensæ contra aliquem cõmissæ, non fit per solam cessationem offensæ, sed exigitur ulterius quædam recompensatio, quæ habet locum in offensis in alterum commissis, sicut & retributio: nisi quòd recompensatio est ex parte eius qui offendit (utputa cum satisfactione) retributio autē est ex parte eius, in quem est offensa commissa. Vtrũque autem ad materiam iustitiæ pertinet, quia utrumque est commutatio quædam. Vnde manifestum est, quòd pœnitentia secundùm quod est uirtus, est pars iustitiæ commutatiuæ.

ART. IIII. Vtrum uoluntas sit propriè subiectũ pœnitentiæ.

Conclusio. Pęnitentia, ſm quod est passio quædam, est species tristitiæ, & est in concupiscibili sicut in subiecto. At ſm quod est uirtus, est in uoluntate sicut in subiecto, & proprius eius actus est propositum emendandi illud quod contra Deum est commissum.

ART. V. Vtrũ principium pœnitentiæ sit ex timore.

Conclusio. Pœnitentia, quantum ad habitum, immediatè à Deo infunditur sine nobis principaliter operantibus: non tamen sine nobis dispositiuè cooperantibus per aliquos actus. Sed quantum ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur: actuum pęnitentiæ primum principium est Dei operatio conuertentis cor. Secundus actus est motus fidei. Tertius est motus timoris seruilis, quo quis timore suppliciorũ à peccatis retrahitur. Quartus spei quo quis sub spe ueniæ consequendæ assumit propositum emendandi. Quintus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundũ seipsum, & nõ iã propter supplicia.

Sextus timoris filialis, quo propter reuerentiam Dei aliquis emendam Deo uoluntarius offert. Sic igitur actus pęnitentiæ à timore seruili procedit sicut à primo motu affectus ad hoc ordinato: è timore autem filiali sicut ab immediato & proximo principio.

ART. VI. Vtrum pœnitentia sit prima uirtutum.

Conc. Pænitentia nõ est simpliciter prima uirtutum, nec ordine tpis nec ordine naturæ: quia ſm ordinẽ naturæ, simpliciter præcedũt ipsã uirtutes Theologicæ. Sed quãtum ad aliquid est prima inter cæteras uirtutes ordine tpis, quãtũ ad eius actũ, qui primus occurrit in iustificatione impii. Sed ordine naturæ uidẽtur esse aliæ uirtutes priores, sicut ꝙ est per se, est prius eo quod est per accidens. Nã aliæ uirtutes, per se uidẽtur esse necessariæ ad bonum hominis. pænitentia aũt suppposito quodam scilicet peccato præexistente.

QVAESTIO LXXXVI.

De effectu pœnitentiæ quò ad mortaliũ peccatorum remissionem in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrũ per pœnitentiam omnia peccata remoueãtur.

Conc. Dicere ꝙ aliquod peccatũ sit in hac uita, de quo quis pœnitere nõ posiit, erroneũ est. Primò, quia per hoc tolleretur libertas arbitrii. Secundo quia per hoc derogaretur uirtuti gratiæ p q̃ moueri põt cor cuiuscũq; peccatoris ad pęnitendũ. Qđ itẽ nõ possit ꝑ uerã pœnitẽtiã aliquod peccatũ remitti, est ẽt erroneum. Primo, quia repugnat diuinæ misericordiæ, Vinceretur enim quodammodo Deus ab homine, si homo peccatum uellet deleri, quod Deus delere nõ uellet. Secundo, quia hoc derogaret uirtuti passioni Christi per quam pœnitentia operatur. Vnde simpliciter dicendum est, quod omne peccatum in hac uita

per pœnitentiam ueram deleri poteſt. Illud autem uerbum ſeu blaſphemia contra Spiritum ſanctũ; eſt finalis impœnitentia, quæ penitus irremisſibilis eſt: quia poſt finẽ huius uitæ nõ eſt remisſio peccatorũ. Vel ſi intelligatur ꝑ blaſphemiã Spiritus ſancti peccatũ, ꝙ fit ex certa malitia, uel ẽt ipſa blaſphemia Spiritus ſancti, dicitur nõ remitti. ſ. de facili: q̃a tale peccatũ nõ habet in ſe cãm excuſationis. Vel quia pro tali peccato punitur aliquis & ĩ hoc ſeculo, & ĩ futuro.

AR. II. Vtrũ ſine pęnitentia peccatum remitti posſit.

Cõcluſio. Imposſibile eſt peccatũ actuale mortale. ſine pœnitẽtiæ uirtute remitti. Cũ. n. peccatũ ſit Dei offenſa, eo modo Deus peccatũ remittit, quo remittit offenſam in ſe cõmiſſam. Offenſa aũt directe opponitur gratiæ. ex hoc. n. dicitur aliquis alteri eſſe offẽſus, quòd repellit eum à gratia ſua. Hoc aũt intereſt inter gratiam Dei & hominis, ꝙ gratia hominis non cauſat, ſed præſupponit bonitate ueram uel apparentem in homine grato: ſed gratia Dei cauſat bonitatẽ ĩ homine grato: eo quod bona uoluntas Dei, quæ in nomine gratiæ intelligitur, eſt cauſa omnis boni creati. Vnde contingere non poteſt quod Deus remittat offenſam alicui abſq; immutatione uoluntatis eius. Offenſa autem peccati mortalis procedit ex hoc quod uolũtas hominis eſt auerſa à Deo per conuerſionem ad aliquod bonum commutabile. Vnde requiritur ad remiſſionem Diuinæ offenſæ, quod uolũtas hominis ſic immutetur, ut conuertatur ad Deum cum deteſtatione conuerſionis prædictæ & propoſito emẽdæ, quod pertinet ad rationẽ pęnitentiæ, ſ᷑m quod eſt uirtus. Sacramentum autem pœnitentiæ perficitur per officiũ ſacerdotis ligantis & ſoluẽtis: ſine quo poteſt Deus peccatum remittere, ſicut remiſit Chriſtus mulieri adulteræ, tamen non ſine uirtute pœnitentiæ.

ART.

ART. III. Vtrum posſit per pœnitentiam unum peccatum ſine alio remitti.

Concluſio. Impoſſibile eſt per pœnitentiam unum peccatum ſine alio remitti. 1. quia peccatum remittitur in quantũ tollitur Dei offenſa per gratiam. Vnde nullum peccatum poteſt remitti ſine gratia. Omne autem peccatum mortale contrariatur gratiæ, & excludit eam. Vnde impoſſibile eſt, quod unum peccatũ ſine alio remittatur. 2. quia peccatũ mortale nõ poteſt ſine uera pœnitentia remitti, ad quã pertinet deſerere peccatũ, inquãtũ eſt contra Deũ. Quod quidẽ eſt cõe omnibus peccatis mortalibus. Vbi aũt eſt eadẽ ratio, & idem effectus: Vnde nõ põt eſſe uere pœnitens, qui de uno peccato pœnitet, & nõ de alio. Si enim diſpliceret ei illud peccatũ, quia eſt contra Deũ ſuper omnia dilectũ (ꝙ requiritur ad rationẽ ueræ pœnitentiæ) ſequeretur, ꝙ de omnibus peccatis pœniteret. Vnde ſequitur, ꝙ impoſſibile ſit unũ peccatũ per pœnitentiam remitti ſine alio. 3. quia hoc eſſet cõtra perfectionem miſericordiæ Dei, cuius perfecta ſunt opera. Vnde cuius miſeretur, totaliter miſeretur.

ART. IIII. Vtrum remiſſa culpa per pœnitentiam, remaneat reatus pœnæ.

Cõcluſio. In peccato mortali ſunt duo: ſcilicet auerſio ab incommutabili bono, & conuerſio ad commutabile bonum inordinata. Ex parte ergo auerſionis ab incommutabili bono, conſequitur peccatum mortale reatus pœnæ æternæ: ut qui contra æternum bonum peccauit, in æternum puniatur. Ex parte etiam conuerſionis ad bonum commutabile, inquãtum eſt inordinata, conſequitur peccatum mortale reatus alicuius pęnæ: quia inordinatio culpæ non reducitur ad ordinem iuſtitiæ niſi per pœnam. Iuſtum eſt enim, ut qui uoluntati ſuæ plus indulſit, quàm debuit, contra

uolun

uoluntatē ſuā aliquid patiaē ſic.n. erit ęqualitas. Quia tñ cōuerſio ad bonū cōmutabile eſt finita nō habet ex hac parte peccatum, ꝙ debeat ei pęna ęterna. Vnde ſi ſit inordinata cōuerſio ad bonū cōmutabile ſine auerſione à Deo (ſicut eſt in peccatis uenialibus) non debetur peccato pęna ęterna, ſed tēporalis. Quando igitur per gratiā remittitur culpa, tollitur auerſio animæ à Deo, inquantū per gratiā anima Deo coniungitur: unde & per conſequens ſimul tollitur reatus pœnæ æternæ, pōt tñ remanere reatus alicuius pœnæ tēporalis. Cuius quidē remisſio pertinet ad gratiā cooperantē inquantū hō cū auxilio diuinæ gratiæ, patienter pœnas tolerando, abſoluitur etiam à reatu pœnæ temporalis. Nā prius eſt remisſio culpæ & pœnæ æternæ, ꝙ plena abſolutio à pœna temporali: utrumque autem eſt à gratia, ſed primum à gratia ſola operante: ſecundum eſt gratia cooperāte & libero arbitrio hominis. Et licet pasſio Chriſti de ſe ſufficiens ſit ad tollendum omnem reatum pœnæ & æternæ, & temporalis: tamē ſecundum modum quo homo participat uirtutē paſſionis Chriſti, percipit etiam abſolutionē à reatu pœnæ. In baptiſmo autem homo participat totaliter uirtutem pasſionis Chriſti & ideo conſequitur remisſionem reatus totius pęnæ. In pœnitentia uerò cōſequitur uirtutem pasſionis Chriſti, ſecundum modū propriorū actuum, qui ſunt materia pœnitentiæ. Et ideo non ſtatim per primum actum pœnitētiæ, quo remittitur culpa, ſoluitur reatus totius pœnæ: ſed completis omnibus pœnitentiæ actibus.

ART. V. Vtrum remiſſa culpa mortali, tollantur omnes reliquiæ peccati.

Concluſio. Nihil prohibet quin remiſſa culpa, remaneant diſpoſitiones ex præcedentibus actibus cauſatæ, quæ dicuntur peccati reliquiæ. Remanent tamē

debili-

debilitatæ & diminutæ, ita quòd homini non dominentur. Et hoc magis per modum dispositionũ, q̃ per modũ habituum: sicut ẽt remanet fomes post baptismũ. Quanquam Deus spiritualiter quandoq; tanta cõmotione conuertit cor hominis, ut subitò perfectè cõsequatur sanitatem spiritualem, non solùm remissa culpa, sed sublatis omnibus peccati reliquijs.

AR. VI. Vtrum remisſio culpæ sit effectus pœnitentiæ.

Conclusio. Omne sacr̃m producit effectũ suũ, non solũ uirtute formæ, sed etiã uirtute materię: ex utroq; .n. ẽ unũ sacr̃m. Vnde sicut remisſio culpæ fit in baptismo, nõ solùm uirtute formæ, sed ẽt uirtute materiæ, .s. aquæ: principalius tñ uirtute formæ, ex qua & ipsa aqua uirtutem recepit: ita ẽt & remisſio culpæ est effectus pœnitẽtiæ, principalius quidẽ ex uirtute clauiũ, quas habent ministri, ex quorũ parte accipitur id qđ est formale in hoc sacramento, secundariò autem ex ui actuum pęnitentis, pertinentium ad uirtutem pęnitentiæ: tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claues Ecclesiæ. Et sic remisſio culpæ est effectus pęnitentiæ, secundùm quod est uirtus principalius tamen, secundùm quod est sacramentum, licet quoque sit effectus gratiæ operantis. Nam in iustificatione impij non solũ est actus pœnitentiæ, sed etiam actus fidei. Et ideo remisſio culpæ non ponitur effectus solum pœnitentiæ uirtutis: sed principalius fidei & charitatis. Et quia ad pasſionem Christi, ordinatur actus pęnitentiæ uirtutis, & per fidem, & per ordinem ad claues Ecclesiæ, ideo utroque modo causat remisſionem culpæ uirtute pasſionis Christi.

QVAESTIO LXXXVII.

De Remisſione uenialium peccatorum, in quatuor articulos diuisa.

AR T.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrũ peccatũ ueniale posſit remitti ſine pœnitẽtia.

Cõcl. Remiſsio culpæ fit per cõiunctionẽ hominis ad Deũ, à quo aliqualiter ſeparat culpa. Sed hæc ſeparatio perfectè quidẽ fit per peccatũ mortale, imperfectè aũt per ueniale: nã per peccatũ mortale mẽs omnino à Deo auertitur, utpote cõtra charitatẽ agẽs: ꝑ ueniale autẽ retardatur affectus, ne promptè in Deũ feratur. Et ideo utrũq; peccatũ ꝑ pœnitẽtiam remittitur, quia per utrũq; deordinatur uolũtas hominis ꝑ immoderatã cõuerſionẽ ad bonũ creatũ. Exigitur aũt ad remiſsionẽ peccati mortalis ꝑfectior pœnitentia, ut ſcilicet homo actualiter peccatũ mortale commiſſum deteſtet quãtũ in ipſo eſt: & diligentiã adhibeat ad rememorãdũ ſingula mortalia, ut ſingula deteſtet. Sed hoc nõ requiritur ad remisſionẽ uenialiũ peccatorũ. Nõ tamẽ ſufficit habitualis diſplicentia, quæ habetur per habitũ charitatis uel pœnitentiæ uirtutis ſed quædam uirtualis diſplicentia: puta cùm aliquis hoc modo fertur ſecundùm affectum in Deũ & res diuinas, ut quicquid ſibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, diſpliceret ei, & doleret ſe cõmiſiſſe, etiam ſi actu de illo non cogitaret. Quod tamen non ſufficit ad remiſsionẽ peccati mortalis, niſi quãtum ad peccata oblita poſt diligentem inquiſitionẽ.

ART. II. Vtrum ad remiſsionem uenialium peccatorum requiratur gratiæ infuſio.

Concluſio. Peccatum ueniale non contrariatur habituali gratiæ uel charitati, ſed retardat actum eius, inquantum nimis inhæret homo bono creato, licet non contra Deum. Et ideò ad hoc quòd peccatum ueniale tollatur, nõ requiritur quòd infundatur aliqua habitualis gratia: ſed ſufficit aliquis motus gratiæ uel charitatis ad eius remiſsionem. Quia tamen in habẽtibus

tibus usum liberi arbitrij, in quibus solis possunt esse uenialia peccata, non contingit esse infusionē gratiæ sine actuali motu liberi arbitrij in Deum & in peccatum; ideo quandocunque de nouo gratia infunditur, peccata uenialia remittuntur.

ART. III. Vtrum uenialia peccata remittantur per aspersionem aquæ benedictæ, & cætera huiusmodi.

Conclusio. Ad remissionē uenialis peccati sufficit aliquis actus ꝓcedēs ex gratia, quo aliquis detestetur peccatū ueniale uel explicitè, uel saltē implicitè: sicut cū aliquis feruenter mouetur in Deū. Et ideo triplici ratione aliqua causant remissionē uenialiū peccatorū. 1. inquātum in eis infunditur gratia: quia ꝑ infusionē gratiæ tolluntur uenialia peccata. Et hoc modo per Eucharistiam & extremam unctionē, & uniuersaliter ꝑ omnia sacramenta nouæ legis, in quibus cōfertur gratia peccata uenialia remittūtur. 2. inquātū sunt cū aliquo motu detestationis peccatorum. Et hoc modo cōfessio generalis, tunsio pectoris, & oratio Dominica, operātur ad remissionē uenialiū peccatorū. 3. inquātū sunt cū aliquo motu reuerentiæ in Deū, & ad res diuinas. Et hoc modo benedictio episcopalis, aspsio aquæ benedictæ, quælibet sacra mētalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, & alia huiusmodi, operantur ad remissionē uenialium peccatorum.

ART. IIII. Vtrū ueniale peccatū possit remitti sine mortali.

Concl. Remissio culpę cuiuscūque nunquā fit nisi per uirtutē gratię. Ille aūt qui est in peccato mortali, caręt gratia Dei. Vnde nullū ueniale sibi remittitur.

QVAESTIO LXXVIII.

De reditu peccatorum per pœnitentiam, dimissorum, in quatuor articulos diuisa.

ART.

ARTICVLVS I.

VTrũ peccata dimiſſa redeant per ſequẽs peccatum.

Concl. Per peccatũ ſequẽs pęnitentiã, redit quodãmodo reatus peccatorũ prius dimiſſorũ, non inquãtũ cauſabaẽ ex illis peccatis pri⁹ dimiſsis, ſed ĩquãtũ cauſabaẽ ex peccato ultimo ꝑpetrato, qđ aggrauatur ex peccatis prioribus. Et hoc nõ eſt peccata dimiſſa redire ſimpl̃r, ſed redire ſm̃ quid, inquãtũ.ſ. uirtualiter in peccato ſequenti continentur. Nam poſt pœnitentiã peccans, incurrit reatum pœnæ æternæ, ſicut & prius non per reditum reatus præteriti, ſed per iterationem actus. Quod enim gratia ſemel fecit, perpetuò manet.

ART. II. Vtrum peccata dimiſſa redeant per ingratitudinem, quæ ſpecialiter eſt ſecundũm. 4. ſcilicet odium fraternum, apoſtaſiam à fide, contemptum confeſsionis, & dolorem de pęnitentia habita.

Cõcluſio. Peccata dimiſſa per pęnitentiã redire dicuntur inquantũ reatus eorũ ratione ingratitudinis, uirtualiter cõtinetur in peccato ſequenti. Ingratitudo aũt cõmittitur: 1. ex eo quod aliquid fit cõtra beneficiũ. Et ſic per quodlibet peccatũ mortale ſequẽs, redeunt peccata prius dimiſſa, ratiõe ingratitudinis. 2. cõmittitur ingratitudo nõ ſolũ faciẽdo cõtra ipſum beneficiũ, ſed etiã faciẽdo cõtra formã beneficij præſtiti. Quæ quidẽ forma ſi attẽdatur ex parte benefactoris, eſt remiſsio debitorũ. Vnde cõtra hãc formã facit, ꝙ fratri petẽti ueniã nõ remittit, ſed odiũ tenet. Si autẽ attẽdatur ex parte pęnitẽtis, ꝙ recipit hoc beneficiũ, inuenitur ex parte eius duplex motus liberi arbitrij. Quorũ prim⁹ eſt motus liberi arbitrij in Deũ, ꝙ eſt actus fidei formatæ. Et cõtra hoc facit hõ apoſtatando à fide. Secũdus aũt eſt motus liberi arbitrij in peccatũ qui eſt actus pænitẽtiæ. Ad quẽ primò pertinet, ꝙ homo deteſtetur peccata præterita, & cõtra hoc facit

ille, qui dolet ſe pœnituiſſe. Secūdò pertinet ad actū pœnitentiæ, ut pœnitens proponat ſe ſubijcere clauibus Eccleſiæ per confeſsionē. Et contra hoc facit ille, qui contemnit confiteri ſecūdum quod propoſuerat. Et ideo ſpecialiter ingratitudo horum peccatorum, facit redire peccata prius dimiſſa. Per peccata autem uenialia, nullo modo peccata dimiſſa redeunt.

AR. III. Vtrū ꝑ ingratitudinē peccati ſequētis cōſurgat tāt⁹ reat⁹, quāt⁹ fuerat peccatorū pri⁹ dimiſſorū.

Concluſio. Non eſt neceſſe, quod propter ingratitudinem, ſemper per peccatū ſequens redeat tantus reatus, quantus fuit præcedētium peccatorū: ſed neceſſe eſt, quòd proportionabiliter quantò peccata prius dimiſſa fuerūt plura & maiora, tāto redeat maior reatus per qualecunque ſequens mortale peccatum. Nā peccatum ingratitudinis non recipit quantitatem abſolutam ſecundùm quantitatem beneficij, ſed ſecundùm quantitatem cōtemptus uel offenſæ, neq; ſeruus manumiſſus reducitur in priſtinam ſeruitutem pro qualicunque ingratitudine, ſed pro aliqua graui.

AR. IIII. Vtrū īgratitudo, ratione cui⁹ ſequēs peccatū facit redire peccata prius dimiſſa, ſit ſpeciale peccatū.

Concluſio. Peccatum ſpeciem recipit ex intētione peccantis; unde ſiquis in cōtemptum Dei & ſuſcepti beneficij aliquod peccatum committat, illud peccatum trahitur ad ſpeciē ingratitudinis. Et hoc modo ingratitudo peccantis, eſt ſpeciale peccatum. Si uerò intendat aliquod peccatum committere non ad Dei contemptum: ingratitudo non erit ſpeciale peccatum, ſed trahetur ad ſpeciem alterius peccati, ſicut circunſtantia quædam. Nō enim omne peccatum eſt ex contemptu, & tamen in omni peccato Deus contemnitur in ſuis præceptis. Vnde ingratitudo peccantis quandoque eſt ſpeciale peccatum, ſed non ſemper.

ART.IIII. Vtrum opera uirtutum in charitate facta possint mortificari.

Cõclusio. Opera in charitate facta mortificari per mortale peccatum dicuntur, inquantum impeditur effectus uirtuosarum operationum, qui est perducere ad uitam æternam. Quod quidem impeditur per peccatum mortale sequens, quod gratiam tollit. Nam & ea quæ homo iam accepit, quandoque iustè propter culpam perdit, idque non propter fortitudinem operum peccati, sed propter libertatem uoluntatis; quæ potest à bono in malum deflecti.

ART. V. Vtrum opera mortificata per peccatum, per pęnitentiam reuiuiscant.

Conclusio. Opera meritoria non habent uim perducendi in uitam æternam (quod pertinet ad eorum uitam) solum, secũdum quòd actu existunt, sed etiã postq̃ actu esse desinunt, secundùm quod remanẽt in acceptatione diuina. Sic aũt remanẽt quãtũ est de se, etiã pòstquã per peccatum mortificãtur, quia semper Deus illa opera, prout facta fuerũt, acceptabit, & Sancti de eis gaudebũt. Sed quod isti, qui ea fecit, nõ sint efficacia ad ducendũ in uitã æternam, prouenit ex impedimento peccati superuenientis, per quod ipse redditus est indignus uita æterna. Hoc autem impedimentum tollitur per pęnitentiam, inquantũ per eam remittuntur peccata. Vnde restat, quòd opera prius mortificata, per pęnitentiam recuperant efficaciam perducendi in uitam æternã, quod est ea reuiuiscere.

ART. VI. Vtrum per pęnitentiam subsequentem, etiam opera mortua uiuificentur.

Conclusio. Opus aliquod dicitur mortuum, uno modo effectiuè, quia est causa mortis. Et secundùm hoc opera peccati dicuntur mortua, & hæc non uiuificantur per pœnitentiã, sed abolentur. Alio modo di-

cuntur opera mortua priuatiuè, quia carent uita ſpirituali,quæ eſt ex charitate, per quam anima Deo cõ iungitur,ex quo uiuit ſicut corpus per animã. Et per hunc modum etiã fides, & omnia opera quæ ſunt bona ex genere,ſi ſine charitate fiant dicuntur mortua, inquantũ non procedũt ex principio uitæ. Opera autẽ nõ poſſunt iterũ à principio procedere(quia tranſeunt)& iterũ eadẽ numero reſumi nõ poſſunt. Vnde impoſsibile eſt , quòd opera mortua iterũ fiant uiua per pœnitentiã, At nõ ſic opera dicũtur mortificata, ſcilicet ex parte principij,ex quo proceſſerũt , ſed ex parte impedimenti extrinſeci. Et ideo non eſt ſimilis ratio,Deus tñ recordatur etiã bonorũ, quæ quis facit in ſtatu peccati, non ut remuneret ea in uita æterna (quod debetur ſolis operibus uiuis,id eſt,ex charitate factis) ſed remunerat temporali remuneratione.

QVAESTIO XC.

De partibus Pœnitentiæ generalis,in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum pœnitentiæ debeant partes aſsignari.

Cõcl. Vbicũq; ex parte materiæ inuenitur aliqua pluralitas,ibi eſt inuenire partium rationẽ. At in ſacramẽto pęnitẽtiæ actus humani ſe habẽt per modũ materiæ . Et ideo cũ plures actus humani requirãtur ad pęnitentiæ perfectionem,ſcilicet Contritio,Confeſsio,& Satisfactio:conſequens eſt, quòd ſacramẽtũ pęnitentiæ habeat partes , nõ autem pęnitentiæ uirtus,actus enim humani, qui multiplicantur in pęnitentia,non comparantur ad habitum uirtutis , ſicut partes, ſed ſicut effectus. Et quia in alijs ſacramentis materia non ſunt actus humani , ſed aliqua res exterior una:ideo alijs ſacramentis nõ aſſignãtur partes.

ART.

ART. II. Vtrum conuenienter assignentur partes pœnitentiæ, Contritio, Confessio, & Satisfactio.

Conclusio. In pœnitentia non quæritur sola redintegratio æqualitatis iustitiæ (sicut in iustitia uindicatiua) sed magis reconciliatio amicitiæ, quod fit, dum offendens recompensat secundùm uoluntatem eius, quem offendit. Sic igitur requiritur ex parte pęnitentis: 1. uoluntas recompensandi, quod fit per contritionem; 2. quòd se subijciat arbitrio sacerdos loco Dei; quòd fit in confessione: 3. quod recompenset secundùm arbitrium ministri Dei: quod fit in satisfactione. Et ideo contritio, confessio, & satisfactio, ponuntur partes pęnitentiæ. Et licet contritio secũdùm essentiam sit in corde, & pertineat ad interiorẽ pęnitentiam: & uirtualiter tamen pertinet ad exteriorem pœnitentiam, inquantum implicat propositum confitendi & satisfaciendi. Satisfactio uerò confert gratiã, prout est in proposito: & auget eam, prout est in executione: & est pars pœnitentiæ sacramenti, fructus autem pœnitentiæ, uirtutis.

ART. III. Vtrum prædicta tria sint partes integrales pœnitentiæ.

Conclusio. Contritio, Confessio, ac operis Satisfactio non partes subiectiuæ uel potentiales pęnitẽtiæ sunt, sed integrales. Ad quarum rationem exigitur, ut totum non adsit singulis partibus, neque secundùm totam uirtutem eius, neque secundùm totam eius essentiam, sed omnibus simul. Vna tamen pars integralis potest continere totum, licet non secundùm essentiam. Et hoc modo contritio continet uirtutẽ totam pęnitentiam.

ART. IIII. Vtrum conuenienter diuidatur pęnitentia in pœnitentiam ante baptismum, pœnitentiam mortalium, & pęnitentiam uenialium.

Conclusio. Hæc diuisio est pœnitentiæ, secundum quod est uirtus. Pertinet autem ad pœnitentiam, ut detestetur peccata præterita, cum proposito immutandi uitam in melius, quod est quasi pœnitentiæ finis. Est autem triplex immutatio à pœnitente intenta. Prima per regenerationem in nouam uitam, & hæc pertinet ad pœnitentiam ante baptismum. Secunda per reformationem uitæ præteritæ iam corruptæ, & hæc pertinet ad pœnitentiam mortalium post baptismum. Tertia autẽ immutatio est in perfectiorem operationem uitæ: & hæc pertinet ad pœnitẽtiam uenialium, quæ remittuntur per aliquem feruentem actum charitatis. Et quidem pœnitentia, quæ delet peccata mortalia, delet etiam uenialia: sed non conuertitur. Et ideo hæ duæ pœnitentiæ se habent, sicut perfectum & imperfectum. At ante baptismum non sunt peccata uenialia sine mortalibus. Et ideo ante baptismum non distinguitur pœnitentia mortalium & uenialium.

FINIS.

TER-

TERTIAE PARTIS (QVAM D. THOMAS MORTE PRAEVENTVS PERFICERE nequiuit) Supplementum, ex eiusdem Auctoris lucubrationibus collectum.

QVAESTIO I.

De partibus pœnitentiæ in speciali. Et primò de contritione, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTRVM contritio sit dolor pro peccatis assumptus, &c.

CONCLVSIO.

Contritio est dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi. Dicitur aũt aliquid cõminui uel conteri, quando ad partes minimas reducitur hoc quod in se soli dũ erat: & quia ad dimissionem peccati requiritur, quòd affectum peccati homo dimittat, quem per quandã continuitatẽ & soliditatẽ in sensu suo habebat: ideo actus ille, quo peccatum dimittitur, contritio dicitur per similitudinem.

ART. II. Vtrum contritio sit actus uirtutis.

Conclusio. Cùm contritio rectitudinem uolũtatis importet, actus uirtutis necessariò est, scilicet pœnitẽtiæ, cuius est detestari præterita delicta.

ART. III. Vtrum attritio posit fieri contritio.

Conclusio. Attritio & contritio nõ dicunt habitũ, sed actũ tantum: habitus autem uirtutum infusarum,

qui uolūtatē respiciunt,nō possunt esse informes, cū charitatē consequantur. Vnde antequā gratia infundatur,non est habitus à quo actus cōtritionis postea elicitur: & sic nullo modo attritio potest fieri contritio.

QVAESTIO II.

De obiecto contritionis, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum homo debeat conteri de pęnis,& non solùm de culpa.

Conclusio.Contritio importat alicuius duri comminutionem:hæc autē duritia inuenitur in malo culpæ: quia uoluntas,quæ est ipsius causa in eo qui malè agit, in suis terminis stat,nec præcepto legis cedit:& ideo huius mali displicentia contritio per similitudinem dicitur. hæc autem similitudo non potest adaptari ad malum pęnæ,quia pœna simpliciter dicit diminutionem, & ideo de malis pœnæ potest esse dolor,sed non contritio.

ART. II. Vtrum contritio esse debeat de originali.

Conclusio.Contritio est dolor,respiciens & quodā modo comminuens uoluntatis duritiem:& ideo solū de illis peccatis potest esse,quæ ex duritia nostræ uoluntatis in nos proueniunt:& quia peccatum originale nostra uoluntate non est inductum , sed ex uitiatæ naturæ origine contractum : ideo de ipso non potest esse contritio propriè,sed displicentia potest esse uel dolor:

ART. III. Vtrum de omni actuali peccato debeamus conteri.

Conclusio.In omni actuali peccato duritia quædā est:& propter hoc si debeat peccatum curari oportet quòd per contritionem comminuentem remittatur.

AR.IIII. Vtrū de peccatis futuris quis debeat cōteri.

Con-

Conclusio. Cõtritio non nisi præterita peccata propriè respicit, futura autẽ præcauet, quatenus ipsi prudentia adiungitur.

AR. V. Vtrũ homo debeat conteri de peccato alieno.

Conclusio. De alienis peccatis nulla contritio est. Nam oportet quod contritio pro peccato sit in eodẽ in quo peccati duritia præcessit.

AR. VI. Vtrũ de singulis mortalib⁹ requirat cõtritio.

Cõclusio. Principium cõtritionis est cogitatio, qua quis cogitat de peccato & dolet, & si non dolore contritionis, saltem dolore attritionis. Terminus autem contritionis est, qñ dolor ille iam gratia informatur. Quantum ergo ad principium cõtritionis, oportet ꝙ de singulis peccatis, quæ quis in memoria habet conteratur: sed quantum ad terminum, sufficit quod sit vna communis de omnibus. Tunc enim ille motus agit in ui omnium dispositionum præcedentium.

QVAESTIO III.

De quantitate contritionis, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrũ contitio sit maior dolor q̃ esse possit in natura.

Conclusio. In contritione est duplex dolor: unus in ipsa uoluntate, quæ est essentialiter ipsa cõtritio, quæ nihil aliud est quàm displicentia præteriti peccati, & talis dolor excedit omnes alios dolores: quia finis ultimus super omnia placet, cum omnia propter ipsum desiderentur: & ideo peccatum, quod à fine ultimo auertit, super omnia displicere debet. Alius dolor est in parte sensitiua, qui causatur ex ipso dolore, uel ex necessitate naturæ, secũdum quod uires inferiores sequuntur motum superiorum, uel ex electione, secundùm quòd homo pœnitens in se ipso habens hũc dolorẽ excitatur ut de peccatis doleat: & neutro

modo hîc dolor eſt maximus,tum quia uires inferiores mouētur uehemētius ab obiectis proprijs, quàm ex redundantia ſuperiorum uirium, tum quia non obedit effectus inferior ſuperiori ad nutum.

ART.II.Vtrum posſit eſſe nimis magnus contritionis dolor.

Concluſio Contritio ex parte doloris, qui eſt in ratione non poteſt eſſe nimia,ſicut nec amor charitatis poteſt eſſe nimius: ſed quantum ad dolorem ſenſibilem, poteſt eſſe nimia: ſicut etiam exterior corporis afflictio poteſt eſſe nimia.

ART.III.Vtrum debeat eſſe maior dolor de uno peccato,quam de alio.

Concluſio. Contritio maior de uno, quàm de alio neceſſario eſt:quia ratio doloris eſt maior in uno, quã in alio,ſcilicet offenſa Dei.

QVAESTIO IIII.

De tempore contritionis, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum tota hæc uita ſit contritionis tempus.

Concluſio.Quia homo pœnam æternam peccando meruit,& contra æternum Deum peccauit: debet pœna æterna in temporalem mutata ſaltem in toto hominis æterno,id eſt,ſtatu totius hui[9] uitæ manere.

AR. II. Vtrum expediat continuè de peccato dolere.

Concluſio.Contritio cum ſit actus pœnitẽtiæ, maxime homini expediret continuè de peccatis conteri & moderate dolere:dummodo cæterarum uirtutum officia non omittat.

AR.III.Vtrum etiam poſt hanc uitam animæ de peccatis conterantur.

Concluſio.Animæ poſt hanc uitam, quæ in patria ſunt contritionem habere non poſſunt, quia carent dolore

dolore propter gaudii plenitudinem. Illæ uerò quæ ſunt in inferno, carent contritione, quia & ſi dolorem habeant, deficit tamen eius gratia dolorem informás. Sed in purgatorio habent dolorem de peccatis gratia informatum, ſed non meritorium, quia non ſunt in ſtatu merendi.

QVAESTIO V.

De effectu contritionis, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum remisſio peccati ſit contritionis effectus.

Concluſio. Cõtritio, uel ut eſt pars ſacramẽti, uel ut actus uirtutis, utroq; modo eſt cauſa remisſionis peccati, ſed ut eſt pars ſacramẽti operatur ad remisſionẽ peccati inſtrumentaliter: ut autem eſt actus uirtutis eſt quaſi cauſa materialis remisſiõis peccati, eo quod diſpoſitio eſt quaſi necesſitas ad iuſtificationẽ: diſpoſitio autem reducitur ad cauſam materialẽ, ſi accipiatur diſpoſitio quæ diſponit materiam ad recipiendũ.

ART. II. Vtrum contritio posſit totaliter tollere reatum pœnæ.

Concluſio. Dolor contritionis quamuis ſit finitus quantum ad intenſionem, habet tamen infinitam uirtutem ex charitate, qua informatur, & ſecundum hoc poteſt ualere ad deletionem culpæ & pœnæ.

ART. III. Vtrum parua contritio ſit ſufficiens ad deletionem magnorum peccatorum.

Conc. Quãtũcũque paruus dolor dũmodo ad contritionis rationem ſufficiat, omnem culpam delet.

QVAESTIO VI.

De Confesſione & eius necesſitate, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum confesſio ſit neceſſaria ad ſalutem.

Con-

Concluſio. Paſsio Chriſti,ſine cuius uirtute nullũ peccatum dimittitur,in nobis operatur per ſacramentorum ſuſceptionem,quæ ex ipſa efficaciam habẽt & ideo ad cuiuſuis culpæ remisſionem requiritur ſacramentum Eccleſiæ, uel actu ſuſceptum,uel ſaltẽ uoto, quando articulus necesſitatis,non contemptus ſacramentum excludit, & per conſequens illa ſacramenta quæ ordinantur contra culpam,cum qua ſalus eſſe nõ poteſt,ſunt de necesſitate ſalutis.Sicut autem aliquis per hoc quod baptiſmum petit, ſe miniſtris Eccleſiæ ſubiicit, ad quos pertinet diſpenſatio ſacramenti : ita etiam ſe miniſtro Eccleſiæ ſubiicit,ut per ſacramentũ pœnitentiæ ab eo diſpenſatum remisſionem cõſequatur , qui congruum remedium adhibere non poteſt, niſi peccatum cognoſcat, quod fit per confesſionem peccantis : & ideo confesſio eſt de necesſitate ſalutis eius,qui in peccatum actuale uel mortale cecidit.

ART.II.Vtrum confesſio ſit de iure naturali.

Cõcluſio.Quamuis cuiuſlibet rei illud eſt naturale. quod ei à ſuo creatore imponitur tamen proprie dicũtur naturalia, quæ ex principiis naturæ cauſantur. Supra autem naturã ſunt quæ ipſe Deus ſibi reſeruat, ſiue naturæ miniſterio operanda, ſiue in operationibus miraculorum , ſiue in reuelationibus myſteriorum , ſiue in inſtitutionibus ſacramentorum , & ſic confesſio , quæ necesſitatem ſacramentalem habet, non de iure naturali eſt,ſed de diuino.

ART.III.Vtrum omnes ad confesſionem teneantur.

Concluſio.Quanq̃ peccatores tantum ex diuino iure ad confesſionem teneantur;ex ui tamen põſitiui iuris omnes Chriſti fideles ad eam ſemel ſaltem in anno tenentur.

ART.IIII. Vtrum aliquis posſit confiteri peccatum quod non habet.

Con-

Conclusio. Peccatum, quod quis non habet, nullatenus confiteri licet: quia ad hoc quòd sit idonea confessio requiritur, quod os cordi concordet, ut solum hoc os accuset quod conscientia tenet.

ART V. Vtrum statim teneatur confiteri.

Cōclusio. Quanquam statim omnes de suis dolere peccatis teneantur: de necessitate tamen salutis non est ut statim peccata sua confiteantur, sed habita copia Confessoris & statutis ab Ecclesia pro pœnitētiæ temporibus.

ART. VI. Vtrum possit cum aliquo dispensari, quod non confiteatur.

Conclusio. Non potest aliqua humana auctoritate dispensari, ut quis nunquam confiteatur, cum sit confessio ex diuino iure ad hominum salute necessaria.

QVAESTIO VII.

De Confessionis quidditate, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrũ S. Augustin. cōuenienter definiat cofessionem.

Conclusio. Confessio est per quam latens morbus spe ueniæ aperitur. In qua diffinitione tangitur & substantia actus in apertione, & de quo fit confessio, cum dicitur morbus latens, & causa, in spe ueniæ.

ART. II. Vtrum confessio sit actus uirtutis.

Conclusio. Hæc conditio ad uirtutem pertinet, ut aliquis ore confiteatur quod corde tenet: & ideo confessio est bonum ex genere, & est actus uirtutis.

ART. III. Vtrum confessio sit actus pœnitentiæ uirtutis.

Cōclusio. Confessio, quæ fit in iudiciis, nō pertinet ad ueritatis uirtutem, sed magis ad iustitiam: & similiter confessio beneficiorum Dei in laudem diuinā,

non

non pertinet ad uirtutem ueritatis, ſed latriæ, & ita etiam confeſsio peccatorum ad remiſsionem conſequendam non pertinet elicitiuè ad uirtutẽ ueritatis. ſed pœnitentiæ, imperatiuè autẽ ad multas uirtutes pertinere poteſt, ſecundùm quòd in finem multarum uirtutum trahi poteſt confeſsionis actus.

QVAESTIO VIII.

De Miniſtro Confeſsionis, in ſeptem articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum neceſſarium ſit cõfiteri ſacerdoti.

Concl. Gratia, quæ in Sacramẽtis datur, à capite in mẽbra deſcẽdit, & ideo ſolus ille miniſter eſt ſacramẽtorũ in quibus gratia datur, qui habet miniſteriũ ſuper corpus Chriſti uerũ, quod ſolius ſacerdotis eſt. & ideo cũ ſacramento pœnitentiæ gratia cõferatur, ſolus ſacerdos miniſter eſt huiuſmodi ſacramenti, & ideo ei ſoli facienda eſt ſacramentalis confeſsio.

ART. II. Vtrum in aliquo caſu liceat alij quàm ſacerdoti confiteri.

Concluſio. Non niſi in neceſsitatis articulo alteri quàm ſacerdoti peccatorum confeſsio fieri poteſt.

ART. III. Vtrum extra caſum neceſsitatis poſsit aliquis non ſacerdos confeſsionem uenialium audire.

Concluſio. Cõfeſsio laico facta ſacramentale quoddam eſt, quamuis non ſit ſacramentum perfectum, & talibus natum eſt ueniale remitti, ſicut per tũſionem pectoris, & aquam benedictam.

ART. IIII. Vtrum ſit neceſſarium, quòd homo confiteatur proprio ſacerdoti.

Concluſio. Non modò ſacerdoti, ſed proprio ſacerdoti, qui imperandi iuriſdictionem & poteſtatem habeat, confiteri peccata neceſſarium eſt.

ART.

AR.V. Vtrum aliquis posſit alteri, q̃ proprio ſacerdoti confiteri, ex priuilegio uel mandato ſuperioris.

Concluſio. Poteſt aliquis ex priuilegio, uel ſuperioris mandato, alij quam proprio ſacerdoti ſua confiteri peccata, & ab illo abſolui.

ART. VI. Vtrum pœnitens poſſit in fine uitæ à quolibet ſacerdote abſolui.

Concluſio. Poteſt pœnitens à quouis ſacerdote in mortis articulo non modò à peccatis omnibus abſolui, ſed à qualibet excommunicatione à quocunque ſit lata: neceſſitas enim legem non habet.

AR.VII. Vtrũ pœna taxetur ſm quantitatem culpæ.

Concluſio. Quantum ad debitum, quãtitas pœnæ radicaliter reſpondet quantitati culpæ, antequam de ea aliquid dimittatur: ſed tamen quantò per contritionem plus de pœna dimiſſum eſt, tantò per confeſſionem minus dimittendum reſtat, quantum autem ad remedium uel illius qui peccauit, uel aliorum: quãdoque pro minori peccato iniungitur maior pęnitentia: uel quia peccato unius difficilius poteſt reſiſti, q̃ peccato alterius, uel quia per pœnam unius, alij ſunt exterrendi. Pęna ergo in foro pœnitentiæ quantum ad utrunque taxanda eſt, & ideo non ſemper pro maiori peccato maior pęna imponitur.

QVAESTIO IX.

De qualitate confeſſionis, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum confeſſio poſſit eſſe informis.

Concluſio. Confeſſio ut eſt actus uirtutis, eſt actus meritorius propriè, & ſic confeſſio non ualet ſine charitate, quæ eſt principium merendi, ſed ut eſt pars ſacramenti, poteſt eſſe etiam in eo, qui nõ eſt contritus

& quamuis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet. Vnde nõ tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri.

ART. II. Vtrum oporteat confesionem esse integrã.

Conclusio. In medicina corporali oportet, quòd medicus non unum solùm morbum cognoscat, sed etiam uniuersaliter totam habitudinem ipsius infirmi: eò ꝙ unus morbus ex adiunctione alterius aggrauatur, & medicina, quæ uni morbo competeret, alteri nocumentum præstaret: & similiter est in peccatis: & ideo de necessitate confessionis est, quod homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet: quod si non faciat, non est confesio, sed confesionis simulatio.

ART. III. Vtrum quis possit per alium, uel per scriptum confiteri.

Conclusio. Proprio ore peccatorũ cõfessio faciẽda est, nisi naturæ aliquod ad hoc impedimẽtũ adfuerit.

ART. IIII. Vtrum conditiones assignatæ requirantur ad confessionem.

Conclusio. Oportet confessionem, ut actus uirtutis est, esse discretam, libentem, puram, fortem, uerecundam, lachrymabilem, humilem, ueram, nudam, simplicem, integram: ut uerò est pars sacramenti, necesse est esse accusantem, & parere paratam, atque secretam: utile autem est, illam esse frequentem, & acceleratam.

QVAESTIO X.

De effectu confessionis, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum confessio liberet à morte peccati.

Con-

Conclusio. Pęnitentia inquantum est sacramentũ, præcipuè in cõfessione perficitur: quia per eã homo ministris Ecclesiæ se subdit, qui sunt sacramentorum dispensatores. Et quia in sacramento Pęnitentiæ gratia infunditur, per quã fit remissio peccatorum, sicut in Baptismo, ideo eò modo confessio ex ui absolutionis coniunctæ remittit culpam, sicut & Baptismus. Itaque sicut de Baptismo dicitur, quòd liberat à morte, ita de Confessione dici potest.

ART. II. Vtrum confessio liberet aliquo modo à pœna.

Cõclusio. Absoluit hominem aliquo modo à pęna ipsa sacramentalis peccatorum confessio, secundùm maiorem uel minorẽ confitẽtis dispositionem. Nam ipse actus confitentis habet pœnam erubescentiæ annexam: & ideo quantò aliquis pluries de ipsis peccatis confitetur, tantò magis pœna minuitur.

ART. III. Vtrum confessio aperiat paradisum.

Conclusio. A paradisi introitu prohibetur aliquis per culpam & reatum pœnæ: & quia huiusmodi impedimenta Confessio amouet, ideo dicitur paradisum aperire.

ART. IIII. Vtrum confessio spem tribuat salutis.

Conclusio. Spes remissionis peccatorum nõ est nobis nisi per Christum: & quia homo per confessionẽ se subijcit clauibus Ecclesiæ ex passione Christi uirtutem habentibus: ideo dicitur, quòd confessio spem salutis tribuit.

ART. V. Vtrum confessio generalis sufficiat ad delenda mortalia oblita.

Conclusio. Per confessionem generalem delentur peccata mortalia oblita, si uerò peccatum mortale memoria teneat quis, confessione speciali est opus, ut erubescentia peccati esse ostendatur.

QVAE-

QVAESTIO XI.

De Sigillo confessionis, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum in quolibet casu sacerdos teneatur celare peccata, quæ sub sigillo confessionis nouit.

Conclusio. Quemadmodum Deus tegit peccatum eius qui se sibi subijcit per pœnitentiam, sic sacerdos peccata confitentis celare debet: cùm confessio exterior ad sacerdotem sit signum cõfessionis interioris, quæ fit ad Deum. Et ideo de necessitate sacramẽti est, quòd quis per confessionem celet, & tanquam uiolator sacramenti peccat, qui confessionem reuelat.

ART. II. Vtrum sigillum confessionis se extendat ad alia quàm ad ea quæ sunt de confessione.

Conclusio. Cùm sigillum confessionis sit aliquid annexum confessioni sacramentali; ad ea solum directè se extendit, de quibus sit sacramentalis confessio: licet etiam indirectè ea, quæ non se extendunt ad cõfessionem sacramentalem, cadant in sigillum confessionis, propter scandalum.

AR. III. Vtrũ solus sacerdos habeat sigillũ cõfessiõis.

Conclusio. Quemadmodum sacerdoti competit sigillum confessionis, ut Dei ministro: ita ei, cui propter necessitatem confessionem audire contingit, competere dicitur peccata celare.

ART. IIII. Vtrum de licentia confitentis possit sacerdos dicere quæ habet in confessione.

Cõclusio. Cùm confitẽs efficere possit, ut sacerdos sciat illud ut homo, quod sciebat ut Deus, dum detegendæ confessionis facultatem tribuit: si illam reuelet, non uiolat sigillum confessionis, modò id citra scandalum fiat.

ART

ART. V. Vtrum ille, qui ſcit aliquid per confeſsionem & per aliud modum, etiã poſsit reuelare illud.

Concluſio. Illud, quód homo alias ſcit ſiue ante confeſsionem, ſiue poſt, non tenetur celare, quantum ad id, quod ſcit ut homo: poteſt. n. dicere. Scio illud quod uidi, tenetur tamẽ celare illud, inquantũ ſcit ut Deus: non enim poteſt hoc dicere, ego audiui hoc in confeſsione: tamen propter ſcãdalũ uitandũ debet abſtinere, ne de hoc loquatur, niſi immineat neceſsitas.

QVAESTIO XII.

De ſatisfactione & eius quidditate, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum ſatisfactio ſit uirtus uel actus uirtutis.

Concluſio. Satisfactio dicitur eſſe non ſolum actus uirtutis materialiter (cum malitiam implicitam uel defectum debitæ circunſtantiæ non habeat) ſed etiã formaliter, cùm ſuo nomine formam & rationem uirtutis implicitam habere dicatur.

ART. II. Vtrum ſatisfactio ſit actus iuſtitiæ.

Concluſio. Cùm nomen ſatisfactionis adæquationem proportionis deſignet (nempe æqualitatem reſpectu offenſæ præcedentis in faciente) & medium iuſtitiæ accipiatur ſecundùm adæquationem rei ad rem in aliqua proportione: apparet quod ſatisfactio formaliter actus iuſtitiæ eſt.

ART. III. Vtrum definitio ſatisfactionis conuenienter ponatur ab Auguſtino. ſcilicet: Satisfactio eſt peccatorum cauſas excidere, & eorum ſuggeſtionibus aditum non indulgere.

Concluſio. Poteſt ſatisfactio definiri uno modo reſpectu culpæ præteritæ, quam recũpenſando curat, & ſic dicitur, quòd ſatisfactio eſt illatæ iniuriæ recõ-

penſatio ſecundùm iuſtitiæ æqualitatem. Alio modo poteſt definiri, ſecundùm quòd præſeruat à culpa futura, & ſic definit eam hic Auguſt. & ideo in ſatisfactionis definitione duo ponit, ſcilicet abſciſsionem cauſarũ, & renitentiã liberi arbitrij ad ipſum peccatũ.

QVAESTIO XIII.

De ſatisfactionis poſsibilitate, in duos articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum homo poſsit Deo ſatisfacere.

Concluſio. Homo Deo debitor efficitur, & ratione beneficij accepti, & reſpectu peccati cõmiſsi. Et ſicut gratiarũ actio, uel latria, uel aliquid huiuſmodi reſpicit debitũ accepti beneficij, ita ſatisfactio reſpicit debitũ peccati cõmiſsi. In his autẽ honoribus qui ſunt ad parẽtes & Deũ impoſsibile eſt æquiualẽs reddere ſecundũ quantitatẽ: ſed ſufficit, ꝙ homo reddat quod poteſt, quia amicitia nõ exigit æquiualẽs, ſed ꝙ poſsibile, & hoc etiã eſt æquale aliqualiter, ſcilicet ſm proportionabilitatẽ: & ſimiliter eſt ex parte ſatisfactionis. Vnde licet nõ poſsit homo Deo ſatisfacere, ſecũdũ æqualitatẽ quantitatis: poteſt tamen ſecundùm ęqualitatem proportionis, & hoc ſicut ſufficit ad rationem iuſtitię, ita ſufficit ad rationem ſatisfactionis.

ART. II. Vtrum unus pro alio poſsit pœnam ſatisfactoriam explere.

Concluſio. Quantum ad remedium ſequentis peccati, ſatisfactio unius non prodeſt alteri, niſi ſecundũ accidens, hoc eſt, per modum meriti magis quàm per modum ſatisfactionis: ſed quãtum ad ſolutionem debiti, unus poteſt pro alio ſatisfacere, dummodo ſit in charitate, ut opera eius ſatisfactoria eſſe poſsint: nec exigitur quãtum ad abſolutionẽ debiti, quòd ille pro

quo ſit ſatisfactio, ſit impotens ad ſatisfaciendũ, quia etiam ſi eſſet potens, alio ſatisfaciente pro ipſo, ipſe à debito immunis eſſet, ſed hoc requiritur, inquantum pœna ſatisfactoria eſt in remedium: unde non eſt per mittendum, quòd aliquis pro alio pœnitentiam agat, niſi defectus aliquis appareat in pœnitente.

QVAESTIO XIIII.

De qualitate ſatisfactionis, in quinque articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum homo poſſit de uno peccato ſatisfacere ſine alio.

Concluſio. Cùm per ſatisfactionem tolli debeat of fenſa præcedentis peccati, offenſæ autem ablatio ſit amicitiæ reſtitutio, & amicitiæ diuinæ reſtitutionem impediat quoduis peccatum, fieri nõ poteſt, quòd ho mo pro uno peccato ſatisfaciat, alio retento.

ART. II. Vtrum quis extra charitatem exiſtens poſ ſit ſatisfacere de peccatis antè contritis.

Concluſio. Cùm tanta ſit peccatorum connexio, ac tantum peccati etiam unius cum Dei amicitia diſsi dium: non poteſt quis extra charitatem Dei exiſtẽs, pro peccatis antè contritis ſatisfacere.

ART. III. Vtrum ualere poſſit ſatisfactio præcedẽs, poſtquam charitatem habuerit.

Concluſio. Opera in charitate facta, quæ uiua dicũ tur, & ſunt meritoria uitæ æternæ, & ſatisfactoria reſ pectu pœnæ dimittendæ: & utrumque habent eadem ratione ex charitate facta, ſcilicet ex hoc quòd ſunt Deo grata: unde ſicut charitas adueniens non poteſt ea gratificare quãtũ ad unũ, ita nec quãtum ad aliud.

ART. IIII. Vtrum bona facta extra charitatem ſint in aliquo meritoria.

Conclusio. Meritum dupliciter dicitur, uno modo, cum ipse agens habeat debitũ recipiendi, & hoc uocatur meritum condigni. Alio modo, ut sit debitũ dãdi in dante ſecundum decentiam ipsius, & ideo hoc dicitur meritum congrui. Cũ aũt in omnibus illis, quæ gratis dantur, prima ratio dandi sit amor, impossibile est, quod aliquid tale sibi debitũ faciat qui amicitia caret: & ideo cùm omnia & tẽporalia & æterna ex diuina liberalitate donentur, nullus acquirere potest debitũ recipiẽdi aliquid illorũ, nisi per charitatẽ ad Deũ: & ideo opera extra charitatẽ facta, nõ sunt meritoria ex condigno, neq; æterni neq; tẽporalis alicuius boni apud Deum. Sed quia diuinã bonitatẽ decet, ut ubicũq; dispositionẽ inuenit, pfectionẽ adijciat: ideo ex merito cõgrui dicitur aliquis mereri aliquod bonum per opera bona extra charitatem facta, s. uel temporalium consecutionẽ, uel dispositionem ad gratiam, uel assuetudinẽ bonorum operum; quia tamen hoc non proprie dicitur meritũ, ideo magis concedendũ est, quòd huiusmodi opera non sint alicuius meritoria, quàm quod sint.

ART. V. Vtrum opera prædicta ualeant ad mitigationem pœnarum infernalium.

Conclusio. Cùm nullus liberetur à pena, nisi sit absolutus à culpa: per opera extra charitatẽ facta, quia neq; culpam tollere, neque diminuere possunt, pœna inferni mitigari non potest. At quod meritum pœnę impediatur. sic huiusmodi opera minuunt pœnam inferni. 1. quia homo reatum omissionis euadit, qui huiusmodi opera perficit. 2. quia huiusmodi opera aliquo modo ad bonum disponunt, ut homo ex minori cõtẽptu ẽt peccata faciat, uel ẽt à multis peccatis per huiusmodi opera retrahitur: sed diminutionẽ uel dilationem tẽporalis pœnæ merentur huiusmodi opera; sicut & bonorum temporalium consecutionem.

QVAESTIO XV.

De his per quæ fit satisfactio, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrũ oporteat fieri satisfactionẽ per opera pęnalia.

Conclusio. Satisfactio & quantum ad præteritam offensam, pro qua recompensatio fit; & etiam quantũ ad futuram culpam, à qua per eam præseruamur; ad utrumque exigitur, quod per opera pœnalia fiat: Recompensatio enim offensæ importat adæquationem eius qui offendit ad eum in quem offensa commissa est: adæquatio autem attenditur per subtractionem ab uno qui plus habet iusto, & additionem alterius, cui subtractum est aliquid. Deo autem quamuis ex parte sua nihil subtrahi posit, tamẽ peccator quãtum in ipso est, aliquid ei subtraxit peccando. Vnde oportet, ut recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur de peccante per satisfactionẽ, quod in honorẽ Dei cedit. Opus autem bonum ut est huiusmodi, non subtrahit ab operãte, sed magis perficit ipsum. Vnde subtractio non potest fieri per opus bonum, nisi pœnale sit: & ideo ut aliquod opus sit satisfactorium, oportet quod sit bonum; & in honorem Dei sit, & pœnale, ut aliquod peccatori subtrahatur. Similiter etiã pęna à culpa futura præseruat, quia non facilè homo ad peccata redit, ex quo pœnam expertus est.

ART. II. Vtrũ flagella p̃sentis uitæ sint satisfactoria.

Conclusio. Si flagella, quæ pro peccatis à Deo infliguntur, fiant aliquo modo ipsius patientis, rationem satisfactionis accipiunt: fiunt autem ipsius, inquantũ ea acceptat ad purgationem peccatorum eis utens patienter: Si autem omnino eis per impatientiam dissentiat, tũc nõ efficiũtur aliquo modo ipsius; & ideo non habent rationẽ satisfactionis, sed uindicationis.

AR. III. Vtrũ cõueniẽter enumerẽt ópa ſatisfactoria.

Cõcluſio. Satisfactio debet eſſe talis, ꝑ quã aliquid nobis ſubtrahamus honorem Dei: nos autem nõ habemus niſi tria bona: ſcilicet, bona animæ, corporis, & fortunæ. Ex bonis quidem fortunæ ſubtrahimus nobis aliquid per eleemoſinã, ſed ex bonis corporalibus per ieiuniũ; ex bonis autem animæ, non oportet ꝙ aliquid ſubtrahamus nobis quantũ ad eſſentiam, uel ad diminutionẽ ipſorũ, quia ꝑ ea efficimur Deo accepti: ſed per hoc ꝙ ea ſubmittimus Deo totaliter, & hoc fit per orationẽ. Cõpetit ẽt iſte numerus ex parte illa, qua ſatisfactio peccatorum cauſas excindit: quia radices peccatorum tres ponuntur: 1. Contra concupiſcentiã carnis ordinatur ieiuniũ, 2. contra concupiſcentiã oculorũ, eleemoſyna, 3. cõtra ſuperbiã uitę, oratio. Cõpetit ẽt ad hoc, ꝙ ſatisfactio peccatorum eſt, ſuggeſtionibus additũ non indulgere. Quia omne peccatũ uel in Deũ cõmittimus, & contra hoc ordinatur oratio: Vel in proximum, & cõtra hoc eleemoſyna: Vel in nos ipſos, & contra hoc ordinatur ieiuniũ.

QVAESTIO XVI.

De ſuſcipientibus hoc ſacramentum, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum pœnitentia poſsit eſſe in innocentibus.

Concluſio. Cùm innocentes in ſtatu innocẽtiæ nõ habeant peccata commiſſa, quæ ſunt materia pœnitentiæ ſed poſſunt habere: actus pœnitentiæ in eis eſſe non poteſt; ſed habitus poteſt: ſed hoc ſi gratiam habeant, cum qua omnes uirtutes infunduntur.

ART. II. Vtrum ſancti homines qui ſunt in gloria, habeant pœnitentiam.

Cõcluſio. Cùm pœnitentiæ uirtus ſit pars iuſtitiæ,

quæ est habitus cardinalis: quicunque habet habitũ pœnitentiæ in hac uita habebit in futura, sed non habebit eũdem actũ quẽ nunc habet, sed alium, scilicet gratias agere Deo pro misericordia relaxãte peccata.

ART. III. Vtrum Angelus sit susceptiuus pœnitẽtiæ.

Conclusio. Detestatio mali competit alicui, secundũ ꝙ hẽt ordinẽ naturalẽ ad bonũ: & q̃a in nulla creatura talis ordinatio totaliter tollit̃, ideo ẽt in dãnatis talis detestatio manet & per cõsequens pęnitẽtiæ passio, uel simile. Et hæc quidẽ pęnitentia cũ nõ sit habitus, sed passio uel actus, nullo modo ĩ beatis Angelis esse põt, in quibus peccata cõmissa nõ præcesserunt, sed in malis angelis est, cũ sit eadem ratio de his & de aĩabus damnatis, quia ꝙ hoĩ est mors, est Angelis casus sed quia peccatũ Angeli est irremissibile, nõ adest eis potentia exeundi in actum, & ideo nec habitus uirtutis pœnitentiæ eis conuenit.

QVAESTIO XVII.

De potestate clauium in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum claues in Ecclesia esse debeant.

Conc. Dicitur clauis instrumẽtũ, quo ostiũ aperit̃: regni aũt ostiũ nobis per peccatũ claudit̃ & quãtũ ad maculã, & quantũ ad reatum pœnæ & ideo potestas, qua tale obstaculũ remouet̃, dicit̃ clauis. Hæc aũt potestas est in diuina Trinitate ꝑ auctoritatẽ, & ideo habet clauẽ auctoritatis: sed in Christo hoĩe fuit hęc potestas per meritũ passionis quæ ẽt dicit̃ ianuã aperire, & ideo dicitur habere claues excellentiæ: sed q̃a ex latere Christi dormiẽtis in cruce sacr̃a fluxerũt, q̃bus Ecclesia fabricatur, ideo in sacr̃is Ecclesiæ efficacia passionis manet, & ꝓp hoc ẽt ministris Ecclesię, q̃ sunt dispensatores sacramentorum, potestas aliqua ad

prædictum obstaculum remouendum est collata, non propria, sed uirtute diuina & passiõis Christi, & hęc potestas metaphoricè clauis Ecclesiæ dicitur, quæ est clauis ministerij.

ART. II. Vtrum clauis sit potestas ligandi & soluẽdi.

Conclusio. Clauis est potestas ligandi & soluendi: non absolutè, sed qua Ecclesiasticus iudex dignos recipere, indignos excludere debet à regno.

ATT. III. Vtrum sint duæ claues, uel una tantum.

Conclusio. Cùm in potestate clauium sit actus, qui requirit idoneitatem ex parte recipientis, duplex clauis esse dicitur: quarum una pertinet ad iudicium de idoneitate eius qui absoluendus est, & alia ad ipsam solutionem: & hæ duæ claues non distinguntur in essentia auctoritatis: quia utrumque ad officium idem competit: sed ex comparatione ad actus, quorum unus alium præsupponit.

QVAESTIO XVIII.

De effectu clauium, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum potestas clauium se extendat ad remissionem culpæ.

Conclusio. Solus Deus remittit per se culpam: sacerdos uerò ministerialiter uirtute potestatis clauiũ, quę quodammodo ordinatur ad culpæ remissionem, non sicut causans, sed sicut disponens ad eam.

ART. II. Vtrum sacerdos pos sit remittere peccatum quò ad pœnam.

Conclusio. In Baptismo homo nouam uitam suscipiens fit per gratiam baptismalem nouus homo, & ideo nullus reatus pęnæ in eo remanet pro præcedẽti peccato. Sed in pœnitentia non mutatur homo in aliam uitam, quia non est regeneratio, sed sanatio quędam:

dam: ideo ex ui clauium, quæ operatur in ſacramento pœnitentiæ, non tota pęna remittitur, ſed aliquid de pœna temporali, cuius reatus, poſt abſolutionem à pœna æterna, manere non potuit.

ART.III. Vtrum ſacerdos per poteſtatem clauiũ poſit ligare.

Concluſio. Cùm ſacerdos in uſu clauium ſit miniſter Dei, tanquam cauſa diſponens dimittit quodam modo culpam, non uerò ligat, niſi impropriè in pœnam autem habet poteſtatem & ſoluendi & ligandi, ſoluendo à pœna quam remittit, & ligando ad pœnam, quæ remanet.

ART.IIII. Vtrum ſacerdos ſecundum proprium arbitrium poſſit ligare & ſoluere.

Concluſio. Cùm ſacerdos operetur in uſu clauium ſicut miniſter & inſtrumentum Dei tanquam principalis agentis: nõ poteſt ſoluere & ligare ad arbitriũ, niſi inquantum à Deo ſibi præſcriptum eſt.

QVAESTIO XIX.

De Miniſtris clauium, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum ſacerdos legalis claues habuerit.

Concluſio. Cùm poteſtas ſacerdotum legalium nõ ſe extenderet ad cœleſtia, ſed ſolum ad figuras cœleſtium, non habebant claues, ſed eis clauium figura tradita eſt.

ART.II. Vtrum Chriſtus clauem habuerit.

Concluſio. Chriſtus habuit poteſtatem clauiũ per ſe agens ad noſtram ſalutem, ſacerdotes uerò miniſterialiter: & ideo Chriſto dicitur eſſe clauis excellentiæ.

ART.III. Vtrum ſoli ſacerdotes habeant claues.

Cõcluſio. Clauis ordinis, quæ immediate remouere impedi-

impedimentum introitus ad regnum cœlorum, com petit solis sacerdotibus: clauis uerò iurisdictionis in foro causarum, quæ non clauis cœli, sed quædã dispositio ad ipsam dicitur, etiam alijs ministris Ecclesię cõpetit, per quam aliquis excluditur uel admittitur ad consortium Ecclesiæ militantis per excommunicationem & absolutionem.

ART. IIII. Vtrum etiam sancti homines, non sacerdotes, claues habeant.

Conclusio. Quantũcunq; aliquis habeat de gratia, bona potest pertigere ad effectum clauium. nisi applicetur ad hoc ut minister per Ordinis susceptionem.

ART. V. Vtrum mali sacerdotes usum clauiũ habeãt.

Conclusio. Cũ homo sit tantum instrumentaliter agens in usu clauium, quantumcunque sit gratia per peccatũ priuatus, nullo modo priuatur usu clauium.

ART. VI. Vtrum hæretici, schismatici, & excommunicati usum clauium habeant.

Conclusio. Hæretici, schismatici & excõmunicati habent quidẽ potestatem quantum ad essentiam: sed usus eis impeditur ex defectu materiæ, quia eos Ecclesia tali potestate priuat, subtrahẽdo illis subditos.

QVAESTIO XX.

De his in quos usus clauium exerceri potest, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum sacerdos posit uti claue, quã habet, in quem libet hominem.

Cõclusio. Sicut in cœlesti hierarchia sub potestatibus quæ indistincte præsunt proponũtur principatus qui singulis prouinciis distribuunt, & sub his Angeli qui singulis hominibus in custodiam deputãtur: Ita debet esse & in prælatione Ecclesiæ militãtis, ut apud

aliquem

aliquẽ esset prælatio in distinctè in omnes, & sub hac essent alii, qui super diuersos diuersam potestatem & distinctã acciperent: & ideo ille qui habet indistinctã potestatem super omnes potest uti clauibus: in omnes. illi autem qui sub eo distinctas potestates acceperunt, non in quoslibet uti possunt clauibus, sed in eos tantum qui eis in sortem uenerunt, nisi in necessitatis articulo ubi nemini sacramenta sunt deneganda.

AR. II. Vtrũ sacerdos possit ſp suũ subditũ absoluere.

Conc. Põt simplex sacerdos potestate Ordinis remittere oĩa peccata: nõ potest tñ ea peccata remittere, q̃ superior sibi potestate iurisdictionis reseruauit.

AR. III. Vtrũ aliqs uti posset clauib⁹ ĩ suũ superiorẽ.

Conclusio. Potestas clauium, quantum est de se, extendit se ad omnes, sed quod in aliquem sacerdos nõ possit potestate clauiũ uti, cõtingit ex hoc quod eius potestas est ad aliquos specialiter limitata. unde ille qui limitauit, potest extẽdere in quẽ uoluerit, & ꝑp hoc ẽt potestatem sibi dare potest in seipsum: quãuis ipse in seipsum uti clauium potestate non possit: quia potestas clauiũ requirit ꝓ materia aliquẽ subiectũ, & ita aliũ sibiipsi enim aliquis subiectus esse nõ potest.

QVAESTO XXI.

De excommunicatione, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum incompetens sit hæc definitio excommunicationis,

Conclusio. Cùm hic agatur de excommunicatione maiore, bona est hæc definitio: Excommunicatio est separatio à cõmunicatione Ecclesiæ, quo ad fructũ & suffragia generalia, hic enim continetur & communionis fidelium, & sacramentorum interdictio.

ART.

AR.II.Vtrũ Eccleſia debeat aliquem excõmunicare.

Concluſio.Cùm Eccleſia in terris Dei uicem gerat illiusque iudiciũ Dei iudicio cõforme ſit rite excommunicare poteſt,ſiue peccatorem à communione Eccleſiæ,ſiue à ſuffragiis & aliis ſpiritualibus ſepare.

AR.III. Vtrum aliquis pro temporali damno debeat excommunicari.

Concluſio. Nullus excommunicari debet niſi pro peccato mortali, & quia in damnificando aliquem corporaliter uel in rebus moralibus aliquis mortaliter peccat,& cõtra charitatem facit: ideo pro damno temporali illato Eccleſia aliquem excommunicare poteſt.Non tamen niſi quis contumax fuerit,uel non ueniendo ad iudicium, uel ante terminationem iudicii ſine licentia recedendo, uel determinationi non parendo.

AR.IIII.Vtrum excommunicatio iniuſtè lata habeat aliquem effectum.

Concluſio. Si excommunicatio iniuſtè lata ſit ex parte excommunicantis, nihilominus effectum ſortitur,quamuis peccet excommunicans: at ſit ex parte excõmunicationis, ita ut error ille irritam faciat ſententiam,nullius eſt effectus,quia nõ eſt excommunicatio.Si autem talis error non annullet ſententiam, habet effectum ſuum:& debet excommunicatus humiliter obedire, & erit ei ad meritum: uel abſolutionem petere debet ab excommunicante, uel ad ſuperiorem iudicem recurrere. Si autem contemneret,eo ipſo mortaliter peccaret. Contingit autem quandoq; quod eſt debita cauſa ex parte excommunicantis,quę non eſt debita ex parte excommunicati: ſicut cũ quis pro falſo crimine in iudicio probato excommunicatur, & tunc ſi humiliter ſuſtinet, humilitatis meritũ reconpemſat excommunicationis damnum.

Quæ-

QVAESTIO XXII.

De his qui possunt excommunicare, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum quilibet sacerdos posit excommunicare.

Conclusio. Soli Episcopi & maiores Prælati excommunicare possunt, qui habent iurisdictionem in foro iudiciali, ad quod spectat causa, quæ obligat hominē in comparatione ad alios homines.

AR. II. Vtrū non sacerdotes excommunicare posint.

Conclusio. Etiam non sacerdotes possunt excommunicare, modò iurisdictionem habeant in foro cōtentioso: quia excommunicatio non directe respicit gratiam, sed ex consequēti, inquantum homo suffragijs Ecclesiæ priuatur, quæ ad gratiam disponunt, uel in gratia conseruant.

ART. III. Vtrum excommunicatus uel suspensus posit alium excommunicare.

Conclusio. Cùm excommunicatus à communione fidelium separetur, & quilibet excommunicatus usu iurisdictionis priuetur, cunq; suspēsus à iurisdictione non posit ea, quæ iurisdictionis sunt, exequi: neuter excommunicare potest.

ART. IIII. Vtrum aliquis posit seipsum, uel æqualē, uel superiorem excommunicare.

Cōclusio. Nullus potest nisi inferiorem excommunicare, cùm cōmunicatio sit iurisdictionis, quæ exerceri non potest, nisi in sibi subditos.

ART. V. An in aliquam uniuersitatem sententia excommunicationis ferri posit.

Conclusio. Actus non est cōmunitatis, sed singularium personarum ut frequenter, & ideo singuli de communitate excommunicari possunt, non autem

ipsa,

ipſa communitas. Et ideo Eccleſia, quæ Dei iudiciũ imitari debet, ſatis prouide ſtatuit, ut communitas non excommunicetur, ne collectis zizanijs ſimul eradicetur & triticum.

ART. VI. Vtrum ille qui ſemel eſt excommunicatus, excommunicari poſſit ulterius.

Cõcluſio. Toties quis excommunicari poteſt, quoties excommunicationis aliqua adſit cauſa: uel per eiuſdẽ excommunicationis iterationem, ad maiorem ſui confuſionem, uel propter alias cauſas.

QVAESTIO XXIII.

De participatione cum excommunicatis, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum excommunicato liceat communicare in purè corporalibus.

Concluſio. Duplex eſt excõmunicatio: Vna minor, quæ ſeparat tantùm à participatione ſacramentorũ, ſed non à communione fidelium; & ideo tali excommunicatio licet communicare, ſed non ei ſacramenta conferre. Alia eſt maior excommunicatio, & hæc ſeparat à ſacramentis Eccleſiæ, & à communione fidelium, & ideo tali excommunicato communicare non licet. Sed quia Eccleſia excommunicationem ad medelam, & non ad interitũ inducit, excipiuntur ab hac generalitate quædam, in quibus communicare licet, ſcilicet in his quæ pertinent ad ſalutem. Excipiuntur etiam quædam perſonæ, ad quas ſpecialiter pertinet prouiſio excommunicati, ut uxor, filius, ſeruus, ruſticus, & ſeruiens. Sed hoc intelligendum eſt de filijs nõ emancipatis, alias taxentur uitare patrem. De alijs autem intelligitur, quòd licet excommunicato communicare, ſi ante excommunicationem ſe ei ſubdiderunt,

runt,nō autem ſi poſt. Item ſuperiores poſſunt licitè communicare inferioribus,ad minus in his in quibus ſunt eis obligati:quia ſicut inferiores obligantur ad obſequium ſuperiorum, ita ſuperiores ad prouidentiam inferiorum. Sunt etiam quidam caſus excepti, ſicut quādo ignoratur excōmunicatio; & quando aliqui ſunt peregrini & uiatores in terra excōmunicatorum,qui licitè poſſunt ab eis emere,uel etiā accipere eleemoſynam. Et ſimiliter ſi aliquis uideat excōmunicatum in neceſsitate:qui tunc ex præcepto charitatis tenetur ei prouidere:& iſta hoc uerſu continētur.

Vtile,lex,humile,res ignorata,neceſſe.

Vt utilitas referatur ad uerba ſalutis, lex ad matrimonium,humile ad ſubiectionem:cætera patent.

AR.II. Vtrum participans cū excommunicato ſit excommunicatus.

Concluſio. Excommunicatio poteſt in alium ferri, aut ita quòd ipſe ſit excommunicatus cum omnibus ei participantibus;& tunc quicūque participat ei, eſt excommunicatus maiori excommunicatione,aut eſt excommunicatus ſimpliciter, & tunc aut participat aliquis in crimine ei præbendo conſilium, auxilium, aut fauorem ; & ſic iterum eſt excōmunicatus maiori excommunicatione,aut in alijs,ſicut in uerbo,uel in oſculo uel in menſa : & ſic eſt excommunicatus minori excommunicatione.

AR.III. Vtrum participare cū cum excommunicato in caſibus non conceſsis,ſemper ſit peccatū mortale.

Concluſio. Probabilius uidetur, quòd non ſemper peccat mortaliter, qui participat excommunicato, ſed ſolum quando in crimine ſibi participat,uel in diuinis,uel in contemptum Eccleſiæ.

QVAR-

QVAESTIO XXIIII.

De absolutione ab excommunicatione, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum quilibet sacerdos posit subditum suum ab excommunicatione absoluere.

Conclusio. Excommunicatum minori excommunicatione potest quilibet sacerdos absoluere, non autē maiori, siue sit á iure, uel à Iudice lata, sed à qui sententiam tulit, subijcitur, nisi in articulo mortis.

ART. II. Vtrum aliquis posit absolui inuitus?

Conclusio. Potest quis inuitus ab excommunicatione absolui, cùm sit pœna: non autem à peccato, quod uoluntarium est.

ART. III. Vtrum quis posit absolui ab una excommunicatione, nisi absoluatur ab omnibus.

Conclusio. Excommunicationes non habent connexionē in aliquo: & ideo possibile est quòd aliquis ab una absoluatur, & in altera remaneat. Excommunicatus tamen pluribus excōmunicationibus, ab uno iudice, quando absoluitur ab una, intelligitur ab omnibus absolui, nisi cōtrarium exprimatur, uel nisi ab solutionē impetret de uno tātū casu excōmunicationis. Sed excōmunicat⁹ à diuersis iudicib⁹, & absolut⁹ ab una excōmunicatiōne nō pp hoc est absolut⁹ ab altera, nisi omnes alij ad petitionē eius, absolutionē ei⁹ cōfirmauerint, uel nisi oēs demādēt uni absolutionē.

QVAESTIO XXV.

De indulgentia secundùm se, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum per indulgentiam posit aliquid remitti de pœna satisfactoria.

Con-

Conc. Indulgentiæ ualēt & quantū ad forū Ecclesiæ, & quātū ad iudiciū Dei ad remissionē pęnæ residuæ post cōtritionē, absolutionē & cōfessionē, siue sit iniūcta, siue nō. Cuius ratio est unitas corporis mystici, in qua multi in opibus pęnitētiæ superrogauerūt ad mēsurā debitorū suorū, & multas ēt tribulatiões iniustas sustinuerunt patienter p quas multitudo pœnarū poterat expiari, si eis deberet. Quorū meritorū tanta est copia, ꝙ oēm pœnā debitā nunc uiuentibꝰ excedūt, & præcipuè p meritū Christi: ꝙ etsi ī sacris operatur, non tamen efficacia eius in sacramētis includitur, sed sua infinitate excedit efficaciam sacramētorū. Dictum est autem, ꝙ unus pro alio satisfacere pōt. Sancti autem, in quibus superabundantia operū satisfactionis inuenit, nō determinate pro isto, qui remissione indiget, huiusmodi opera fecerunt (alias absq; omni indulgentia cōsequeretur remissionem) sed cōmuniter pro tota Ecclesia, sicut Apostolus ait se implere ea quę desunt passionum Christi in corpore suo pro Ecclesia. Ea autem quæ sūt alicuius multitudinis communia distribuuntur singulis de multitudine, secūdum arbitrium eius, qui multitudini præest. Vnde sicut aliquis cōsequeretur remissionem pęnæ, si alius pro eo satisfecisset: ita si ei satisfactio alterius sibi per eum qui potest, distribuatur.

ART. II. Vtrum indulgentiæ tantum ualeant, quantū pronunciantur.

Conc. Indulgētiæ simpliciter tātū ualēt, quantū p̄dicantur dūmodo ex parte dantis sit auctoritas, & ex parte recipiētis charitas & ex parte causæ pietas, quę cōprehendit honorē Dei & proximi utilitatē: nec in hoc fit nimis magnū forū de misericordia Dei, ut qui dā dicūt, nec diuinæ iustitiæ derogatur: quia nō de pęna dimittitur, sed unius pœna alteri computatur.

ART. III. Vtrum pro temporali subsidio fieri debeat indulgentia.

Conclusio. Licet pro temporali subsidio ad spiritualia ordinato indulgentias conferre, non autem pro temporali simpliciter.

QVAESTIO XXVI.

De his qui possunt indulgentias facere, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrũ sacerdos Parochialis possit ĩdulgẽtias facere.

Conclusio. Non omnes sacerdotes, sed solus Episcopus potest indulgẽtias facere: quia ille solus propriè prælatus Ecclesiæ dicitur, & ideo ipse solus quasi spõsus annulum Ecclesiæ recipit, & ideo ipse solus habet potestatem plenam in dispensatione sacramentorum & iurisdictionem in foro Ecclesiæ quasi persona publica. Alij autem secundùm quod eis committitur.

ART. II. Vtrum diaconus possit indulgentias facere.

Conclusio. Non tantũ Episcopi indulgẽtias facere possunt, sed quicunque iurisdictionem habent in Ecclesia, siue ex commissione, siue ordinariè illam habeant. Nam potestas faciendi indulgentias sequitur iurisdictionem.

ART. III. Vtrũ Episcopus possit indulgentias facere.

Conclusio. Solus Papa plenarias indulgentias pro libito suæ uoluntatis, legitima tamẽ existente causa, facere potest; cæteri autem Episcopi quantum sibi à Papa taxatum fuerit.

ART. IIII. Vtrum ille, qui est in peccato, possit indulgentias facere.

Conclusio. Potest Prælatus in Peccato mortali existens, indulgentias facere: quia per peccatum homo non amittit iurisdictionem.

QVAESTIO XXVII.

De his quibus ualent indulgentiæ, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum indulgentiæ ualeant exiſtentibus in peccato mortali.

Concluſio. Mortalibus criminibus obnoxijs, nēpe gratia deſtituitis, nullatenus indulgentiæ proſunt, ſed cōtritis & confesſis, qui ſunt capaces gratiæ & ueniæ.

ART. II. Vtrum indulgentiæ ualeant religioſis.

Concluſio. Non tantùm laicis, ſed etiam religioſis indulgentiæ proſunt: non enim religioſi ſunt minus adiuuabiles meritis aliorum, quàm ſeculares.

AR. III. Vtrum ei qui non facit id, pro quo indulgentia datur, posſit quandoque indulgentia dari.

Concl. Indulgentiā minimè cōſequuntur, qui id nō efficiūt, pro quo indulgentia daẗ: quia nō exiſtente cō ditione, nō cōſequitur id, quod ſub conditione datur.

ART. IIII. Vtrum indulgentia ualeat ei qui facit.

Concluſio. Tametſi nō posſit prælatus ſibi indulgē tiam facere, alijs tñ conceſſa, pro ſe etiam uti poteſt.

QVAESTIO XXVIII.

De ſolenni ritu pœnitentiæ, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum aliqua pęnitentia debeat publicari uel ſolen nizari.

Concluſio. Aliqua pęnitentia debet eſſe publica & ſolennis, propter quatuor. 1. ut peccatum publicum publicam habeat medicinam. 2. quia maxima confuſione in hoc mundo etiam eſt dignus, qui grauiſsimū ſcelus commiſit. 3. ut alijs ſit ad terrorem. 4. ut ſit ad exemplum pœnitendi, ne deſperent qui in grauibus peccatis detinentur.

ART. II. Vtrum solennis pœnitentia iterari possit.

Conclusio. Solennis pœnitentia iterari non debet propter tria. 1. ne ex iteratione uilescat. 2. ꝑ significationē: quia est figura expulsionis hominis de paradiso, quæ semel est tantū facta. 3. quia solēnizatio est quasi quædam professio perpetuò pęnitētiā cōseruādi, & ideo iteratio solēnitati resistit. Si tamē postmodum peccauerit; non clauditur ei locus pœnitentiæ.

AR. III. Vtr. pęnitētia solēnis sit īponēda mulierib⁹.

Conclusio. Pœnitentia solēnis hoc modo fit: In capite Quadragesimæ præsentāt se cū presbyteris suis & Episcopis ciuitatū ante fores Ecclesiæ sacco induti nudis pedibus, uultib⁹ dimissis, coma deposita, & eis in Ecclesia introductis Episcopus cum omni clero sēptem Psalmos pœnitentiales dicit: & postmodum eis manū imponit, aqua benedicta aspersa & cinerem capitibus ponit, cilicio colla eorum operit, & denunciat eis lachrymabiliter, quòd sicut Adam eiectus est de paradiso, ita ipsi de Ecclesia eijciūtur, & iubet ministris ut eos ab Ecclesia pellat, clero eos prosequēte cum hoc Responsorio: In sudore uultus tui, &c. In cęna autē Domini quolibet anno á suis presbyteris in Ecclesiā reducuntur: & erunt ibi usque ad octauas Paschæ, ita tamen quòd non communicabunt, nec pacē accipiēt, & sic fieret quolibet anno quousq; aditus Ecclesiæ est eis interdictus. Vltima autē reconciliatio reseruatur Episcopo ad quem solum spectat solennis pœnitentiæ impositio. Potest autem imponi uiris & mulieribus, sed non clericis propter scandalum. Non autem talis pęnitētia debet imponi, nisi pro peccato quod totam commouerit urbem. Publica autem pœnitentia & nō solennis est quæ in facie Ecclesiæ fit, sed nō cum solēnitate prædicta: & hæc potest iterari, & à simplici sacerdote iniūgi, & potest ēt clerico imponi.

QVAE-

QVAESTIO XXIX.

De sacramento extremæ Vnctionis, in nouem articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum extrema Vnctio sit sacramentum.

Conclusio. Effectus intentus in administratione sacrametorum est curatio morbi peccati. Et ideo cùm adhunc effectum pertingat extrema Vnctio ut ex uerbis S. Iacobi patet, nec ordinetur ad aliud sacramẽtum quasi ei annexum: constat quòd extrema Vnctio est sacramentum.

ART. II. Vtrũ extrema Vnctio sit unum sacramentũ.

Conclusio. Extrema Vnctio quamuis per multas perficiatur actiones, unum nihilominus sacramentum est.

ART. III. Vtrum hoc sacramentum fuerit à Christo institutum.

Conclusio. Extremæ Vnctionis sacramentum à Christo fuit institutum, sicut & cætera sacramenta, ab Apostolis tamen promulgatum.

ART. IIII. Vtrum oleum oliuæ sit conueniens materia huius sacramenti.

Conclusio. Oleum oliuæ, cùm sit lenitiuum ac penetratiuũ usque ad intima, ac diffusiuum, conueniens materia est sacramenti extremæ Vnctionis, quod per fecta & lenis sanatio esse debet.

ART. V. Vtrum oporteat oleum esse consecratum.

Conclusio. Oleum, quod in extrema Vnctione assumitur pro materia, consecratum esse debet: tùm ob alia, tùm quòd effectus eius corporalis scilicet sanatio non causatur, ex materiæ naturali proprietate: & ideo oportet, quòd hæc efficacia sibi per sanctificationem detur.

ART. VI. Vtrum oporteat materiam huius sacramenti esse consecratam per Episcopum.

Cõclusio. Sacramenti efficacia primò est à Christo & ab ipso in alios descẽdit ordinatè, scilicet in populum mediantibus ministris, qui sacramenta dispensant, & in ministros inferiores mediantibus superioribus, qui materiam sanctificant: & ideo in omnibus sacramentis, quæ indigent materia sanctificata, prius sanctificatio materiæ fit per Episcopum, & usus quandoque per sacerdotem: ut ostendatur sacerdotalis potestas ab Episcopali deriuata.

ART. VII. Vtrum hoc sacramẽtum habeat aliquam formam.

Conclusio. Determinata est forma uerborũ huius sacramenti, sicut & aliorum sacramentorum. Nã in omnibus sacramentis nouæ legis quæ efficiunt quod figurant, oportet esse, & res, & uerba.

ART. VIII. Vtrũ forma huius sacramenti debeat proferri per orationem indicatiuam, & nõ deprecatiuã.

Conclusio. Forma uerborum huius sacramenti in oratione deprecatiua perficitur, nõ autem indicatiua. 1. quia suscipiens sacramentum hoc, est uiribus proprijs destitutus: unde indiget orationibus subleuari. 2. quia datur exeuntibus qui iam desinũt esse de foro Ecclesiæ, & in solius Dei manu requiescunt, unde eis per orationem committuntur. 3. quia hoc sacramentum non habet aliquem effectum qui semper ex oratione ministri consequatur, etiam omnibus quæ sunt de essentia sacramenti ritè peractis, & ideo in hoc sacramento non potest esse forma indicatiui modi, sicut in alijs sacramentis

ART. IX. Vtrum prædicta oratio sit competens forma huius sacramenti.

Conclusio. Cõueniens uerborum forma est huius sacra-

ſacramenta ea, qua Eccleſia utitur, ſcilicet: Per iſtam ſanctam, &c. quia tangit & ipſum ſacramẽtum, & operationem eius, & effectum.

QVAESTIO XXX.

De effectu huius ſacramenti, in tres articulos diuiſa

ARTICVLVS I.

Vtrum extrema Vnctio ualeat ad remisſionem omnium peccatorum.

Concluſio. Extrema Vnctio eſt quædam ſpiritualis ſanatio uel medicatio: & ideo non datur contra defectus quibus ſpiritualis uita tollitur, ſcilicet peccatum originale & mortale, ſed contra defectus, quibus homo ſpiritualiter infirmatur. Sed quia gratia ſecum non compatitur peccatum: ideo ex conſequenti tollit & alia peccata, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis. Vnde principalis effectus huius ſacramenti eſt remisſio peccatorum, quò ad reliquias peccati, & ex conſequenti etiam quo ad culpam, ſi eã inueniat.

AR. II. Vtrũ ſanitas corporalis ſit effectus hui⁹ ſacri.

Concluſio. Sicut ablutio Baptiſmi habet effectum corporalis ablutionis, quia etiam corporalem mundationem habet: ita extrema Vnctio habet effectum corporalis medicationis, ſcilicet corporalem ſanationem, quam tamen non facit ex proprietate naturali materiæ, ſed uirtute diuina, quæ rationabiliter operatur: quia ratio operans nunquam inducit ſecundariũ effectum, niſi ſecundum quod expedit ad principalẽ: ideo ex hoc ſacramento non ſequitur corporalis ſanatio ſemper, ſed quando expedit ad ſpiritualem ſanationem, & tunc ſemper eam inducit, dummodo no ſit impedimentum ex parte recipientis.

ART. III. Vtrum hoc ſacrm imprimat characterem.

Concluſio. Nullum imprimit characterem hoc ſacramentum, cum illud ſit ſolum in remedium, & non deputetur per ipſum homo ad aliquod ſacrum agendum, uel ſuſcipiendum.

QVAESTIO XXXI.

De miniſtro huius ſacramenti, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum laicus poſſit hoc ſacramentum conferre.

Cōcluſio. Sunt quidam exercentes actiones hierarchicas, & quidam recipientes tantum qui ſunt laici, Et ideo nullius ſacramenti diſpenſatio laico ex officio competit: præterquam baptiſmi in caſu neceſſitatis, ex diuina diſpenſatione, ut nulli regenerationis ſpiritualis facultas deſit.

ART. II. Vtrum diaconi poſſint hoc ſacr̃m conferre.

Concluſio. Diaconus habet uim purgatiuā tantū, non illuminatiuam. Vnde cum illuminatio fiat per gratiam, nullum ſacramentum, in quo gratia confertur, Diaconus poteſt dare ex officio. Et ideo nec hoc, cum in eo gratia coferatur.

AR. III. Vtrum ſolus Ep̄us poſſit hoc ſacr̃m cōferre.

Concluſio. Cū hoc ſacramentum cunctis exhibeatur: non modo per Epiſcopos, ſed per ſimplices ſacerdotes adminiſtrari poteſt. Nam illa ſacramenta diſpēſanda ſolis Epiſcopis reſeruantur, qui ſuſcipiētem in aliquo ſtatu perfectionis ſuper alios ponunt.

QVAESTIO XXXII.

Quibus hoc ſacramentorum conferri debet, & in qua parte in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum hoc ſacramentum ſanis conferri poſſit.

Conclusio. Hoc sacramentum est quædam spiritualis curatio, quæ per quendam corporalis curationis modum significatur: & ideo illis quibus corporalis curatio non competit, scilicet sanis, nō debet conferri.

ART. II. Vtrum hoc sacramentum debeat dari in qualibet infirmitate.

Conclusio. Hoc sacramentum est ultimum remedium, quod Ecclesia potest cōferre immediate quasi disponens ad gloriam. Et ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in statu exeuntium propter hoc, quod ægritudo nata est inducere mortem & de periculo timetur.

ART. III. Vtrum hoc sacramentum dari debeat furiosis.

Conclusio. Ad effectū huius sacramenti percipiendū plurimū ualeat deuotio suscipiētis, & personale meritum cōferentium, & generale totius Ecclesiæ. Et ideo dari non debet furiosis & amentibus: nisi haberent lucida interualla, quibus sacramentum recognoscerent.

AR. IIII. Vrum hoc sacramētum dari debeat pueris.

Conclusio. Hoc sacramentum pueris conferri non debet quia exigit actualem deuotionem in suscipiente, sicut & Eucharistia.

ART. V. Vtrum in hoc sacramento totum corpus debeat inungi.

Conclusio. Non totum corpus, sed eæ duntaxat humani corporis partes inungi oleo huius sacramēti debēt, in quibus est aliqua spiritualis infirmitatis radix.

AR. VI Vtrum conuenienter determinentur istæ partes ungendæ.

Conclusio. Quinque sensuum organica membra inungi præcipuè debēt in quibus omnis nostra cognitio ortum habet: & ubi est prima origo peccati, ibi de

bet unctio adhiberi in nonnullis autem propter appetitiuam & motiuam inunguntur renes ac pedes.

AR.VII.Vtrũ mutilati debeãt inũgi illis unctionib⁹.

Concluſio. Mutilati etiam inungi debent, quanto propinquius eſſe poteſt ad partes illas, in quibus unctio fieri debuerat:quia quamuis non habeant membra, habent tamen potentias animæ quæ illis membris debẽtur,ſaltem in radice:& interius peccare poſſunt,quamuis non exterius.

QVAESTIO XXXIII.

De iteratione huius ſacramenti,in duos articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

trum hoc ſacramentum debeat iterari.

Concluſio. Nullum ſacramentale,nec ſacramentũ, quod habet effectum perpetuum, debet iterari, quia oſtenderetur ſacramentum non fuiſſe efficax ad faciẽdum illũ effectum: & ſic fieret iniuria illi ſacramento. Sed quia ſanitas corporis & mentis, quæ ſunt effectus huius ſacramenti, poſſunt amitti poſtquam fuerint per ſacramentum effecta:Ideo hoc ſacramentum ſine ſui iniuria poteſt iterari.

ART. II. Vtrum in eadem infirmitate debeat iterari.

Concluſio.Eadem infirmitate laborantibus, non ſecundum eundem,ſed diuerſum infirmitatis ſtatum poteſt extrema Vnctio exhiberi.Nam hoc ſacramentum non reſpicit tantum infirmitatem,ſed infirmitatis ſtatum:quia non debet dari niſi infirmis, qui ſecũdum humanam æſtimationem uidentur morti appropinquare.

QVAESTIO XXXIIII.

De Sacramento Ordinis; quòad eius eſſentiam, & eius partes, in quinque articulos diuiſa.

ART.

ARTICVLVS I.

Vtrum Ordo in Ecclesia esse debeat.

Cõclusio. Deus ut in suis operibus repſentaretur, non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod in alijs influit: hanc legem naturalem imposuit omnibus, ut ultima per media reducerētur & perficerentur, & media per prima: & ideo ut ista pulchritudo Ecclesiæ non deesset, posuit Ordinem in ea, ut quidam alijs sacramenta traderent, suo modo Deo in hoc assimilati, quasi Deo cooperantes, sicut & in corpore naturali quædam membra alijs influunt.

ART. II. Vtrum conuenienter Ordo definiatur.

Conclusio. Ordo signaculum quoddam Ecclesiæ est, per quod spiritualis potestas traditur ordinato.

ART. III. Vtrum Ordo sit sacramentum.

Conclusio. Cùm in susceptione Ordinis quædam consecratio homini exhibeatur per uisibilia signa, constat Ordinem esse sacramentum.

ART. IIII. Vtrum forma huius sacramenti conuenienter exprimatur.

Conclusio. Conueniens forma huius sacramēti ea est, qua Ecclesia utitur. Nam hoc sacramentum principaliter consistit in potestate tradita. Potestas autem à potestate traducitur, sicut simile ex simili: & iterum potestas per usum innotescit, quia potentiæ notificantur per actus, & ideo in forma Ordinis exprimitur usus ordinis per actum qui imperatur, & exprimitur traductio potestatis per imperatiuum modum.

ART. V. Vtrum hoc sacramentum habeat materiam.

Conclusio. Specialis est materia huius sacramenti, sicut & aliorum sacramentorum: scilicet potestas tradita & deriuata à Deo & ab eo qui sacramētum dat, sicut potestas imperfecta à perfecta: & ideo efficacia huius sacramenti principaliter residet penes eũ,

qui ſacramentum diſpẽſat: materia autem ut claues, calix, &c. adhibetur magis ad determinãdũ poteſtatem, quàm ad poteſtatem cauſandam: nam materia competit uſui poteſtatis.

QVAESTIO XXXV.

De effectu huius ſacramenti, in quinque articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum in ſacramento Ordinis conferatur gratia gratum faciens.

Concluſio. Dei perfecta ſunt opera. Et ideo cuicunque datur potẽtia aliqua diuinitus, dantur ea per quę exequutio illius potentiæ poteſt congruè fieri, niſi ſit defectus ex parte materiæ: ſicut autem gratia gratum faciens eſt neceſſaria ad hoc quòd homo dignè ſacramenta recipiat, ita etiam ad hoc quòd homo dignè ſacramenta diſpenſet: & ideo datur talis gratia in ſacramento Ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum ſacramentorum diſpenſationem.

AR. II. Vtrum in ſacramento Ordinis character imprimatur quantum ad omnes Ordines.

Concluſio. Per quemlibet Ordinem aliquis conſtituitur ſupra plebem in aliquo gradu poteſtatis ordinatæ ad ſacramentorum diſpenſationem. Vnde cum character ſit ſignum diſtinctiuum ab alijs, oportet quòd in omnibus character imprimatur: cuius etiã ſignũ eſt; quòd perpetuò manẽt, & nunquã iterãtur.

ART. III. Vtrum character Ordinis præſupponat characterem baptiſmalem.

Concluſio. Character ordinis characterem præſupponit baptiſmi, qui ianua eſt omnium ſacramẽtorũ.

ART. IIII. Vtrum character Ordinis præſupponat characterem Confirmationis.

Con-

Conclusio. Quanquam maximè conueniens sit, ut qui ordinem suscipiunt, sint confirmati, hoc tamen non est de necessitate.

ART. V. Vtrum character unius Ordinis de necessitate præsupponat characterem alterius Ordinis.

Conclusio. In primitiua Ecclesia, aliqui ordinabantur in presbyteros, qui prius inferiores Ordines non susceperant: & tamen poterant omnia quæ inferiores Ordines possunt: quia inferior potestas comprehenditur in superiori uirtute: sed postea per constitutionem Ecclesiæ determinatum est, quòd ad maiores ordines se non ingerat, qui prius in minoribus officijs se non humiliauit.

QVAESTIO XXXVI.

De qualitate suscipientium, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum in suscipientibus Ordinem requiratur bonitas uitæ.

Conclusio. Cùm in quolibet Ordine aliquis constituatur dux alijs in rebus diuinis: quasi pręsumptuosus mortaliter pecccat, qui cũ conscientia peccati mortalis ad Ordines accedit: & ideo sanctitas uitæ requiritur ad Ordinem de necessitate præcepti, sed non de necessitate sacramenti. Vnde si malus ordinatur, nihilominus Ordinem habet, tamen cum peccato.

AR. II. Vtrũ requiratur sciẽtia totius sacræ scripturæ.

Conclusio. Ea tantùm scire oportet ordinatos, quę ad Ordinis suscepti executionem conducant: & non quòd uniuersaliter in tota Scriptura sint instructi.

ART. IIII. Vtrum ex merito uitæ aliquis gradus Ordinis consequatur.

Conclusio. In Christo, à quo descẽdit gratia in omnes

nes homines, oportet quod ſit gratiæ plenitudo. At in miniſtris Eccleſiæ, quorum non eſt dare gratiam, ſed gratiæ ſacramenta, non conſtituitur gradus Ordinis ex hoc quòd habẽt gratiam, ſed ex hoc quòd participant aliquod gratiæ ſacramentum.

AR. IIII. Vtrũ ꝓmouẽs indignos ad ordines, peccet.

Concluſio. Infidelitatis reus eſt, qui alicui ſupra mẽſuram eius diuina tradit: hoc autem facit, quicunq; indignos promouet, & ideo crimẽ mortale committit, quaſi ſummo Domino infidelis, & præcipuè cùm hoc in detrimentum Eccleſiæ uergat, & honoris diuini, qui per bonos miniſtros promouetur.

ART. V. Vtrum quis in peccato exiſtens, poſſit ſine peccato, Ordine ſuſcepto, uti.

Concluſio. Mortaliter peccat, quicunque in peccato mortali exiſtens ſacros exequitur Ordines (niſi hoc ex neceſsitate faceret). Nam facit indignè, & quod iuſtum eſt iniuſtè exequitur, & cõtra præceptum legis: eſt enim de iure naturali, ut homo ſancta ſanctè pertractet, & contra hoc nullus poteſt diſpenſare.

QVAESTIO XXXVIII.

De diſtinctione Ordinum, in quinque articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum debeant plures Ordines diſtingui.

Concluſio. Non unum, ſed plures oportuit in Eccleſia ſacros Ordines eſſe. 1. Propter Dei ſapientiam cõmendandam, quæ in diſtinctione rerum ordinata maximè relucet, tam in naturalibus, quàm in ſpiritualibus: 2. ad ſubueniendum humanæ infirmitati, quia per unum non poterant omnia, quæ ad diuina myſteria pertinebant, expleri: 3. ut uia proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diuerſis officijs diſtri-

distribuuntur, ut omnes sint Dei cooperatores, quo nihil est diuinius.

ART. II. Vtrum sint septem Ordines.

Conclusio. Septē sunt Ordines, uidelicet Sacerdotium, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolytorum, Lectorum, Exorcistarum & Ostiariorum. Nam Ordinis sacramentum ad sacramētum Eucharistiæ ordinatur quod est sacramentum sacramentorum, ut Dionysius dicit. Sicut enim templum, & altare, & uasa, & uestes ita & ministeria quæ ad Eucharistiam ordinantur cōsecratione indigent: & hæc consecratio est Ordinis sacramentum, & ideo distinctio Ordinis est accipiēda secundùm relationem ad Eucharistiam, quæ septem modis fit.

ART. III. Vtrum Ordines debeant distingui per sacros, & non sacros.

Conclusio. Secundùm se quilibet Ordo est sacer, cùm sit sacramentum quoddam. Sed ratione materiæ circa quam habet aliquem actum. Ordo sacer dicitur qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam, & sic sunt tres Ordines sacri, scilicet Sacerdos, & Diaconus, & Subdiaconus: & ideo eis cōtinentia indicitur, ut mundi sint qui sancta tractant.

AR. IIII. Vtrū actus Ordinū cōueniēter assignentur.

Conclusio. Cùm consecratio quæ fit in Ordinis sacramento, ordinetur ad sacramentum Eucharistiæ, ille est principalis actus uniuscuiusque Ordinis, secundùm quem magis proximè ordinatur ad Eucharistiæ sacramentum, & secundùm hoc etiam unus Ordo est alio eminentior: sed quia ad Eucharistiæ sacramentū quasi dignissimum multa ordinantur: ideo non est inconueniens, ut præter principalem actū etiam multos actus unus ordo habeat, & tantò plures, quantò est eminentior.

ART.

QVAESTIO XXXIX.

De impedimentis huius sacramenti, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrũ sexus fęmineus Ordinis susceptionẽ impediat.

Conclusio. De necessitate sacramenti est, & de necessitate præcepti pp cõgruitatẽ ad sacrm, q cùm in sexu fœmineo non possit significari aliqua eminentia gradus, quia mulier statum subiectionis habet, ideo non potest Ordinis sacramentum suscipere.

ART. II. Vtrum pueri & carentes usu rationis, Ordines possint suscipere.

Conclusio. Per pueritiam & alios defectus quibus tollitur usus rationis, præstatur impedimẽtum actui: & ideo omnia illa sacramenta, quæ actum requirunt suscipientis sacramentum, talibus non competunt, sicut pœnitẽtia, matrimonium, huiusmodi, sed ea sacramenta, in quibus non requiritur actus suscipientis de necessitate sacramenti, sed potestas aliqua spiritualis diuinitus datur, possunt pueri suscipere, & alij qui usu rationis carent. Sic tamen quòd in maioribus Ordinibus requiritur discretionis tempus de honestate propter dignitatem præcepti, non propter necessitatem sacramenti, Vnde aliqui, si necessitas adsit & spes profectus, ad minores Ordines possunt ante annos discretionis promoueri sine peccato, & suscipiunt Ordinem, quia quamuis tunc non sint idonei ad officia quæ eis committuntur, tamen per assuefactionẽ idonei reddẽtur, sed ad maiores Ordines requiritur usus rationis, & de honestate, & necessitate præcepti propter uotum continentiæ, quod habent annexum, & quia etiam eis sacramenta tractanda committuntur, sed ad episcopatum, ubi etiam in corpus mysticum ac-

ART. VI. Vtrum propter defectum membrorum debeat aliquis impediri.

Cõcluſio. Aliquis efficitur ineptus ad ſuſceptionẽ Ordinum, uel propter impedimentum actus, uel propter impedimẽtum claritatis perſonæ: & ideo patientes defectum in membris, impediuntur à ſuſceptione Ordinis, ſi ſit talis defectus, qui maculam notabilem inferat, per quem obſcuretur perſonæ claritas, ut abſciſsio naſi, uel periculum in executione facere poſsit, alias non impeditur. Hæc autem integritas exigitur de neceſsitate præcepti.

QVAESTIO XL.

De his quæ annexa ſunt ſacramento Ordinis, in ſeptem articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum Ordinati debeant tonſuram deferre.

Cõcluſio. Eis qui ad diuina miniſteria applicãtur, cõpetit raſura & tõſura in modum coronæ ratione figuræ, quia corona eſt ſignũ regni & perfectionis, cum ſit circularis. Illi autem qui diuinis miniſterijs applicantur adipiſcuntur regiã dignitatem, & perfecti in uirtute eſſe debent. Cõpetit etiam ratione ſubtractionis capillorum: & ex parte ſuperiori per raſuram, ne mens eorũ temporalibus orationibus à contemplatione diuinorum retardetur & ex parte inferiori per tõſuram, ne eorum ſenſus temporalibus obuoluãtur.

ART. II. Vtrum corona ſit Ordo.

Concluſio. In cultu diuino quædam ſunt quæ communiter à toto miniſtrorum collegio fiunt, ſicut dicere diuinas laudes, & ad hoc non exigitur aliqua poteſtas Ordinis, ſed ſolum deputatio ad tale officium, & hoc fit per coronam: & ideo non eſt Ordo, ſed præambulum ad Ordinem.

oportet esse potestatem uniuersalem respectu boni communis, alias non posset esse colligatio ad unum: & ideo cum tota Ecclesia sit unum corpus, oportet si ista unitas debet conseruari, quòd sit aliqua potestas regitiua respectu totius Ecclesiæ supra potestatem episcopalem, qua unaquæque specialis Ecclesia regitur, & hæc est potestas Papæ: & ideo illi qui hanc potestatem negant, schismatici dicuntur, quasi diuisores Ecclesiæ unitatis: & inter Episcopum simplicem & Papam sunt alij gradus dignitatum, correspondentes gradibus unionis.

ART. VII. Vtrum uestes ministrorum conuenienter sint institutæ.

Conclusio. Omnibus Ecclesiæ ministris ad dinina exequenda officia uariæ ac multiplices aptatæ sunt uestes prout unicuique conuenire iudicauit ecclesia, à Spiritusancto edocta.

QVAESTIO XLI.

De sacramento matrimonij, quæ est in officium naturæ, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum matrimonium sit de iure naturali.

Cõclusio. Aliqd dicitur naturale, uel sicut ex principijs naturæ ex necessitate causatum, & sic matrimonium non est naturale, nec aliquid eorũ quæ mouẽte libero arbitrio cõplentur: uel sicut ad qđ natura inclinat, sed mediãte libero arbitrio cõpletur, sicut actus uirtutũ dicũtur naturales: & hoc modo matrimoniũ est naturale, quia ratio naturalis ad ipsũ inclinat dupliciter. Primo, inquãtum ad principalẽ eius finẽ, qui est bonum prolis. Secundo, inquantum ad secundarium finem matrimonij, qui est mutunm obsequium sibi à coniugibus in rebus domesticis impensum.

QVAESTIO XLII.

De matrimonio inquantum est sacramentum, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum matrimonium sit sacramentum.

Conclusio. Sacramentum importat aliquod remedium sanctitatis homini cõtra peccatum exhibitum per sensibilia signa. unde cum hoc inueniatur in matrimonio, inter sacramenta computatur.

AR. II. Vtrũ mrimoniũ debuerit ĩstitui ante peccatũ.

Conc. Matrimoniũ, ẜm q ordinatur ad procreatione prolis, quæ erat necessaria ẽt peccato nõ existente institutum fuit ante peccatũ: ẜm aũt q remediũ præbet contra uulnus peccati institutũ fuit post peccatũ tempore legis naturę; ẜm autẽ determinationem personarum, institutionem habuit in lege Moysi: sed secundum quod repræsentat mysterium coniunctionis Christi & Ecclesiæ, institutionem habuit in noua lege & secundũ hoc est sacramentum nouæ legis. Quã tum ad alias utilitates quæ ex matrimonio consequũtur, sicut est amicitia, & mutuum obsequium sibi à cõiugibus impensum, habet institutionem in lege ciuili: sed quia de ui sacramenti est, quod sit signum & remedium, ideo quantum ad medias institutiones competit ei ratio sacramenti: sed quantũ ad primã institutionẽ cõpetit ei, quod sit in officium naturæ, quantũ uerò ad ultimam, quod sit in officium ciuilitatis.

ART. III. Vtrum matrimonium conferat gratiam.

Conclusio. Matrimonium inquantum in fide Christi contrahitur, habet ut conferat gratiam adiuuantem ad illa operanda, quæ in matrimonio requiruntur. Quia ubicunque datur diuinitus aliquã facultas, dantur etiam auxilia, quibus homo conuenienter uti

Conclusio. Ante primū sebtenniū nulli contractui homo aptus est. Sed in fine primi septenni incipit esse aptus ad aliqua promittendum in futurum, præcipuè de his ad quæ ratio naturalis inclinat magis: non autem ad obligandum se perpetuo uinculo, quia ad hoc non firmam uoluntatem habet: & ideo tali tempore possunt contrahere sponsalia. Sed in fine secundi septennii iam potest obligare se de his, quæ ad personā ipsius pertinent, uel ad religionem, uel ad coniugium sed post tertium septennium etiam potest de alijs se obligare & secundum leges constituitur ei potestas de rebus suis disponendi.

ART.IIII. Vtrum sponsalia dirimi possint altero religionem intrante.

Conclusio. In duobus casibus; scilicet cum quis ad religionem confugit & cum alter coniugem cum altero per uerba de præsenti contrahit, ipso iure sponsalia dirimuntur: sed in alijs casibus dirimi debent secūdum iudicium Ecclesiæ,

QVAESTIO XLIIII.

De matrimonij definitione, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum matrimonium sit in genere coniunctionis.

Conc. Cū per matrimoniū ordinētur aliqui ad unā generationē & educationē prolis, & iterū ad unā uitā domesticā: constat ꝙ in matrimonio est aliqua coniūctio, sm quā dicitur maritus & uxor: & talis coniūctio ex hoc quod ordinatur ad aliquod unū, est matrimonium. coniuctio autem corporum uel animorum ad matrimonium cosequitur.

AR.II. Vtrum matrimonium congrue nominetur.

Conclusio. Matrimonium secundū essentiam ipsius quæ est coniunctio, uocatur coniugium. At secūdum

causam

causam eius, quæ est desponsatio, uocantur nuptiæ à nubo. Sed secundum effectum, qui est proles, dicitur matrimonium, ob hoc quod mulier non debet ob aliud nubere, nisi ut sit mater. Potest autem matrimonium quasi matris munium, id est, officium dici: quia fœminis incumbit maximè educandæ prolis officiũ: uel quasi matrem muniens, quia iam habet quo defendatur & muniatur, scilicet uiro, uel quasi matrem monens, ne uirum relinquat, alteri adhærens.

AR. III. Vtrũ matrimonium cõuenienter definiatur.

Conclusio. Matrimonium est quædã indissolubilis maritalis coniũctio inter legitimas personas, indiuiduam uitæ consuetudinem retinens. Quæ definitio tangit essentiam matrimonij, scilicet cõiũctionem, cũ aliæ definitiones tangant aut causam, aut effectum ad quem ordinatur matrimonium.

QVAESTIO XLV.

De consensu matrimonij, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum consensus sit causa efficiens matrimonij.

Conclusio. Cùm in matrimonio sit quædam spiritualis coniunctio, inquantum matrimonium est sacramentum, & aliqua materialis, secundum quod est in officium naturæ & ciuilis uitæ: oportet quod mediãte materiali fiat spiritualis uirtute diuina. Vnde cum cõiunctionis materialium contractuum fiant per mutuum cõsensum, oportet quod hoc modo etiam fiat matrimonialis coniunctio.

AR. II. Vtrũ oporteat consensum per uerba exprimi.

Conclusio. Quia materiales contractus nõ possunt fieri, nisi sibi inuicem uoluntatem suam uerbis promant qui contrahunt: ideo etiam oportet, quòd consensu matrimonium faciens uerbis exprimatur, ut expres

expresſio uerborũ ſe habeat ad matrimonium, ſicut ablutio exterior ad Baptiſmum.

ART.III.Vtrum conſenſus expreſſus per uerba de futuro faciat matrimonium?

Concluſio.Cauſæ ſacramentales hoc efficiũt quod ſignant. Et ideo cum aliquis conſenſum ſuum per uerba de futuro exprimit,& non ſignat ſe facere matrimonium, ſed promittit ſe facturum talis expresſio conſenſus non facit matrimonium, ſed ſponſionem eius,quæ ſponſalia nominantur.

ART.IIII. Vtrum conſenſus expresſio per uerba,ſi deſit interior conſenſus faciat matrimonium.

Concluſio. Cõſenſus exterioribus uerbis expreſſus abſque interiori cõſenſu nullum matrimonium facit, ſicut nec ablutio exterior baptiſmum, abſque intentione recipientis.Tamen quamuis defectus conſenſus patrocinatur alicui in foro conſcientiæ,ut non aſtringatur uinculo matrimonii:at in foro Eccleſiæ,in quo iudicatur ſecundum allegata, non patrocinatur,nec in foro pœnitentiæ, ſed in utroque pro hoc punitur. Quod ſi deſit conſenſus mentalis ex parte unius; ex neutra parte eſt matrimonium, quia matrimonium conſiſtit in mutua coniunctione: tamen ille, ex cuius parte dolus non eſt,à peccato excuſatur per ignorantiam. Eccleſia etiam ſecundùm ea iudicans,quæ foris apparent,non decipitur in iuſtitia,quamuis decipiatur in facto: & perſona condemnata debet excommunicationem ſuſtinere, uel in alias regiones fugere.

ART.V.Vtrum conſenſus in occulto factus per uerba de præſenti faciat matrimonium.

Concluſio.Conſenſus in occulto factus quãquam malus & iure prohibitus,matrimonium tamen facit, ſi fiat inter legitimas perſonas.

Quæ-

maius bonum eligendum eſt, & ideo conſtans ad minus malum ſuſtinendum cogitur metu maioris mali, ſed inconſtans cogitur ad maius malum propter metum minoris mali, at pertinax econtra non poteſt cogi e͂t ad minus malum ſuſtinendum, uel faciendum, ut euitet maius malum, unde conſtans eſt medius inter inconſtantem & pertinacem. Secundò, quantum ad æſtimationem periculi imminentis, quia conſtans nõ niſi ex forti æſtimatione & probabili cogitur, ſed inconſtans ex leui.

ART. III. Vtrum conſenſus coactus tollat matrimonium.

Concluſio. Metus qui cadit in conſtantem uirũ, per petuitatem contractus tollit, quia poteſt repeti reſtitutio in integrum, & ideo hæc coactio tollit matrimonium, & non alia.

ART. IIII. Vtrum conſenſus coactus ex parte cogentis faciat matrimonium.

Concluſio. Conſenſus coactus ex parte cogentis matrimonium tollit. Nam quicquid impedit matrimonium in uno, impedit ipſum in altero.

ART. V. Vtrum per conſenſum conditionatum fiat matrimonium.

Concluſio. Cõditio contraria matrimonio ſiue ſit honeſta, ſiue non honeſta, ſtat matrimonium ſtante conditione, & ea non ſtante non ſtat. Sed ſi ſit contraria bonis matrimonij, non efficitur matrimonium. Si autem ſit conditio de futuro, aut neceſſaria, aut contingens, non facit matrimonium.

ART. VI. Vtrum aliquis præcepto patris poſsit compelli ad matrimonium contrahendum.

Cõcluſio. Cùm per matrimonium homo perpetuę mancipetur ſeruituti, non poteſt pater filium cogere ad matrimonium, quanquam illum ex aliqua rationabili

aliquorum, ex quibus dicta coniunctio honeſtetur: & hæc ſunt bona quæ matrimonium excuſant, & honeſtum reddunt.

ART. II. Vtrum bona matrimonij ſufficienter aſsignentur.

Concluſio. Proles, fides, ac ſacramentum, prima & potiora ſunt bona, quibus matrimonij honeſta ratio redditur.

ART. III. Vtrum ſacramentum ſit principalius inter bona matrimonij.

Concluſio. Principalius bonũ matrimonij, uti dignius, ipſum ſacramentum eſt; proles uerò, id eſt, prolis intentio, maximè eſſentialis in ipſo eſt, quam ſequitur fides, id eſt, debitum ſeruandæ fidei, deinde ſequitur ſacramentum.

ART. IIII. Vtrum actus matrimonij excuſetur per bona prædicta.

Cõcluſio. Matrimonij actus dicitur bonus, & bonitate uirtutis, ex his quæ ipſum ĩ medio ponũt, & hoc faciũt fides & proles: & bonitate ſacramenti, ſecundũ quod actus non ſolùm bonus, ſed etiam ſanctus dicitur: & hanc bonitatem habet ex indiuiſibilitate coniunctionis, ſecũdùm quam ſignificat coninnctionem Chriſti ad Eccleſiam: & ſic prædicta bona ſufficienter actum matrimonij excuſant.

ART. V. Vtrum actus matrimonialis excuſari poſsit ſine bonis matrimonij.

Concluſio. Remota cauſa, remouetur effectus: ſed cauſa honeſtatis actus matrimonialis ſunt matrimonij bona, ergo ſine eis non poteſt actus matrimonialis excuſari.

ART. VI. Vtrum cognoſcens uxorem non intendẽs aliquod bonum matrimonij, ſed ſolam delectationẽ, mortaliter peccet.

Con-

ponit actum intellectus, & ideo qñ error cognitionẽ impedit, sequitur etiam in ipso consensu defectus, & per consequens in matrimonio: & sic error de iure naturali habet, quòd euacuet matrimonium.

AR. II. Vtrum omnis error matrimonium impediat.

Conclusio. Oportet quòd error, qui matrimonium impedit, sit alicuius eorum quæ sint de essentia matrimonij. Duo autem includit matrimonium, s. personas duas quæ coniunguntur, & mutuam potestatem inuicem, in qua matrimonium consistit. Primum autẽ tollitur per errorem personæ. Secundùm per errorem conditionis, quia seruus nõ potest potestatem sui corporis liberè alteri tradere sine consensu sui dñi, & pp hoc hi duo errores mr̃imoniũ impediunt, & non alij.

QVAESTIO LII.

De impedimento conditionis seruitutis, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum conditio seruitutis impediat matrimonium.

Conclusio. Cùm per matrimonium alter coniugiũ alteri obligetur ad liberè reddendum debitum, seruitutis conditionẽ necesse est dirimere matrimoniũ, dummodo sit ignorata. Nam sicut per impotentiam coëundi efficitur aliquis impotens ad soluendum debitum, ut omnino nõ posſit soluere: ita per seruitutẽ, ut libere debitum reddere non posſit.

AR. II. Vtrum seruus posſit contrahere matrimoniũ sine consensu domini.

Conclusio. Cùm matrimonium ad ius naturæ referatur, potest seruus sine domini sui consensu liberè matrimonium contrahere. Nam seruitus quæ est de iure positiuo, non potest præiudicare his, quæ sunt de iure naturali.

AR. III. Vtrũ seruitus in mrimonio posit supuenire.

Conclusio. Vir cùm subijciatur uxori in his tantũ, quæ ad actum naturæ spectant, potest alteri se in seruum dare, absq; suæ uxoris consensu: non tamen ex hoc matrimonium dissoluetur, quia nullum impedimentum matrimonio superueniens, potest dissoluere ipsum.

AR. IIII. Vtrum filij debeãt sequi conditionẽ patris.

Conclusio. Quia proles habet à patre complementum formale, sed à matre substantiam corporis, seruitus autem corporalis conditio est, ideo proles in libertate & seruitute sequitur matrem, sed in his quæ pertinent ad dignitatem, secundum quod est ex forma rei, sequitur patrẽ, sicut in honoribus, & mãcipijs & hæreditate, & alijs huiusmodi. In quibusdam tamẽ terris, quæ iure ciuili non reguntur, partus sequitur deteriorem conditionem, ut si sit pater seruus, quanuis mater sit libera, erunt filij serui: non tamen si post peractum matrimonium pater se in seruum dedit nolente uxore, & similiter si sit ecõtrariò. Si autẽ uterq; sit seruilis conditionis, & pertineant ad diuersos dominos, tunc diuidunt filios si plures sint: uel si unus tantùm, unus alteri recompensabit de pretio, & accipit prolem natam in sui seruitium.

QVAESTIO LII.

De impedimento conditionis seruitutis, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum per obligationem uoti simplicis matrimonium contrãctum dirimi debeat.

Conclusio. Cum in uoto simplici non sit nisi simplex promissio proprij corporis ad cõtinentiam Deo seruandam, adhuc remanet homo Dominus sui corporis:

poris: & ideo poteſt ipſum alteri dare, ſcilicet uxori, in qua datione ſacramentũ matrimonij conſiſtit, qđ indiſſolubile eſt: & propter hoc uotũ ſimplex, quamuis impediat contrahendum, quia peccat contrahẽs matrimonium poſt uotum ſimplex continentiæ: tamen quia uerus contractus eſt, non poteſt matrimonium propter hoc dirimi.

ART II. Vtrum uotum ſolenne dirimat matrimonium iam contractum.

Concluſio. Votũ ſolenne ex ſui natura non modò contrahendum, ſed & contractum matrimonium tollit, cùm per illud homo ſui corporis poteſtatem amiſerit, Deo ſe ad perpetuam continẽtiam dedicando.

ART. III. Vtrum Ordo impediat matrimonium.

Concluſio. Ordo ſacer de ſui ratione habet ex quadam congruentia, quod matrimonium impedire debeat, quia decens eſt ut munditiam corporalem per continentiam ſeruet. Sed quòd impediat matrimonium, ex conſtitutione Eccleſiæ habet talem aliter apud Latinos quàm apud Græcos: quia apud Græcos impedit matrimonium contrahendum ſolum ex ui ordinis: ſed apud Latinos impedit ex ui ordinis, & ulterius ex uoto continentię, quod eſt Ordinibus ſacris annexum: quod etiam ſi quis uerbotenus non emittat, ex hoc ipſo quòd ordinem ſuſcipit, ſecundùm ritum Occidẽtalis Eccleſiæ intelligitur emiſiſſe: & ideo apud Græcos & alios Orientales ſacer Ordo impedit matrimonium contrahendum, non tamen matrimonij prius contracti uſum: poſſunt enim matrimonio prius contracto uti, quamuis non poſsint matrimonium denuò contrahere: ſed apud Occidentalem Eccleſiam impedit matrimonium, & matrimonij uſum niſi fortè ignorante, aut contradicente uxore uir Ordinem ſacrum ſuſceperit, quia ex hoc non poteſt ei aliquod præiudicium generari.

Vtrum Ordo ſacer matrimonio poſsit ſuperuenire.

Concluſio. Matrimonium non impedit Ordinis ſuſceptionem; quia ſi matrimonio iunctus ad ſacros Ordines accedat, etiam reclamãte uxore, nihil hominus characterem Ordinis ſuſcipit, ſed executione Ordinis caret. Si autem uolente uxore, uel ipſa defuncta: recipit Ordinem & executionem.

QVAESTIO LIIII.

De impedimento conſanguinitatis in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum definitio conſanguinitatis ſit competens.

Concluſio. Conſanguinitas uinculum eſt ab eodẽ ſtipite deſcendẽtium carnali propagatione cõtractũ.

ART. II. Vtrum conuenienter conſanguinitas deſignetur per gradus uel lineas.

Concluſio. Per quoſdam gradus, ſeu lineas deſcendentium ab uno communi principio, uel aſcendẽtiũ ad idem, & tranſuerſalium, conſanguinitas congruè deſignatur.

ART. III. Vtrum conſanguinitas de iure naturali impediat matrimonium.

Cõcluſio. Conſanguinitas quantum ad aliquas perſonas, impedit matrimonium de iure naturali; quantum ad aliquas, de iure diuino, & quãtum ad aliquas de iure per homines inſtituto.

ART. IIII. Vtrum conſanguinitatis gradus matrimonium impedientes potuerunt taxari ab Eccleſia.

Concluſio. Poſſunt ex Eccleſiæ ſtatuto aliqui conſanguinitatis gradus matrimonium impedientes taxari, prout uniuerſali hominum Eccleſia Spiritu ſancto inſpirata utile eſſe iudicauerit.

QVAESTIO LV.

De impedimento affinitatis, in undecim articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum ex matrimonio consanguinei affinitas causetur.

Conclusio. Sicut ex naturali generatione efficitur consanguinitas, ita ex matrimonio, & carnali copulà contrahitur affinitas inter uiri & uxoris consanguineos, & hoc quoque ex quadam communicatione naturali, quòd amicicia uiri ad uxorem est naturalis.

ART. II. Vtrum affinitas maneat post mortem uiri aut uxoris.

Conclusio. Ex morte uiri uel uxoris non tollitur affinitas quia quod factum est, nunquam desinit esse factum. Et affinitas causatur ex hoc quòd aliqui coniuncti sunt, non ex hoc tantum quòd coniunguntur.

ART. III. Vtrũ illicitus concubitus affinitatẽ causet.

Conclusio. Quia matrimonium affinitatem causabat, secundùm quod erat quædam carnalis cõmixtio etiam fornicarius concubitus affinitatem causat in quantum habet aliquid de carnali coniunctione.

ART. IIII. Vtrum ex sponsalibus causetur affinitas.

Conclusio. Sicut sponsalia non habent perfectam rationem matrimonij: ita ex eis non causatur affinitas, sicut ex matrimonio, sed aliquid affinitati simile, quod dicitur publicæ honestatis iustitia, quæ impedit matrimonia, sicut & affinitas & consanguinitas, & secundùm eosdem gradus: & definitur sic: Publicæ honestatis iustitia est propinquitas ex sponsalibus proueniens, robur trahens ex Ecclesiæ institutione propter eius honestatem.

ART. V. Vtrum affinitas sit causa affinitatis.

Conclusio. Affiniēs affinitatē non causat, sed aliud genus affinitatis, quod dicitur secūdùm, & post hoc tertium, & deinceps. Et hæc duo genera olim erant prohibita propter publicæ honestatis iustitiā (quamuis deficiunt à uera affinitate) sicut illa quæ ex spōsalibus contrahitur. Sed modo illa prohibitio cessauit, & remanet sub prohibitione solum primum genus affinitatis, in quo est uera affinitas.

ART. VI. Vtrum affinitas matrimonium impediat.

Conclusio. Affinitas matrimonium præcedens nō modò contrahendum, sed contractum dirimit, quia sicut est quoddam amicitiæ uinculū inter consanguineos, ita inter affines: sed si affinitas matrimonio superueniat, non potest ipsum dirimere.

ART. VII. Vtrum affinitas habeat per se gradus,

Conclusio. Graduum distinctio per se consanguinitati conuenit; affinitati uerò non, nisi mediante consanguinitate, ut quoto gradu consanguinitatis attinet mihi uir, toto gradu affinitatis attineat mihi uxor.

ART. VIII. Vtrum gradus affinitatis extendantur sicut gradus consanguinitatis.

Conclusio. Tot sunt gradus affinitatis, quot consanguinitatis. Nam gradus affinitatis sumuntur iuxta gradus consanguinitatis: sed quia affinitas est minus uinculum, facilius dispensatio fit in remotis gradibus affinitatis, quàm consanguinitatis.

ART. IV. Vtrum coniugium contractum inter affines uel consanguineos semper sit dirimendum.

Conclusio. Cùm omnis concubitus præter licitum matrimonium sit peccatum mortale, quod Ecclesia omnibus modis impedire conatur: ad ipsam pertinet eos, inter quos non potest esse uerum matrimonium, separare, & præcipuè consanguineos &

affines

affines,qui fine incestu contrahere non possunt carnaliter.

ART.X.Vtrum ad separationem matrimonij contracti inter affines & consanguineos sit procedendũ per uiam accusationis.

Conclusio. Per uiam accusationis procedẽdum est ad separationem matrimonij inter consanguineos & affines contracti. Nam accusatio ad hoc est instituta, ne aliquis sustineatur innocens,qui culpam habet.

ART.XI.Vtrum ad separationem matrimonij contracti ĩter affines & cõsanguineos ꝓcedi debeat ꝑ testes.

Conclusio.In hac causa oportet quod per testes ueritas patefiat,sicut & in alijs;tamẽ in hac causa multa specialia inueniuntur, scilicet quod idem potest esse accusator & testis,& similia,& hæc omnia, ut peccatũ impediatur,quod in tali coniunctione esse potest.

QVAESTIO LVI.

De impedimento cognationis spiritualis, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrũ spiritualis cognatio impediat matrimonium.

Conclusio.Sicut per carnalem propagationem homo accipit esse naturæ,ita per sacramenta accipit esse spiritualis gratiæ.Vnde sicut uinculum, quod ex carnis propagatione contrahitur, est homini naturale: ita uinculum ex sacramentorum susceptione, est aliquo modo naturale alicui,inquantum est membrum Ecclesiæ.Et ideo sicut carnalis cognatio impedit matrimoniũ ita spiritualis ex Ecclesiæ statuto:Ita tamen quòd si spiritualis cognatio matrimonium præcessit, impedit contrahendũ,& dirimit contractũ: si sequit, tunc nõ dirimit uinculum matrimonij.Sed quantum ad actũ matrimonij, si spiritualis cognatio inducitur

ratione uidetur transire ad mulierem, quæ est carnaliter cognita, quamuis non sit uxor, unde uersus:

Quæ mihi uel cuius natum mea fonte leuauit,
Hæc mea commater, fieri mea non ualet uxor:
Si qua meæ natum, non ex me fonte leuauit,
Hanc post fata meæ non inde uetabor habere.

ART. V. Vtrum cognatio spiritualis transeat ad filios carnales patris spiritualis.

Conclusio. Filius est aliquid patris, & nō ecōuerso. Et ideo spiritualis cognatio transit à patre in filiū, & non econuerso: & sic tres sunt cognationes spirituales 1. Spiritualis paternitas, quæ est inter patrem & filiū spiritualem. 2. compaternitas, quæ est inter patrem spiritualem & carnalem eiusdem. 3. spiritualis fraternitas, quę est inter filium spiritualem & filios carnales eiusdem patris, ꝙ quælibet harum impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum.

QVAESTIO LVII.

De cognatione legali, quæ est per adoptionem, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum adoptio conuenienter definiatur.

Cōc. Adoptio est extraneæ ꝑsonæ in filiū, seu filiam uel nepotē legitima assūptio. Sicut aūt ꝑ naturalē generationē aliqs filiū ꝑduci: ita per ius positiuū ꝙ est ars boni & æqui, pōt aliquis aliū sibi assumere ī filiū ad similitudinē filij naturalis, & ad supplēdū filiorum ꝗ perditorū defectū, ꝓꝑ ꝙ precipuè adoptio ē ītroducta: cui⁹ duplex ē species. Vna q̄ perfectè naturalē filiationē imitatur, & hæc uocat̄ arrogatio, per q̄ traducit̄ adoptatu⁹ ī potestatē adoptantis, & succedit patri adoptāti ex ītestato, nec pōt eū pater sine culpa priuare .4. parte hęreditatis sic aūt adoptari ñ pōt nisi ille q̄ est sui

quidem ex ætate, ſed ex defectu naturæ, ſimpliciter incurabilis, dirimit matrimonium contrahẽdum, & etiam contractum, poſt triennij experimentum ad minus, ex Eccleſiæ ſtatuto. Et quia per triennium quã doque nõ ſufficienter experiri poteſt perpetuitas im potentiæ, ideo Eccleſia, ſi ſe deceptam inueniat per hoc, quod ille in quo erat impedimentum, inuenitur carnalem copulam cũ alia uel cum eadem perfeciſſe, reintegrat matrimonium præcedens, & dirimit ſecũ dum quamuis de eius licentia ſit factum.

AR.II. Vtrũ maleficiũ poſsit impedire matrimoniũ.

Concluſio. Impotentes ex maleficio perpetuo, & poſt triennij experimentum alteram quærere copulam poſſunt, alias minimè. Hæc autem differentia eſt inter maleficium & frigiditatem, quia homo propter frigiditatem, ita eſt impotens ad unam, ſicut ad aliã. & ideo quando matrimonium dirimitur, non datur licentia ei, ut coniungatur alteri; ſed ex maleficio homo poteſt eſſe impotens ad unam, & non ad aliam, & ideo quando iudicio Eccleſiæ matrimoniũ dirimitur utrique datur licentia, ut alteram copulam quærat.

ART.III. Vtrum furia impediat matrimonium.

Concluſio. Furia matrimonium ſequens, illud nullatenus dirimit: ſi autem præcedit, tunc ſi furioſus habet lucida interualla, quamuis in illo interuallo non ſit tutum, quod matrimonium contrahat, quia neſciret prolem educare; tamen ſi contrahit, eſt matrimonium: ſi autem non habet, uel ſi quando non habet cõ trahit, tunc quia non poteſt eſſe conſenſus ubi deeſt rationis uſus, non erit uerum matrimonium.

AR. IIII. Vtrum inceſtus, quo cognoſcit quis ſororẽ uxoris ſuæ matrimonium dirimat.

Concluſio. Si aliquis cognoſcit ſororem, aut aliam conſanguineam uxoris ſuæ ante matrimonium con-

tractum,etiam poſt ſponſalia,oportet matrimonium ſeparari ratione affinitatis contractæ, ſi autem poſt matrimonium contractum & conſummatum,nō debet totaliter matrimoniū ſeparari, ſed uir amittis ius petendi debitum, nec poteſt ſine peccato petere, ſed tamen debet reddere petenti,quia uxor non debet puniri de peccato uiri,ſed poſt mortē uxoris debet omnino manere abſque ſpe coniugij, niſi cum eo diſpenſetur propter fragilitatem ſuam, cum timetur de illicito coitu, ſi tamen præter diſpenſationē contrahat, peccat contra ſtatuta Eccleſiæ faciens,non tamen matrimonium dirimitur,nec propter hoc ſeparatur.

AR.V.Vtrum defectus ætatis impediat matrimoniū.

Concluſio. Matrimonium ante annos pubertatis contractum nullum eſt niſi forte ætatis defectum uigor naturæ & rationis ſuppleuerit. Nā ſi contrahētes ante annos pubertatis,carnaliter fuerunt copulati,nihilominus matrimoniū perpetuo ſtat indiſſolubile.

QVAESTIO LIX.

De diſparitate cultus quæ matrimonium impediat,in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum fidelis poſſit contrahere cum infideli.

Conc. Principalius matrimonij bonū eſt proles ad cultum Dei educanda; cū aūt educatio fiat cōiter inter patrē & matrē, uterq; ſēm fidē ſuā intendit prolē educare,& ideo ſi ſint diuerſæ fidei intentio unius alterius intētioni cōtraria erit, & ita inter eos nōn pōt eſſe conueniens matrimonium,& propter hoc diſparitas cultus præcedens impedit ne contrahi poſſit.

AR.II.Vtrum inter fideles poſſit eſſe matrimonium.

Concluſio.Inter infideles uerum matrimonium eſt quamuis non ita perfectum ſicut inter fideles. Nam

illi bonum prolis perficiunt solum quãtum ad corp⁹, sed hi etiam quantum ad animam per ea quæ sunt in lege naturæ, & perfectione gratiæ.

AR. III. Vtrum coniux conuersus ad fidem posſit cõmanere cum uxore nolente conuerti.

Conclusio. Cum inter infideles uerũ matrimoniũ, sit, non propterea diſſoluitur eius uinculum, quòd alter coniugum ad fidem conuertitur, altero in infidelitate manente: solui tamen poteſt & quò ad cohabitationem, & debiti solutionẽ, si nulla adsit correctionis spes, ne uideatur patronus turpitudinis, aut infidelitatis, quamuis etiam cum spe correptionis posſit liberè dimittere. Nam pari paſſu currunt infidelitas & adulterium, quia utrumque eſt contra bonum prolis.

ART. IIII. Vtrum fidelis conuersus posſit uxorem infidelem dimittere uolentem cohabitare sine contumelia Creatoris.

Conclusio. Qui moritur priori uitæ, nõ tenetur ad illa ad quæ in priori uita tenebatur, & inde eſt, quòd qui in uita seculari aliqua uouit, non tenetur ad illa quando mundo moritur, & uitam religiosam aſſumit. Qui autem per baptiſmũ regeneratur in Christo, & priori uitæ moritur, liberatur ab obligatione qua uxori tenebatur reddere debitum, & ei cohabitare nõ tenetur, quando conuerti non uult: quamuis reddere debitum in aliquo casu libere id posſit facere, sicut & religiosus pficere uota quæ fecit in sæculo, si non sunt contra religionem suam, quamuis ad ea nõ teneatur.

ART. V. Vtrum fidelis diſcedens ab uxore infideli, posſit aliam ducere.

Conclusio. Si infidelis non uult cohabitare sine contumelia Creatoris, id eſt; sine hoc ꝙ ad infidelitatem inducat, poteſt fidelis libere diſcedere, sed non alteri nubere. Si autem infidelis non uelit cohabitare sine

con-

contumelia Creatoris in uerba blaſphemiæ prorumpens,& nomen Chriſti audire nolens: tunc ſi ad fidelitatem pertrahere nitatur uir fidelis diſcendens, poteſt alteri poſt matrimonium copulari.

ART. VI. Vtrum alia uitia ſoluant matrimonium.

Concluſio. Coniugium, ſi ratificatum fuerit, quantum ad uinculum nulla ex cauſa ſolui poteſt: ſed ſi nõ eſt ratificatum, ſoluitur uinculum permanente infidelitate in altero coniugum, ſi alter conuerſus ad fidem ad aliud coniugium tranſeat: non autem ſoluitur uinculum prædictum per adulterium. Verùm quantum ad actum, diſſolui poteſt fornicatione cùm corporali, tum ſpirituali; propter cætera uerò uitia, nequaquã, niſi fortè ad tempus ad caſtigationem peccantis ſubtrahendo ei præſentiæ coniugis ſolatium.

QVAESTIO LX.

De uxoricidio, in duos articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum liceat uxorem interficere inuentam in actu adulterij.

Concluſio. Non licet uiro propria auctoritate ſine reatu pœnæ æternæ occidere uxorem adulteram, poteſt tamen zelo iuſtitiæ eam iudicialiter accuſare, ut in eam animaduertatur: non tamen talis accuſatio poteſt fieri in iudicio Eccleſiaſtico, quia Eccleſia non habet gladium materialem. At lex ciuilis quaſi licitũ putat, quòd in ipſo actu eam interficiat, nõ quaſi præcipiens, uel prohibens, ſed quaſi pœnam homicidij ei non infligens propter maximum incitamẽtum, quod habet uir in tali facto.

AR. II. Vtrum vxoricidium impediat matrimonium.

Concluſio. Vir qui uxorem occiderit, aliam ex ſtatuto Eccleſiæ ducere non poteſt, niſi ſibi permiſſum

fuerit

fuerit, uitandæ fornicationis causa: si uerò non dispẽsatus matrimonium contraxerit, non dirimetur, nisi eam, cum qua prius mœchabatur, duxerit.

QVAESTIO LXI.

De impedimento matrimonij quod est uotum solenne, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum alter coniugum, altero inuito, post carnalẽ copulam posſit religionem intrare.

Conclusio. Cùm quis nõ posſit Deo oblationẽ præstare ex re aliena, non poteſt uir seipsum per continẽtiæ uotũ Deo offerre sine consensu uxoris, cuius suũ corpus consummatione matrimonij esse dicitur.

AR. II. Vtrum alter coniugum posſit, altero inuito, ante carnalem copulam religionem intrare.

Conclusio. Ante carnalem copulam est inter coniuges tantùm uinculum spirituale, sed postea etiam est inter eos uinculum carnale: & ideo sicut post carnalem copulam matrimoniũ soluitur per mortẽ carnalẽ, ita per ingressum religionis uinculũ, quod est ante carnalem copulã, soluitur, quia religio est quædam mors spiritualis, qua aliquis seculo moriẽs uiuit Deo.

ART. III. Vtrum mulier posſit nubere alteri uiro antè carnalem copulam, uiro suo religionem ingresso.

Conclusio. Poteſt mulier mortuo uiro spiritualiter per ingressum religionis, alteri nubere, sicut etiã idẽ ei licet, uiro defuncto morte corporali.

QVAESTIO LXII.

De impedimento quod superuenit matrimonio consummato, quod est fornicatio, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum propter fornicationem liceat uiro uxorem dimittere.

Conclusio. Cum nullus sit obstrictus fidem ei serua re, qui eam uiolauerit: uiro conceditur iuxta Domini uerba uxorem fornicationis causa repudiare.

ART. II. Vtrum uir teneatur ex præcepto uxorem fornicantem dimittere.

Conclusio. Si uxorem adulteram pœniteat adulterium commisisse; non tenetur uir ex præcepto illam relinquere; sin minus, tenetur, ne peccato consentire uideatur.

ART. III. Vtrum uir proprio iudicio possit fornicantem dimittere.

Conclusio. Vir potest uxorem quantum ad thorum totum dimittere, quàm citò sibi constat de fornicatione, idque proprio arbitrio, nec tenetur reddere debitum, nisi per Ecclesiam compellatur, & taliter reddēs nullum præiudicium sibi facit. Sed quantum ad thorū & cohabitationem, non potest dimittere, nisi iudicio Ecclesiæ: & si dimissa fuerit, debet cogi ad cohabitandum, nisi posset in continēti fornicationem probare. hæc autem dimissio diuortium dicitur: quod non potest celebrari nisi iudicio Ecclesiæ.

ART. IIII. Vtrum uir & uxor in causa diuortij possint ad paria iudicari.

Conclusio. Diuortium pœna est adulterij, inquantum est contra bonum fidei, ad quam coniuges æqualiter sibi inuicem tenentur, & hæc causa in utroque sufficit ad diuortium. Sed quantum ad bonum prolis, plus peccat adulteriū uxoris q̃ uiri: & ideo maior est causa diuortij in uxore quàm in uiro, & sic ad æqualia, sed non ex æquali causa obligantur, nec iniuste: quia in utroque est causa sufficiens ad hanc pœnam.

ART.

AR.V.Vtrũ post diuortium uir alteri nubere posit.

Conclusio. Nihil adueniens supra matrimonium, potest ipsum dissoluere: & ideo adulterium non facit quin sit uerũ mrimonium. Manet.n.ut D. Augustinus dicit, inter uiuẽtes cõiugale uinculũ, qđ nec separatio, nec cũ aliquo iunctio põt auferre: & ideo nõ licet uni, altero uiuente, ad aliam copulam transire.

ART. VI. Vtrum post diuortium uir & uxor posint reconciliari.

Conclusio. Potest uir uxorem causa adulterij dimisam reuocare, si emendata pœnitentiam de peccato egerit: secus non potest, quemadmodum nec retinere à peccato desistere nolentem.

QVAESTIO LXIII.

De secundis nuptijs, in duos articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum secundæ nuptiæ sint licitæ.

Conclusio. Potest toties contrahi matrimonium, quoties alter coniugum mortuus est: moriente enim altero coniugum, uinculum matrimoniale tollitur.

AR.II. Vtrũ ₰m matrimonium sit sacramentum.

Conclusio. Secundũ matrimonium est sacramentũ cũ in eo reperiãtur quæ sunt de esse sacri, s. persona legitima, tanquam materia, & expresio consensus interioris per uerba de præsenti, tanquam forma.

QVAESTIO LXIIII.

De annexis matrimonio, & debiti redditione, in septem articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum alter coniugum teneatur alteri ad redditionem debiti.

Conclusio. Tenentur coniuges sibi mutuò debitũ

præſtare, cum ſacrum coniugium inſtitutum ſit, ut & uitetur fornicatio, & ut liberis opera detur, ſalua tamen utriuſque incolumitate.

ART. II. Vtrum uir teneatur reddere debitum uxori non petenti.

Concluſio. Cùm natura mulieres ſint uerecundæ, ita ut non audeant petere debitum à uiris ſibi præſtari: tenetur uir etiam uxori non petenti debitum reddere, ſi aliquo ſigno id eam uelle perceperit.

ART. III. Vtrum uir & mulier ſint in actu matrimoniali æquales.

Concluſio. Sunt uir & uxor in actu coniugij æquales quantū ad æqualitatem proportionis in reddēdo debitum & petendo: non autem quantum ad æqualitatem quantitatis, neque ad actum coniugalē, in quo id quod nobilius eſt, uiro debetur, neque ad diſpenſationem domus, in qua uxor regitur, & uir regit.

ART. IIII. Vtrum uir & uxor poſsint emittere uotum contra debitum matrimonij ſine mutuo cōſenſu.

Concluſio. Cùm coniuges ſibi inuicem teneantur in redditione debiti, per quā continentia impeditur: non poteſt unus abſque conſenſu alterius continentiam uouere, & ſi uouerit, peccat, & nō debet ſeruare uotum ſed agere pœnitentiam de uoto malè facto.

ART. V. Vtrum in diebus ſacris impediatur petitio debiti.

Concluſio. Cùm actus matrimonialis propter delectationem carnis reddat hominem ineptum ad ſpiritualia, non licet petere debitum actus matrimonij diebus ſacris.

ART. VI. Vtrum petens debitum in tempore ſacro mortaliter peccet.

Concluſio. Non peccat mortaliter uir aut uxor, ſi debitum diebus feſtis petat: ſi tamen hoc faciat ſola

delecta-

delectationis causa, grauius peccat, quàm qui hoc facit, ut sibi de lubrico carnis caueat.

ART. VII. Vtrum unus coniux teneatur alteri debitum reddere in tempore festiuo.

Conclusio. Tenentur coniuges etiam diebus festis & quacunque hora sibi mutuò debitum reddere, salua tamen honestate.

QVAESTIO LXV.

De bigamia, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum habere plures uxores sit contra legē naturę.

Conclusio. Virum habere plures uxores, est contra legem naturæ, quantum attinet & ad communicationem operum inter uirum & uxorem, & ad similitudinem coniunctionis Christi & Ecclesiæ: quantum uero spectat ad prolis procreationem & educationem, pluralitas uxorum non est contra ius naturæ.

AR. II. Vtrū aliqñ licitū fuerit habere plures uxores.

Cōclusio. Polygamia olim licita fuit antiquis Patribus & alijs, propter finem prolis multiplicādæ ad cultum Dei: nunc uerò prohibetur, quia ille finis cæteræque circunstantiæ cessarunt.

AR. III. Vtrū habere cōcubinā sit contra legē naturę.

Conclusio. Cùm præcipuus finis appetendę concubinæ, sit coitus: illam habere est contra legem naturę illius enim finis legi naturali aduersatur.

ART. IIII. Vtrum accedere ad concubinam sit peccatum mortale.

Conclusio. Cū concubitus fornicarius tollat debitam ordinationem parentis ad prolem, quam natura ex cōcubitu intēdit: fornicatio simplex de sui ratione est peccatum mortale, etiam si lex scripta non esset.

ruptio autem extra matrimonium quæ præcessit matrimonium, nullum defectum facit in sacramento ex parte illius, in quo est corruptio, sed facit defectũ ex parte alterius, quia actus contrahentis matrimonium non cadit supra seipsum, sed supra alterum. Vnde si mulier esset Ordinis susceptiua, sicut efficitur uir irregularis ex hoc quòd ducit uxorem corruptam, non autem ex hoc quòd corruptus contrahit, ita fieret mulier irregularis, si contraheret cum corrupto, non autem si contraheret corrupta, nisi in alio matrimonio prius corrupta fuisset.

ART.IIII. Vtrum bigamia soluatur per baptismum.

Conclusio. Baptismus soluit culpas, & nõ soluit cõiugia, unde cùm ex ipso coniugio sequatur irregularitas, per baptismum tolli non potest.

ART.V. Vtrum cum bigamo liceat dispensare.

Conclusio. Cum irregularitas bigamiæ non sit de iure naturali, sed positiuo, potest Papa cum bigamo dispensare in omnibus Ordinibus: Episcopi uerò solum in minoribus, nisi in quibusdam casibus.

QVAESTIO LXVII.

De libello repudij, in septem articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum inseparabilitas uxoris sit de lege naturæ.

Conclusio. De lege naturæ est, quòd parentes filijs thesaurizent, & filij parentum hæredes sint. Et ideo cum proles sit commune bonum uiri & uxoris, oportet eorum societatem perpetuò permanere indiuisã secundum legis naturæ dictamen: & sic inseparabilitas matrimonij est de lege naturæ.

ART.II. Vtrum potuerit esse licitum per dispensationem uxorem dimittere.

Conclusio. Siue inseparabilitas matrimonij inte

prima præcepta legis naturæ, ſiue inter ſecunda contineatur, ſub diſpenſatione cadere poteſt, quæ nihil aliud eſt quàm ſicut mutatio curſus naturalis rei per cauſam aliquam ſuperiorem.

ART. III. Vtrum ſub lege Moyſi licitum fuerit uxorẽ dimittere.

Concluſio. Non licebat Dei mandato ſub lege moyſi uxorẽ repudiare, ſed propter duritiã cordis Iudæorũ illis permittebatur, ut maius malum euitaretur. Nam ſi auctoritate eius, qui diſpenſare poteſt, hoc fiat boni intermiſsio reatũ non habet, ſed honeſtatem aliam nõ acquirit. Et ideo à peccato abſtulit culpam: quamuis.n. inordinatum maneret in repudio, ex quo peccatum dicitur: tamen reatũ pœnæ nõ habebat, neque temporalis, neque perpetuæ, inquantum diuina diſpenſatione fiebat, & ſic erat ab eo culpa ablata: quãquam de hoc alij aliter ſentiant.

ART. IIII. Vtrum liceat uxori repudiatæ alium uirũ habere.

Concluſio. Secundùm primam opinionem poſt repudium uxor peccat alteri uiro cõiuncta, quia adhuc primum matrimonium non erat ſolutũ. Mulier.n. quãto tempore uiuit uir, alligata eſt legi uiri. Sed ſecundũ aliam opinionem, ſicut licebat ex diſpenſatione diuina uiro uxorem repudiare, ita uxori alium uirum ducere: quia inſeparabilitas matrimonij ex cauſa diuinę diſpenſationis tollebatur.

ART. V. Vtrum liceat uiro repudiatum à ſe accipere.

Concluſio. In lege de libello repudij duo erant permiſſa, ſcilicet dimittere uxorem, & uxorem dimiſſam alteri iungi: & duo præcepta, ſcilicet ſcriptura libelli repudij, & quòd iterum maritus repudians eam accipere nõ poſſit: idque ne de facili uxorem repudiaret, quam poſtea nullo modo recuperare poſſet.

ART.

ART.VI. Vtrum causa repudij sit odium uxoris.

Conclusio. Causa permissionis repudiandi uxorẽ fuit uitatio uxoricidij, ut Sancti communiter dicũt. Proxima autem causa homicidii est odium, & ideo proxima causa repudii est odium, sed odium ex alia causa causatur. Itaque multæ erãt in lege causæ dimittendi uxorem solam Christus fornicationem excipit cæteras molestias iubet pro fide & castitate coniugij sustinere.

ART. VII. Vtrũ causæ repudii debebãt in libello scribi.

Cõclusio. Causæ repudii in libello particulatim nõ scribebantur, sed generatim, ut ostenderetur iustum repudium: ideo autem libellus scribebatur, ut mora interueniente, & consilio Scribarum dissuadente, uir à proposito repudiandi desisteret.

QVAESTIO LXVIII.

De filijs illegitimè natis, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum filij qui nascuntur extra uerum matrimoniũ sint legitimi.

Conclusio. Quadruplex status est filiorum. 1. Sunt naturales & legitimi, qui nascuntur ex uerò & legitimo matrimonio. 2. Naturales & non legitimi, qui nascuntur de simplici fornicatione. 3. legitimi & non naturales, sicut filij adoptiui. 4. nec legitimi, nec naturales, sicut spirii nati de adulterio & de stupro. Tales. n. nascuntur & contra legem positiuam, & contra legẽ naturę expresse. Nam quamuis nascuntur secundum naturam, quæ communis est omnibus animalibus tamen nascuntur contra legem naturæ, quæ est propria hominibus, quia fornicatio & adulterium & huiusmodi sunt contra legem naturæ, & ideo tales secundum nullam legem sunt legitimi.

ART.II.Vtrum filij illegitimi debeant aliquod damnum reportare.

Conclusio. Liberi illegitimi publici damno afficiũtur:unum est, quia non admittuntur ad actus legitimos, alterum, quod non succedunt in hæreditate paterna:in septima tamen parte succedere possunt naturales filij:spurii uerò in nulla parte, nisi quod ex iure naturali parẽtes eis in necessarijs prouidere teneant.

ART.III.Vtrum filius illegitimus possit legitimari.

Conclusio. Filius illegitimus potest legitimari, in quantũ damna quæ incurrit, subtrahuntur per legis auctoritatem.

QVAESTIO LXIX.

De his quæ spectant ad resurrectionem, & primi de loco animarum post mortem in septem articulos diuisa

ARTICVLVS I.

VTrũ asſignentur receptacula aĩabus post mortem.

Conclusio. Quamuis animabus post mortem nõ asſignentur aliqua corpora:determinantur tamen eis quadam corporalia loca secundum gradum dignitatis earum,in quibus sint quasi in loco eo modo quo incorporalia esse possunt in loco,secundum quod magis uel minus accedunt ad primam substantiam, cui locus superior per congruentiam deputatur, scilicet Deum cuius sedem cœlum Scriptura esse denuntiat: & ideo animas, quæ sunt in participatione perfecta Deitatis,ĩ cœlo esse ponimus:animas uerò quæ à participatione huiusmodi impediuntur, loco contrario dicimus deputari.

ART.II.Vtrum statim post mortem animæ deducantur ad cœlum,uel ad infernum.

Conclusio. Sicut corpora leuitate sua aut grauitate

sursum

ſurſum aut deorſum ferunt,niſi aliquid ſit impedimẽto:ſic etiam animæ è carcere corporis liberatæ ſtatim aut pœna debita inflicta in infernum feruntur,aut ad conſecutionẽ præmij in cęlos euolãt,niſi impediãtur aliquo reatu quo oporteat differri,ut prius purgẽtur. Et huic ueritati auctoritates Scripturæ canonicæ manifeſtè atteſtantur,& documenta ſanctorum Patrum. Vnde contrarium pro hæreſi eſt habendum.

ART.III. Vtrum animæ exiſtentes in paradiſo uel in inferno egredi ualeant.

Cõcluſio. Secundum naturalem curſum,animæ ſeparatæ proprijs receptaculis deputatæ conuerſatione uiuentium penitus ſegregantur:nec amplius poſſunt exire ut rebus uiuentiũ interſint.Sed ſecundùm diſpoſitionem diuinæ prouidentiæ aliquando cõſpectibus hominum præſentantur,& damnati quidem ad erudi tionem hominum & terrorem, aut ad ſuffragia expetenda,ſi in purgatorio detinentur.Sed hoc intereſt ꝙ Sancti cum uoluerint, apparere poſſunt uiuentibus: non autẽ damnati.Non eſt enim inconueniens, ut ex uirtute gloriæ,aliqua potentia animabus Sanctorum detur,per quam posſint mirabiliter apparere uiuentibus cum uolunt,quod alii non poſſunt,niſi interdum permisſi.

AR.IIII. Vtrũ limbus inferni ſit idẽ ꝙ ſinus Abrahæ.

Cõcluſio. Animæ hominum poſt mortem ad quietem peruenire non poſſunt,niſi merito fidei. Primum autem exemplum credendi hominibus in Abraham datur: & ideo requies illa poſt mortem,ſinus Abrahæ dicitur: ſed quia animæ Sanctorũ ante Chriſti aduentum habebant quietem per immunitatem pœnæ,ſed non habebant quietem deſiderij per conſecutionem finis : ideo ſtatus Sanctorũ ante Chriſti aduentum, ſecundum id quod habebat de requie dicitur ſinus

Abrahæ:

Abrahæ: sed quantum ad id quod eis deerat derequie dicitur limbus inferni. Limbus ergo inferni & sinu Abrahæ fuerunt ante Christi aduentum unum per accidens, & non per se. Sed quia post Christi aduentum Sanctorum requies est completa, cum Deum uideāt, talis requies dicitur sinus Abrahæ, & nullo modo infernus: & ad hunc sinum Abrahæ Ecclesia orat fideles perduci.

AR.V. Vtrū limbus idē sit quod infernus damnatorū.

Conclusio Limbus, quantum ad qualitatem loci, diuersus est ab inferno damnatorum: sed quātum ad situm loci, sunt loca continua, nisi quod limbus Patrū pars superior inferni esse uidetur.

ART.VI. Vtrum limbus puerorum sit idem quod limbus Patrum.

Cōclusio. Cùm pueris in limbo nulla adsit spes beatæ uitæ, quæ Patribus aderat, qualitate præmij, & pœnæ limbus puerorum differt à limbo Patrum, non autem situ, etsi requies Patrum in superiori loco esse credatur.

ART.VII. Vtrum debeant tot receptacula distingui.

Conclusio. Siue in statu consequendi pro meritis bonum, siue malū, constitutæ sint animæ corporibus exutæ: conuenienter quinque loca distincta sunt, scilicet paradisus, limbus Patrum, purgatorium, infernus, & limbus puerorum.

QVAESTIO LXX.

De qualitate animæ exeuntis corpore, & pœna ei inflicta ab igne corporeo, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum in anima separata remaneant potentiæ sensitiuæ.

Con-

Conclusio. Potentiæ sensitiuæ & aliæ similes non manent in anima separata, nisi secūdùm quid, scilicet ut in radice, per modū quo principiata sunt in principijs suis. In anima enim separata manet efficacia influendi iterum huiusmodi potentias, si corpori uniatur: nec oportet hanc efficaciā esse aliquid superadditum essentiæ animæ.

ART. II. Vtrum in anima separata remaneant actus sensitiuarum potentiarum.

Conclusio. Actus sentiuarum potentiarum nullo modo remanent in anima soluta à corpore, nisi fortè tanquam in radice remota.

ART. III. Vtrum ànima separata pati posit ab igne corporeo.

Conclusio. Ignis ex natura sua habet, ꝙ spiritus incorporeus ei cōiungi posit, ut loco locatū. Sed inquātum est instr̄m diuinæ iustitiæ habet, ut ipsum quodā modo retineat alligatum, & in hoc ueraciter ignis ille est spiritui nociuus, & pœnalis, retardans eū ab exequutione propriæ uoluntatis, ne posit operari; ubi uult, & secundùm quod uult: & sic etiam anima ignē ut sibi nociuum uidens ab igne cruciatur.

QVAESTIO LXXI.

De suffragijs mortuorum, in quatordecim articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrū suffragia per unum facta, alijs prodesse posint.

Conclusio. Actus noster ualere poteſt, & per uiam meriti, & per uiam orationis: & est differentia, quia meritum innititur iustitiæ, oratio misericordiæ. Orans enim impetrat petitum ex liberalitate eius, qui oratur. Itaque opus unius nullo modo poteſt alteri ualere ad statum consequendum per uiam meriti

riti: quia sors gloriæ redditur secundum mensuram accipiētis:sed per uiā orationis,& quantū ad statū cō sequendū,opus unius alteri, dū est in uia, ualere pōt. Cū igitur impetratio oratiōis sit ſm liberalitatē Dei ad oīa illa se pōt extendere,quæ potestati diuinæ subsūt,ordinatæ:sed quantū ad aliq̃d,ꝙ est consequēs uel accessoriū ad statū,op⁹ unius poterit ualere alteri,nō solū per uiā orationis,sed ēt per uiā meriti. Et hoc dupliciter,uel ꝑꝑ cōmunicātiā in radice operis:quę est charitas in oꝑibus meritorijs. Et ideo,oēs q̄ sibi inuicē charitate cōnectuntur,aliquod emolumētū ex mutuis operibus reportant tñ ſm mēsurā status uniuscuiusq; ,quia in patria unusquisq; gaudebit de bonis alrius & inde est,ꝙ articulus fidei ponitur. Sanctorum cōmunio. Vel alio modo ex intentione facientis,qui aliqua opera specialiter ad hoc facit, ut talibus prosint. Vnde illa opera quodammodo efficiuntur eorū pro quibus fiunt,quasi eis à faciente collata unde possunt eis ualere,uel ad impletionem satisfactionis,uel ad aliquid huiusmodi quod statum non mutat.

AR. II. Vtrū mortui possint iuuari ex opib⁹ uiuorū.

Conclusio. Charitas,que est uinculū Ecclesiæ membra uniens,non solum ad uiuos se extendit,sed etiam ad mortuos,qui in charitate decedūt. Charitas enim uita corporis non finitur,nec unquam excidit. Similiter etiam mortui in memorijs hominum uiuentium uiuunt,& ideo intentio uiuentium ad eos dirigi pōt, & sic suffragia uiuorum mortuis dupliciter prosunt, sicut & uiuis: & propter charitatis unionem,& propter intentionem ad eos directā:non tamen ut status eorum mutetur,sed ad diminutionem pœnæ, uel aliquid huiusmodi,quod statum mortui nō transmutat.

ART. III. Vtrum suffragia facta per peccatores mortuis prosint.

Con-

Conclusio. Quia sacramenta ex seipsis efficaciam habent absque opere operantis, quantum ad hoc suffragia per malos facta, defunctis prosunt. Sed quantum ad opus operãtis, operatio peccatoris suffragia faciẽtis prout est eius, nullo modo meritoria esse potest; nec sibi, nec alij. At inquantũ est alterius, sicut totius Ecclesiæ, cuius nomine uel uice fit, suffragia sacerdotis quãuis sit peccator defunctis prosunt. Itẽq: quãdo quis agit ut instrumẽtũ alterius: actio enim est meritoria ratione principalis agentis. Vñ si aliquis in charitate decedẽs, pcipiat sibi suffragia fieri, vel alius præcipiat charitatem habens: illa suffragia ualent defuncto, quamuis illi, per quos fiũt in peccato existãt: magis tamen ualerent, si essent in charitate; quia tũc ex duabus partibus opera illa meritoria essent.

ART. IIII. Vtrum suffragia, quæ à uiuis pro mortuis fiunt, facientibus prosint.

Cõclusio. Opus suffragij quod pro altero fit, ut est expiatiuum pœnæ per modum cuiusdam recompensationis quæ in satisfactione attenditur, computatur quasi eius, pro quo fit, & ita absoluit eum à debito pœnæ: non autem faciẽtem à debito pœnæ propriæ quia in tali recompensatione consideratur æqualitas iustitiæ. Sed inquantum est meritorium uitæ æternę ut procedit ex radice charitatis: non solum prodest ei, pro quo fit; sed facienti magis.

AR. V. Vtrũ suffragia prosint existentibus in inferno.

Cõclusio. Quia damnati in inferno sunt extra uinculum charitatis, secundùm quam opera uiuorum continuantur defunctis, itemque totaliter ad uiæ terminũ peruenerũt, recipientes ultimam oro meritis retributionem, sicut & Sãcti qui sunt in patria, (neq; enim potest eorum pœna diminui, sicut nec gloria Sanctorum augeri, quantum ad præmium essentiale)

ideo

ideo suffragia non prosunt damnatis, nec pro eis Ecclesia orare intendit.

ART. VI. Vtrum suffragia prosint existentibus in Purgatorio.

Conclusio. Pœna Purgatorij est in supplemẽtum satisfactionis, quæ non fuerat plene in corpore consummata: & ideo quia opera unius possunt ualere alteri ad satisfactionem, siue uiuus, siue mortuus fuerit non est dubium, quin suffragia per uiuos facta, existẽtibus in purgatorio prosint.

ART. VII. Vtrum suffragia ualeant pueris in limbo existentibus.

Conclusio. Cùm per opera uiuorum mortuorum status mutari non possit, maximè quantum ad meritu assentialis præmij uel pœnæ: suffragia uiuorum pueris existentibus in limbo prodesse non possunt.

ART. VIII. Vtrum suffragia prosint Sanctis existenti bus in patria.

Conclusio. Cum Sancti qui sunt in patria, sint ab omni indigentia immunnes, inebriertati ab ubertate domus Dei, eis iuuari per suffragia non competit.

ART. IX. Vtrum orationes Ecclesiæ, sacrificium altaris, & eleemosinæ prosint defunctis.

Conclusio. Conuenienter Augustinus posit tria præcipua subsidia uiuorũ pro mortuis, Eucharistiam, & eleemosynam ratione charitatis, qua mortui uiuentibus uniuntur: & orationem, ratione intentionis directæ in mortuos, quamuis quæcunque alia bona, quæ ex charitate fiunt pro defunctis, eis ualere credenda sint.

ART. X. Vtrum indulgentiæ Ecclesiæ prosint mortuis.

Conclusio. Simpliciter & directè indulgentiæ non prosunt mortuis, cum mortui non possint facere aliquid

quid horum, pro quibus indulgentiæ dantur: secũdario uerò & indirectè sunt illis auxilio, si ea sit forma earum, ut eis prosint. Nec tamẽ sequitur, quòd Prælatus Ecclesiæ possit pro suo arbitrio animas in purgatorio liberare; quia ad hoc ut indulgentiæ ualeant, requiritur causa conueniens indulgentias faciendi.

ART. XI. Vtrũ cultus exequiarum defuncto prosint.

Cõclusio. Sepultura adinuẽta est & propter uiuos, ne eorum oculi ex turpitudine cadauerum offendantur, & corpora fœtoribus inficiantur, & inquantum per hoc astruitur resurrectionis fides. Sed mortuis prosunt ad hoc, quod uiui inspicientes sepulchra, memoriã retinẽt defunctorũ, & ꝓ defunctis orãt. Sed ꝙ ulterius sepultura in loco sacrato, mortuo prodest, sit q̃dẽ ex eo, ꝙuel ipse defunctus uel alius corpus tumulari in loco sacro disponens, patrocinio alicuius Sãcti eũ cõmittit, cuius precibus ꝓ hoc credẽdũ est adiuuari: & etiã patrocinio eorũ, qui loco sancto deseruiũt, qui pro tumulatis apud se frequentius & specialius orãt. sed quæ ad ornatũ sepulturæ adhibẽtur, ꝓsunt uiuis inquantũ sunt uiuorũ solatia, sed nõ prosunt defunctis nisi per accidẽs; inquãtũ per huiusmodi homines excitãtur ad compatiendũ, & per consequens ad orandum, uel etiam quantũ ex sumptibus sepulturę uel pauperes fructum capiũt, uel Ecclesia decoratur.

ART. XII. Vtrum suffragia quæ fiunt pro uno defuncto, magis illi prosint pro quo fiunt, quàm alijs.

Cõclusio. Suffragia ex uirtute charitatis, quæ facit omnia bona communia, magis ualent ei, qui magis charitate est plenus, quamuis pro eo specialiter non fiant: & sic ualor suffragiorum attenditur magis secundum quandam interiorem consolationem, secundum quod unus se charitate existens de bonis alterius delectatur post mortem. Sed ex hoc quod

per intentionem unius alteri applicatur, & ſatisfactio unius alteri computatur: magis ualēt ei pro quo fiūt, imò ſic ei ſoli ualēt: ſatiſfactio enim propriè ad remiſſionem pœnæ ordinatur. Vnde quantum ad dimisſionem pœnæ, præcisè ualet ad ſuffragiū ei pro quo fit.

AR. XIII. An ſuffragia facta pro multis, tantūdē ualeant ſingulis, ac ſi ſpecialiter pro unoquoque fierent.

Concluſio. Ex uirtute charitatis uiuentis, Eccleſiæ ſuffragia pro multis facta tantum ſingulis proſunt, ac ſi pro uno tantum fierent, quia charitas nō minuitur ſi diſtribuat affectus in multos, imò magis augetur: ſicut & gaudium quantò pluribus eſt commune, fit maius, & ſic de uno bono facto non minus lætantur multi in purgatorio, quàm unus. Sed ut ſunt ſatisfactiones quædam per intentionem facientis tranſlatæ in mortuos, tunc magis ualet ſuffragium alicui quod ꝓ eo ſingulariter fit, quàm quod fit pro eo communiter & multis alijs, ſic enim effectus ſuffragij diuiditur ex diuina iuſtitia inter eos, pro quibus ſuffragia fiunt, & ex hoc patet, quare inſtitutum ſit, ut ſuffragia ſpecialia in Eccleſia fiant.

AR. XIIII. Vtrum tantum ualeant ſuffragia communia illis, pro quibus ſpecialia non fiunt, quantum illis pro quibus fiunt ſpecialia & communia ſimul.

Concluſio. Quātum attinet ad ueIociorem abſolutionem pęnæ, plus ualent ſuffragia ſpecialia & cōia ſimul, quàm cōia tantum, quantum uerò ſpectat ad finalem pœnæ liberationem, æquè ualent communia ſolum ſuffragia, atque ſpecialia & communia ſimul.

QVAESTIO LXXII.

De oratione reſpectu Sanctorum, qui ſunt in patria, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum Sancti orationes noſtras cognoſcant.

Con-

c Cōclusio. Diuina essentia est efficiens medium cognoscēdi omnia, ꝙ Deus uidendo suā essentiā, omnia intuetur. non tamen quicūque essentiā Dei uidēt omnia cognoscunt, sed solum qui essentiam cōprehēdunt: unde cū animæ Sanctorum non plenè cōprehēdant, non cognoscunt omnia quæ per essentiam diuinā cognosci possunt: seu ea tantum, quæ perfectio suę beatitudinis requirit: nempe ut habeant quicquid uelint, nec aliquid inordinatè uelint, hoc autem recta uoluntate quilibet uult, ut ea quæ ad ipsum pertinēt cognoscat: unde cùm nulla rectitudo Sanctis desit, uolunt cognoscere ea quæ ad nos pertinent, & ideo oportet quòd illa in Verbo cognoscant: hoc autem ad eorum gloriam pertinet, quod auxilium indigentibus præstent ad salutem: sic enim Dei cooperatores efficiuntur, quo nihil est diuinius. Itaque Sancti habent cognitionem eorū quæ ad hoc requiruntur, & sic in Verbo cognoscunt uota, & deuotiones, & orationes hominum, qui ad eorum auxilinm confugiūt.

ART. II. Vtrum debeamus Sanctos interpellare ad orandum pro nobis.

Conclusio. Iste ordo est diuinitus institutus, ut per media ultima reducantur in Deum: unde cum Sancti in patria, sint Deo propinquissimi, hoc diuinæ legis ordo requirit, ut nos, qui in corpore peregrinamur à Dño in eum per Sanctos medios reducamur, qđ quidem contingit, dū per eos diuina bonitas in nos suū effectū infundit: & quia reditus noster in Deū respondere debet ꝓcessui bonitatē ipsiꝰ ad nos, sicut mediantibus Sāctorum suffragijs Dei beneficia in nos deueniūt; ita oportet nos in Deū reduci, ut iteratò beneficia eius sumamus mediātibus Sāctis: & inde est ꝙ eos intercessores pro nobis ad Deū cōstituimus, & quasi mediatores, dum ab eis petimus, ut pro nobis orent

ART.III. Vtrum orationes Sanctorum ad Deum pro nobis effusæ, semper exaudiantur.

Conclusio. Sancti dicuntur orare pro nobis, & oratione expressa, & interpretatiua, scilicet per eorum merita: quæ in conspectu Dei existentia non solũ eis cedũt ad gloriã, sed sunt nobis enim suffragia & orationes q̃dã, sicut etiã sanguis Christi Vtroq; aũt modo Sanctorũ orationes, quãtũ est in eis, efficaces sunt ad impetrãdũ, sed ex parte nostra potest esse deffectus secundùm quod pro nobis orare dicuntur per merita eorũ, sed secundùm quod uotis suis aliquid nobis postulant semper exaudiuntur: quia non uolunt, nisi quod Deus uult, nisi loquamur de uolũtate antecedẽte, quæ nõ semper impletur. Vnde si Sancti uolunt ꝑ hunc modum uoluntatis, interdum non impletur.

QVAESTIO LXXIII.

De signis quæ Iudicium præcedent, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum aliqua signa præcedent aduentum Domini ad iudicium.

Conclusio. Multa signa præcedent diem iudicij, tũ propter iudicis uenturi auctoritatem & dignitatem, tùm ut nos ad reuerentiã & subiectionem inducant, quæ autem sint ista signa, de facili sciri non potest. Signa uerò quæ Hieronymus ponit, non asserit, sed in Annalibus Hebræorũ se ea scripta reperisse dicit.

AR.II. Vtrũ Sol & Luna obscurabũtur circa iudiciũ.

Conclusio. Quantum ad ipsum momentum aduentus Christi, non est credibile quòd obscurentur sui luminis priuatione, quia totus mundus innouabitur Christo ueniente, & Sanctis resurgentibus. Sed secundùm tempus propinquum ante iudicium, sic esse poterit

terit, ꝙ Sol & Luna, & alia cœli luminaria ſui luminis priuatione obſcurabuntur, uel diuerſis tẽporibus, uel ſimul, diuina uirtute faciente ad hominũ terrorẽ.
AR.III. Vtrum uirtutes cœlorum Domino ueniente commouebuntur.

Concluſio. Siue uirtutes accipiantur pro omnibus cœleſtibus corporibus, ſiue proprio nomine Ordinis Domino ueniente, dicuntur moueri, uel propter admirationem nouitatis, quæ in mũdo erit, uel ratione effectus propter miracula, quæ maximè circa illud tẽpus fient, uel quia ab effectu ſuo ceſſabunt, ulterius corpora cœleſtia non mouentes, ſicut nec Angeli qui ſunt ad cuſtodiam hominum deputati, ulterius cuſtodiæ officio uacabant.

QVAESTIO LXXIIII.

De igne ultimæ conflagrationis, in nouem articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum mundi purgatio ſit futura.

Concluſio. Sicut oportet hominem, cum per corporis aſſumptionem glorificabitur, purgari, ut tollatur id quod gloriæ illi obſtaculo eſt: ita conueniens eſt mundum, qui aliquo modo propter hominem factus eſt, antequam in nouitatem gloriæ adducatur, à contrarijs diſpoſitionibus purgari, tum quia licet res corporalis ſubiectum infectionis culpæ propriè eſſe nõ poſsit; tamen ex culpa quædam incongruitas in rebus corruptis relinquitur ad hoc quòd ſpiritualibus ditẽtur, tum quia circa medium locum propter elementorum contractum multæ ſunt corruptiones, & generationes, & alterationes elementorum, quæ puritati eorum derogant.

ART. II. Vtrum mundi purgatio ſit futura per ignem.

Conclusio.Cum ignis sit omnium elementorũ nobilissimum,& purissimum,illiusque sphæra maximè distet à nostra habitatione,conuenienter per eum fiet mundi purgatio.

AR.III.Vtrum ignis,quo mũdus purgabitur,sit eiusdem speciei cum igne elementari.

Conclusio.Sicut aqua elementari factum fuit Diluuium,sic & ignis, quo mundus purgabitur , eiusdem erit speciei cum hoc nostro igne.Nam ista conflagratio nihil aliud est,quàm congregatio omnium causarum inferiorum & superiorum,quæ ex natura sua habent uirtutem igniendi;non naturali cursu rerum,sed uirtute diuina,ut faciem huius mundi exurat.

ART. IIII. Vtrum ignis ille purgabit etiam cœlos superiores.

Conclusio.In corporibus cœlestibus nihil inuenit repugnans ultimæ perfectioni uniuersi , nisi motus localis tantum,qui non uariat aliquid quod sit intrinsecum rei,sed solum locum , qui est extra rem : & ideo cœlestia corpora nec per ignem,nec per alicuius creaturæ actionem purgabuntur:sed ipsa eorum quietatio sola volũtate diuina accidẽs,eis loco purgationis erit.

AR. V. Vtrum ignis ille alia elementa consumet.

Conclusio.Quatuor elementa in mũdi purgatione quantum ad substantiam & qualitates eorũ proprias manebunt : sed purgabuntur ab infectione , quàm ex peccatis hominum cõtraxerũt,& ab impuritate,quæ per actionem & passionem mutuam in eis accidit: quia iam cessante motu primi mobilis, in inferioribus elementis mutua actio & passio esse non poterit.

ART. VI. Vtrum omnia elementa per illum ignem purgabuntur.

Conclusio. Non omnia elementa per illum ignem purgabuntur,quia ignis ille non ascendet, nisi quantum

tum aſcendit aqua Diluuij, quæ non peruenit uſque ad ſphæram ignis, ergo nec per ultimam purgationẽ elementum ignis purgabitur. At impuritates elemẽtorum, quæ ex eorum permixtione proueniunt, per ignem purgabuntur, ſcilicet ad quindecim uſque cubitos ſuper altitudinem montium. Nam huiuſmodi impuritates præcipuè ſunt circa terram, uſque ad medium aeris interſtitium, unde uſque ad illud ſpatium ignis ultimæ conflagrationis elementa purgabit.

ART. VII. Vtrum ignis ultimæ conflagrationis iudicium debeat ſequi.

Concluſio. Cum conflagratio mundi ſit diſpoſitio ad renouationem: illa conflagratio, quò ad purgationem mundi, iudicium præcedet: ſed quò ad aliquem actũ, qui ſcilicet eſt inuoluere malos, iudiciũ ſequetẽ.

AR. VIII. Vtrum ille ignis habiturus ſit talem effectum in hominibus, qualis deſignatur.

Concluſio. Ignis ille finalis conflagrationis, inquãtum iudicium præcedet, aget ut inſtrumentũ diuinæ iuſtitiæ, & iterum per uirtutem naturalis ignis. Per quam ſimiliter aget in malos & bonos, qui uiui reperientur, utrorumque corpora in cinerem reſoluendo: ſed ut inſtrumẽtũ diuinæ iuſtitiæ, diuerſimodè aget. Mali enim per actionẽ ignis cruciabũtur, Boni uerò, in quibus nihil purgandum inuenietur, omnino nullum dolorem ex igne ſentient, ſed diuina uirtute ſine cruciatu reſolutionẽ corporum patiẽtur. Boni uerò, in quibus aliquid purgandum reperietur, ſentiẽt cruciatum plus uel minus, pro meritorum diuerſitate.

ART. IX. Vtrum ille ignis inuoluet reprobos.

Concluſio. Purgabit Deus aream ſuam, & congregabit triticum, id eſt, electos in horreum ſuũ, paleas autem, id eſt, reprobos cõburet igne in extinguibili, unde in purgatione mundi, quicquid erit turpe & fę

dum, in infernũ cum reprobis remittetur: quicquid uerò pulchrum & nobile conſeruabitur in ſuperiori bus ad gloriam electorum, & ita etiam in illo igne cõ flagrationis, quicquid calidum uſtiuum, & groſſum reperietur, deſcendet ad inferos ad augendam pœnã damnatorum: quicquid uerò eſt ſubtile & lucidum re manebit ſuperius ad augendam gloriam Beatorum.

QVAESTIO LXXV.

De Reſurrectione, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum corporum reſurrectio ſit futura.

Concluſio. Cum homo non poſsit eſſe beatus, niſi anima corpori uerè uniatur, tãquam forma materiæ: fatendum eſt reſurrectionem eſſe, in qua anima ſuo cor pori in perpetuum unietur.

AR. II. Vtrum reſurrectio erit omnium generaliter.

Concluſio. Ea, quorum ratio ſumitur ex natura ſpe ciei, oportet ſimiliter inueniri in omnibus, quæ ſunt eiſdem ſpeciei: talis autem eſt reſurrectio. Hæc enim eſt eius ratio, quòd anima in perfectione ultima ſpeciei humanæ eſſe non poteſt á corpore ſeparata: unde nulla anima in perpetuum manebit à corpore ſepara ta, & ideo neceſſe ẽ ſicut unũ, ita & omnes reſurgere.

ART. III. Vtrum reſurrectio ſit naturalis.

Concluſio. Etſi ponatur eſſe aliqua potentia paſsiua ex parte corporis, ſeu etiã inclinatio quæcũq; ad animæ cõiũctionẽ: nõ eſt talis, ꝙ ſufficiat ad rationem motus naturalis. unde reſurrectio, ſimpliciter loquen do, eſt miraculoſa, non naturalis, niſi ſecundum quid.

QVAESTIO LXXVI.

De cauſa reſurrectionis, in tres articulos diuiſa

ARTICVLVS I.

Vtrũ Chriſti reſurrectio ſit cã noſtræ reſurrectionis.

Con-

Cóclusio. Sicut Christus est mediator Dei & hominum, ita decuit ut morte sua nostram aboleret, & sua resurrectione nos æterna resurrectione donare. Nam illud idem, quod fecit resurrectionem Christi, quę est causa efficiēs uniuoca nostræ resurrectionis ad nostrā resurrectionem agit, scilicet uirtus diuinitatis ipsius Christi, quæ sibi & Patri communis est, sed ipsa resurrectio Christi uirtute diuinitatis adiunctæ, est causa quasi instrumentalis resurrectionis nostræ. Operationes enim diuinæ agebantur mediante carne Christi quasi quodam organo.

AR. II. Vtrū uxor tubæ sit causa nostræ resurrectiōis.

Conclusio. Cùm Christus resurgens sit causa uniuoca nostræ resurrectionis, sic ut nostràm resurrectionē operetur; tuba hoc est, sua uoce imperante, dormientes excitabit. Quidam uerò dicunt, quod tubā sonare nihil aliud est, quàm ut mundo iudicē filiū demōstrare. Et sm hoc ipsa apparitio filij Dei uox eius dicitur quia ei apparenti obediet tota natura ad corporū humanorū reparationē sicut imperanti, & sic eius apparitio, inquātum habet uim cuiusdā imperij uox eius dicitur, & hæc uox quæcūque sit, quandoque dicitur clamor, quandoque autem sonus tubæ.

AR. III. Vtrum ad resurrectionem Angeli operentur.

Conclusio. In omnibus quæ corporaliter à Deo fiūt utitur Deus ministerio Angelorum : unde quantum ad hoc in resurrectione utetur Deus ministerio Angelorum: sed anima sicut immediate à Deo creata est, ita immediate à Deo corpori iterato unietur sine aliqua operatione Angelorum. Similiter etiam gloriam corporis ipse faciet non ministerio Angelorum sicut & animam immediate glorificat, & illud Angelorum ministerium dicitur uox secundum unam expositionem.

QVAESTIO LXXVII.

De tempore & modo resurrectionis, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum tempus nostræ resurrectionis differri debeat usque ad finē mundi.

Conclusio. Cum tota materia humanorum corporum subiiciatur motui cœlestium corporum, conuenienter humanorum corporum resurrectio usque ad finem mundi differetur, in quo motus cœli quiescet.

AR. II. Vtrū tempus resurrectionis nostrę sit occultū.

Conc. Simul erit resurrectio & finis motus cœli: ex motu autē cœli non potest cognosci finis ei⁹, quia cum sit circularis, ex hoc ipso habet, quod secundum naturam suā posiit in perpetuū durare. Vnde naturali ratione tempus quod erit usque ad resurrectionē, numerari nō potest: Similiter per reuelationē haberi nō pōt, ideo ut omnes sint soliciti & parati ad Christo occurrendū: unde omnes qui tempus prædictum numerare uoluerunt, hactenus falsò loqui sunt inuenti.

AR. III. Vtrū resurrectio futura sit in noctis tēpore.

Conclusio. Etsi tempus futuræ resurrectionis determinate præcognosci, numerariuè non possit: tamen probabiliter uidetur resurrectionem futuram increpusculo, ut ad idē punctū redeant sol & luna, in quo creari cœperunt, ut sic eorū circulatio cōpleatur penitus: unde de Christo dicit, quod tali hora resurrexit.

AR. IIII. Vtrum resurrectio futura sit subito, uel successiue.

Conc. Respectu eorū, quæ agentur in resurrectiōe diuina uirtute immediate resurrectio fiet subito: ratione uerò eorum, quæ fient ministerio Angelorum, fiet successiue, sed tamen tempore imperceptibili.

Quæ-

QVAESTIO LXXVIII.

De termino resurrectionis, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrũ mors erit termin⁹ à quo resurrectiõis in oĩbus.

Cõclusio. Quia omnes homines Dei sentẽtia morti ad iudicati sunt, propter peccatum & Scriptura testatur omnium resurrectionem fore (quæ fieri nõ potest nisi prius omnes moriantur) & ordini naturæ cõuenit, ut nihil in nouitatem reducatur, nisi per corruptionem, necessarium est fateri, omnes morituros & à morte resurrecturos esse.

ART. II. Vtrum resurrectio omnium erit à cineribus

Conclusio. Et auctoritate Scripturæ, & ordine naturæ necessario asseritur, resurrectionem omniũ fore à cineribus (nisi aliqbus ex speciali priuilegio gratię sit indultum contrarium, sicut & resurrectionis acceleratio) Nam sicut in pœnam hominis mors à diuina iustitia est inflicta, ita & corporis resolutio.

ART. III. Vtrum pulueres illi, ex quibus humanum corpus reparabitur, aliquam habeant inclinationem naturalem ad animam quæ eis coniungetur

Conclusio. Ex diuina prouidentia constitutum est, illos cineres de integro animæ coniungi in mortuorum resurrectione: & ita in illis cineribus nulla est inclinatio naturalis ad resurrectionem.

QVAESTIO LXXIX.

De conditionibus resurgentium, & primo de eorum identitate, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum in resurrectione anima idem corpus numero resumat.

Con-

Cõclusio. Cum resurrectio dici non posit, nisi anima ad idem corpus redeat, in resurrectione anima idem corpus numero resumet.

ART. II. Vtrum sit idem numero homo qui resurget.

Conclusio. Hæreticum est dicere eundem hominẽ non resurrecturum, qui mortuus est: alioquin enim homo uanè factus esset, si ad finem propter quem factus est, idem uenire non posset. Vnde oportet quod idem homo numero resurgat, & ut eadem anima numero eidem corpori numero coniungatur: alias enim non esset resurrectio propriè, nisi eidem homo repararetur.

ART. III. Vtrum pulueres humani corporis ad eam partem corporis, quæ cum eis dissoluta est, per resurrectionem redire oporteat.

Conclusio. Secundum congruentiam, magis probabile est, quod etiam situs partium idem seruabitur in resurrectione, præcipuè quantum ad partes essentiales & organicas, quamuis forte non quantum ad accidentales, sicut sunt ungues & capilli.

QVAESTIO LXXX.

De integritate corporum resurgentium, in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum omnia membra humani corporis resurgant.

Conc. Cùm oporteat in resurrectione corpus omni ex parte respondere animę, oportet etiã ut omnia mẽbra humani corporis, in resurrectione resurgãt. Corpus enim totum, & singula eius membra originaliter & quodammodo implicitè in anima continentur.

ART. II. Vtrum capilli & ungues resurgent in humano corpore.

Conclusio. Quamuis capilli & ungues non sint de

prima,

prima,ſed de ſecunda perfectione corporis humani. tamen cum homo reſurrecturus ſit in omni pefectio ne naturæ,capilli & ungues reſurgent in ipſo.

ART.III.Vtrum humores in corpore reſurgent.

Concluſio.Quoddam genus humiditatis eſt quod iam peruenit ad ultimam perfectionem quam natura intendit,in corpore indiuidui,quæ iã eſt incorporata membris & hæc uocatur glutẽ: & cum hæc ſit de ſub ſtantia membrorum,etiam reſurget ſicut & membra.

ART.IIII.Vtrum totum quod fuit in corpore de ueritate humanæ naturæ, reſurget in ipſo.

Concluſio.Cum id quod ſe habet ad ueritatem ali cuius rei ad illius eſſe ſe habeat;conueniens eſt ut om ne id quod eſt de ueritate humanæ naturæ, reſurgat cum ipſo.

ART.V.Vtrũ quicquid fuit materialiter in membris hominis,totum reſurget.

Concluſio.Solum id,quod eſt in homine materia liter pertinens ad ueritatẽ humanæ naturæ, reſurget cum ipſo,quia ſolum hoc habet ordinem ad animam rationalem.

QVAESTIO LXXXI.

De qualitate reſurgentium,in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum omnes reſurgent in eadem ætate.

Concluſio.Cum humana natura deficiat in pueris (quia nondum perfectionẽ ultimam ſunt cõſequuti) & in ſenibus(quia ab ultima perfectione recedunt) & hominem abſq; omni defectu humanæ naturæ reſur gere oporteat,conueniens eſt, ut homines reſurgant in iuuenili ætate, quæ inter incrementum & decrementum conſtituitur.

ART. II. Vtrum omnes resurgent eiusdem staturæ.

Conclusio. Quantitas naturalis consequitur naturam uniuscuiusq; indiuidui; sed in resurrectione nõ uariabitur natura indiuidui: ergo nec quãtitas naturalis eius. Itaque cum non sit eadem quantitas naturalis omnium: nõ omnes resurgent in eadem statura, sed erunt homines eius staturæ, cuius aut erant, aut futuri erant in iuuentute, qui est terminus augmẽti si nullus naturæ error fuisset: qui si fuerit, diuina potentia corrigetur.

ART. III. Vtrum omnes resurgent in sexu uirili.

Conclusio. Considerata natura indiuidui, debetur diuersus sexus diuersis hominibus: & hæc diuersitas cõuenit perfectioni speciei. Quemadmodum igitur homines resurrecturi sunt diuersæ staturæ, ita diuersorum sexuum: aberit tamen libido omnis ad turpes actus incitans.

ART. IIII. Vtrum omnes resurgent in uita animali.

Conclusio. Cum in resurrectione, prima perfectio hominis nõ spectetur, quæ acquiritur uita animali, sed secunda, quæ uersatur circa cõsequutionem ultimi finis, id est æternæ beatitudinis, consequens est, ut resurrectio non fiat in uita animali, sed quod omnes actiones animalis uitæ in homine, & actiones mutuę in elemẽtis, & motus cœli cessent. Et quia comedere, bibere, & dormire, & generare ad animalem uitam pertinent, ideo in resurrectione talia non erunt.

QVAESTIO LXXXII.

De conditionibus beatorum resurgentium, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum corpora Sanctorum post resurrectionem, sint impassibilia.

Con-

Cõclusio. Corpus humanum & quicquid in eo est erit perfectè subiectum animæ rationali, sicut anima perfectè erit subiecta Deo: & ideo in corpore glorioso non poterit esse aliqua mutatio contra dispositionem illam, qua perficitur ab anima: & ita corpora illa erunt impassibilia.

ART. II. Vtrũ impassibilitas in omnibus erit æqualis.

Conclusio. Impassibilitas quantum ad se in omnibus erit æqualis: quantum uero ad causam suam, erit in uno maior quàm in altero. Causa autem eius est dominium animæ super corpus, quod causatur ex hoc quod fruitur Deo immobiliter: unde in illo qui perfectius fruitur, est maior impassibilitatis causa.

ART. III. Vtrum impassibilitas sensum in actu à corporibus gloriosis excludat.

Conclusio. Impassibilitas non excludit sensum in actu à corporibus gloriosis, sed erit per susceptionem à rebus quæ sunt extra animam, non immutatione naturali, sicut cum manus fit calida ex tactu rei calidæ: sed immutatione spirituali, sicut pupilla recipit speciem albedinis, & tamen ipsa non efficitur ea, quę receptio per se facit sensum in actu, & non immutat naturam recipientis.

ART. IIII. Vtrum in Beatis post resurrectionem sint omnes sensus in actu.

Cõclusio. Sẽsus odoratus & auditus erũt post resurrectionem in actu, nõ aũt gustus, nisi forte per quandam immutationẽ linguæ à quodã humore adiũcto.

QVAESTIO LXXXIII.

De subtilitate corporum beatorum, in sex articulos diuisa.

ARTICVLUS I.

VTrum subtilitas sit proprietas corporis gloriosi.

Con-

Conclusio. Cum ratione animæ glorificatæ corpus gloriosum dicatur spirituale, merito subtilitas est proprietas corporis gloriosi per effectum spiritualis potentiæ.

ART. II. Vtrum ratione huius subtilitatis competat corpori glorioso eẽ in eodẽ loco cũ alio nõ glorioso.

Conclusio. Non potest corpus gloriosum ratione suæ subtilitatis esse cum alio corpore in eodem loco, nisi auferatur id per quod prohibetur nũc esse simul cum alio corpore in eodem loco: nempe ex operatione uirtutis diuinæ ad perfectionem gloriæ.

ART. III. Vtrum per miraculum fieri possit, quòd duo corpora sint in eodem loco.

Conclusio. Necesse est duo corpora in duobus locis esse, quia diuersitas materiæ requirit distinctionẽ in situ: & ideo quando couueniunt duo corpora in unũ destruitur esse distinctũ utriusque, & acquiritur utrique simul esse unum indistinctũ. Hoc autẽ esse distinctũ dependet à principijs essentialibus rei, sicut è causis proximis, sed à Deo sicut à causa prima: & quia causa prima potest conseruare rẽ in esse cessantibus causis secundis, ideo diuina uirtute (& ea sola) fieri potest ut accidens sit sine subiecto, & similiter quòd corpori remaneat esse distinctum ab alio corpore, quamuis eius materia nõ sit distincta in situ ab alterius corporis materia, & sic miraculosè fieri potest, quod duo corpora sint simul in eodem loco.

ART. IIII. Vtrum unum corpus gloriosum posit esse cum alio glorioso in eodem loco.

Conclusio. Corpus gloriosum ratione suæ proprietatis nõ habet, quod possit esse cum alio corpore glorioso in eodem loco, sicut nec cum corpore non glorioso, diuina autẽ uirtute fieri posset, ut duo corpora gloriosa essent simul, uel duo non gloriosa, sicut glo

riosum & non gloriosum. Sed tamen non est conueniens, quòd corpus gloriosum sit simul cum alio corpore glorioso: tum quia in eis seruabitur debitus ordo, qui distinctionem requirit, tum quia unum corpus gloriosum non seponit alterum, & sic nunquam duo corpora gloriosa erunt simul.

ART. V. Vtrum ex sua subtilitate remoueatur à corpore glorioso necessitas existendi in æquali loco.

Conclusio. Necessitas existendi in æquali loco, tolli non potest à corpore glorioso ex sua subtilitate: quia repugnaret rectæ dispositioni corporis humani, quæ requirit determinatum situm & distantiam partium. Vnde nec per miraculum hoc unquam fiet. Et ideò corpus semper erit in loco sibi æquali.

ART. VI. Vtrum corpus gloriosum ratione suæ subtilitatis sit impalpabile.

Conclusio. Omne corpus palpabile est tangibile, sed nõ cõuertitur. Nã omne palpabile ulterius addit quod resistit tãgẽti: unde aër, qui nunquam resistit transeunti per eum, tangibilis quidẽ est, sed nõ palpabilis. Sic ergo palpabile dicitur corpus ex duobus, scilicet ex qualitatibus tãgibilibus, & ex hoc quod resistit tãgẽti, ut nõ pertrãseat: & quia qualitates tãgibiles nõ inueniũtur nisi in corporibus grauibus, & leuibus, quæ habẽt cõtrarietatẽ adinuicẽ, ac per hoc sunt corruptibilia: ideo corpora cœlestia quæ sunt secundum naturã incorruptibilia, sunt sensibilia quidem uisu, sed non tangibilia, & sic etiã nec palpabilia. At corpus gloriosum habet à natura sua qualitates quæ sunt natæ immutare tactum: sed quia est omnino subiectũ spiritui, in potestate eius est, ut secundũ eas immutet tactum, uel non immutet. Vnde secundũ naturam suam palpabile est corpus gloriosum, sed ex uirtute supernaturali hoc ei competit, ut cum uult non palpetur à corpore non glorioso.

QVAESTIO LXXXIIII.

De agilitate corporum beatorum, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum corpora glorioſa ſint futura agilia.

Concluſio. Cũ corpus glorioſum ſit omnino ſubiectum animæ glorificatæ: corpus glorioſum erit agile ſicut anima, ut ei ſit habile ad obediendum.

ART. II. Vtrum Sancti agilitate ſua nunquam utantur, ita quod moueantur.

Concluſio. Sicut corpus Chriſti glorificatum in Aſcenſione motum eſt, ita & corpora glorioſa mouẽtur agilitate ſua, ut eis libitum fuerit.

ART. III. Vtrum Sancti mouentur in inſtanti.

Concluſio. Corpora glorioſa mouentur in tempore, ſed imperceptibili propter breuitatem.

QVAESTIO LXXXV.

De claritate corporum beatorum, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum corporibus glorioſis claritas conueniat.

Cõcluſio. Ex ſcripturæ auctoritate ueriſsimum habetur corpora Sanctorum poſt reſurrectionem lucida fore. Atque claritas illa cauſabitur ex redundantia gloriæ animæ in corpus. Et quia claritas quæ eſt in anima ſpirituali, recipitur in corpore, ut corporalis, ideo ſecundùm quod anima erit maioris claritatis, ſecundum maius meritum, ita etiam erit differentia claritatis in corpore, & ita in corpore glorioſo cognoſcetur gloria animæ.

ART. II. Vtrum claritas corporis glorioſi poſsit uideri à non glorioſo oculo.

Con-

Cõclusio. Cum lux ex essentia sua nata sit mouer I uisum, & uisus secundum substantiam suam natus si precipere lucem: meritò asserendum est claritatem corporis gloriosi naturaliter ob oculo non glorioso uideri posse.

ART. II. Vtrum corpus gloriosum necessariò uidea tur à corpore non glorioso.

Conclusio. Cum corpus nostrum glorificatum sit conforme corpori Christi post resurrectionem, & cũ corpus gloriosum futurum sit maximè obediens animæ: ideo in potestate corporis glorificati erit, ut uideatur, uel non.

QAESTIO LXXXVI.

De conditionibus corporum damnatorum resurgentium, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum corpora damnatorum cum suis deformitatibus resurgent.

Cõc. Cũ Deus in resurrectione naturã humanã integre reparatur⁹ sit, quicq̃d defect⁹ uel turpitudinis ex corruptione uel debilitate naturę siue principiorũ naturaliũ in corpore fuit, totũ in resurrectione remouebit. Defectis aũt, q̃ ex naturalib⁹ principijs ĩ humano corpore naturaliter cõsequunt̃, sicut põderositas, passibilitas, &c. ĩ corporibus dãnatorũ erũt: quos defect⁹ ab electorũ corporib⁹ gloriã resurrectionis excludet.

AR. II. Vtrũ corpora damnatorũ erũt ĩcorruptibilia.

Conclusio. Corruptio mutatio quædam est: unde dupliciter fit, ut corpus quod ex conditione suorum principiorum corruptionẽ habet, incorruptibile redd datur. Vno modo ex hoc quòd principium ad corruptionẽ mouẽs, totaliter tollitur. Cum enim primum cœlum sit alterans per motum suum localem, & ali

QVAESTIO LXXXVII.

De cognitione quam habebunt resuscitati in iudicio respectu meritorum & demeritorum, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum post resurrectionem quilibet cognoscat peccata quæ fecit.

Cõclusio. Cùm in die iudicij conscientia unicuique testimoniũ redditura sit, & cogitationes unũquẽque accusaturæ, aut defensuræ, & omnia opera hominum in iudicium sint uentura; oportet, ut quisque omnium operum suorum notitiam habeat.

ART. II. Vtrum quilibet possit legere omnia quæ sunt in conscientia alterius

Conclusio. Cùm oporteat in ultimo iudicio iustitiam diuinam omnibus apparere: necesse est etiam, ut cuilibet sua & aliorum præmiatio, uel condemnatio manifesta sit, & per consequens omnium merita uel demerita, cùm ea proferri oporteat in iudicio.

ART. III. Vtrum omnia merita uel demerita, propria uel aliena, uno intuitu ab aliquo uideantur.

Conclusio. Etsi in instanti aliquis uisurus non sit singula, tamen breuissimo tempore auxilio diuinæ uirtutis omnia particularia considerabit.

QVAESTIO LXXXVIII.

De iudicio generali, tempore & loco in quo fiet, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

VTrum generale iudicium sit futurum.

Conclusio. Quemadmodum in prima rerum productione immediatè omnia processerunt à Deo; ita uniuersale iudiciũ futurum est, respõdens primæ illi

rerum productioni, quo dabitur ultima completio mundo, unoquoque accipiente finaliter quod ei debetur secundùm seipsum. Vnde etiam & tunc erit uniuersalis separatio bonorum à malis, quia ulterius nõ erit locus, ut mali pro bonis, uel boni pro malis proficiant.

AR. II. Vtrum iudicium fiet per locutionẽ uocalem.

Conclusio. Cùm propè infinitum tempus requireretur in iudicio uniuersali, si per loquutionem fieret uocalem; probabilius est non per loquutionem uocalem, sed mentaliter ultimum futurum iudicium.

ART. III. Vtrum tempus futuri iudicij sit ignotum.

Conclusio. Deus per essentiam suam est causa rerũ: utrum autem creaturis communicat, dum & rebus tribuit uirtutẽ agendi alias res, quarum sunt causæ, & quibusdam etiam cognitionem rerum præbet, sed in utroq; aliquid sibi reseruat. Operatur enim quædam, in quibus nulla creatura ei cooperatur: & similiter cognoscit quædam, quæ à nulla pura creatura cognoscuntur. Hęc autem nulla alia magis esse debent, quã illa quæ soli diuinæ subiacẽt potestati, in quibus nulla creatura ei cooperatur, & huiusmodi est finis mundi, in quo erit dies iudicii. Non.n. per aliquam cãm creatam mundus finietur, sicut etiam mundus esse incepit immediatè a Deo. Vnde decenter cognitio finis mundi soli Deo reseruatur.

ART. IIII. Vtrum iudicium fiet in ualle Iosaphat.

Conclusio. Qualiter illud iudicium sit futurum, & quomodo homines ad iudicium conueniant, non potest multum per certitudinem sciri: tamen probabiliter potest colligi ex Scripturis, quòd circa locum montis Olıueti descendet, sicut & inde ascendit: ut idem esse ostendatur, qui descendit & ascendit.

QVAESTIO LXXXIX.

De iudicantibus & iudicatis in iudicio generali, in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum aliqui homines iudicabunt cum Christo.

Conclusio. Iudicabunt perfecti uiri cũ Christo, in quantum in eis continẽtur decreta diuinæ iustitiæ, in quibus homines iudicabũtur: non quidem ex propria auctoritate (nã sic iudicare est solius Dei) sed Christi sententiam in aliorum notitiam ducendo.

ART. II. Vtrum iudiciaria potestas correspondeat uoluntariæ paupertati.

Cõclusio. Non cuilibet pauperi datur iudiciaria potestas, sed ei qui omnibus relictis, Christum sequutus fuerit, iuxta perfectionem uitę & hoc specialiter propter tria. 1. ratione congruitatis, quia in quibus uoluntaria paupertas est, non est eis aliquid quod eorum iudicium à iustitia deflectat. 2. per modũ meriti, quia humilitati respõdet exaltatio pro merito. 3. quia paupertas disponit ad modũ iudicãdi. Ex hoc .n. aliquis Sãctorum iudicare dicetur, quia cor habebit edoctum omni diuina ueritate, quã alijs potẽs erit manifestare.

ART. III. Vtrum angeli debeant iudicare.

Conclusio. Iudiciũ Filio attribuitur, quia secundũ humanam naturam omnibus apparebit tam bonis, quam malis, quamuis tota Trinitas iudicet per auctoritatem: & ideo etiam oportet ut assessores iudicis humanam naturam habeant in qua possint ab omnibus bonis & malis uideri. & sic Angelis non competit iudicare, quãuis Angeli etiã aliquo modo possunt dici iudicare per sententiæ approbationem.

ART. IIII. Vtrum dæmones exequẽtur sententiam iudicis in damnatos.

Concluſio.Quemadmodum beati beatos mutuo il luminant,ut Angeli per quos diuinæ illuminationes deferuntur: ita probabile eſt, quod dæmones ſint executores diuinę iuſtitię in malos,nec ob hoc minui tur aliquid de dæmonum pœna; quia in hoc etiam ꝙ alios torquent,ipſi torquebuntur. Ibi enim miſerorum ſocietas miſeriam non minuet,ſed augebit.

ART.V.Vtrũ omnes hoĩes in iudicio comparebunt.

Concluſio.Poteſtas iudiciaria Chriſto homini collata eſt in præmium humilitatis,quam in paſſione exhibuit: ipſe autem ſua paſſione ſanguinem pro omnibus fudit,quantum ad ſufficientiam, licet non in omnibus effectum habuit propter impedimentum in aliquibus inuentum:& ideo congruum eſt,ut omnes homines in iudicio congregentur ad uidendum eius exaltationem in humana natura,ſecundum quam conſtitutus eſt iudex à Deo uiuorum & mortuorum.

ART.VI.Vtrum boni in iudicio iudicentur.

Concluſio. Beati omnes quantum ad præmiorum retributionem iudicabuntur, quantum uerò ad meritorum diſcuſſionem, ij qui notabilem alicuius mali meriti habẽt,non iudicabũtur: at illi qui negotijs terrenis ſunt impliciti,ita tamen ut ſua peccata per eleemoſinas expiarint,iudicabũtur,& tamen ſaluabũtur.

ART.VII.Vtrum mali iudicabuntur.

Concluſio.Iudicium quod eſt pœnarum retributio pro peccatis omnibus cõpetit:iudicium autem quod eſt diſcuſſio meritorum, ſolum fidelibus, in quibus manet fidei fundamentũ:unde ipſi fideles, qui fuerint ſaltem numero ciues ciuitatis Dei iudicabuntur ut ciues;in quos ſine diſcuſſione meritorũ ſentẽtia mortis non feretur:ſed infideles condemnabuntur,ut hoſtes.

ART.VIII.Vtrum Angeli in futuro iudicentur.

Cõcluſio.Cũ in bonis Angelis nihil mali inueniri

posſit neq; in malis angelis aliquid boni, nullo modo iudicium diſcusſionis eis competit, quia quantum ad propria merita iá iudicati ſunt: iudicio tñ retributiones iudicabunt, quantũ ad merita, ad quæ alios incitarunt. Vnde directè loquẽdo, iudiciũ nec ex parte iudicantiũ, neq; iudicandorũ erit Angelorũ, ſed hominum: ſed indirectè quodammodo reſpicit Angelos, inquantum actibus hominum fuerunt commixti.

QVAESTIO XC.

De forma iudicis uenientis ad iudicium, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrũ Chriſtus in forma humanitatis ſit iudicaturus.

Concluſio. Cum finale iudicium ad hoc ordinetur ut aliqui admittantur ad regnum, & aliqui excludantur à regno: conueniens eſt, ut ipſe Chriſtus ſecundum humanam naturam, cuius redemptionis beneficio ad regnum admittimur, illi iudicio præſideat.

ART. II. Vtrum Chriſtus in iudicio apparebit in forma humanitatis glorioſa.

Concluſio. Quia Chriſtus in primo aduẽtu ad hoc uenit ut pro nobis ſatisfaceret apud Patrem in forma noſtræ infirmitatis apparuit. quia uerò in ſecundo aduentu ad hoc ueniet, ut iuſtitiam patris in homines exequatur, demonſtrare gloriam debebit, quæ ineſt ei ex communicatione ad Patrẽ: & ideo in forma glorioſa apparebit.

AR. III. Vtrũ diuinitas à malis ſine gaudio uideri poſſit.

Concluſio. Cum Deus ſit eſſentialiter ipſa bonitas, non poteſt ſine gaudio uideri. Impij tamen manifeſte cognoſcent Chriſtum eſſe Deum, non per hoc quod diuinitatem eius uideant, ſed propter manifeſtisſima diuinitatis inditia,

QVAESTIO LXXX.

De qualitate mundi & reſurgentium poſt iudicium, in quinque arciculos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum mundus innouabitur.

Concluſio. Quia ad uiſionē Dei eſſentialem oculus carnis attingere non poterit: ideo ut eius etiam ſolaium ſibi cogruens de uiſione diuinitatis præbeatur, tinſpiciet diuinitatem in ſuis effectibus corporalibus, in quibus manifeſta indicia diuinę maieſtatis apparebūt, & præcipuè in carne Chriſti, & poſt in corporib. beatorum, & deinceps in omnibus aliis corporibus; & ideo oportebit, ut etiam alia corpora maiorem influentiam a diuina bonitate ſuſcipiant, non tamen ſpeciem uariantem, ſed addentem cuiuſdam gloriæ perfectionem, & hæc erit mundi innouatio; unde ſimul mundus innouabitur, & homo glorificabitur.

ART. II. Vtrū motus corporum cœleſtium ceſſabit.

Concluſio. Motus ceſſabit in mundi innouatione, non quidē ex aliqua naturali cā, ſed diuina uoluntate faciente. Nunc. n. per motum cœli multiplicatur genus humanum, & generantur plantæ & aīalia, quæ uſui hominū ſunt neceſſaria, & ēt temperies in aere efficitur conſeruans ſanitatē; ſed in hoīe glorificato hæc non erunt neceſſaria, & iō motus cœli ceſſabit.

ART. III. Vtrum in corporibus cœleſtibus claritas augebitur in illa innouatione.

Concluſio. Corpora cœleſtia maiorē claritatē accipiēt in illa innouatione, ut quaſi ſenſibiliter Deus ab hoīe uideatur, quantitas aūt & modus meliorationis illi ſoli cognita eſt, qui erit meliorationis auctor.

ART. IIII. Vtrum elementa innouabuntur per receptionem alicuius claritatis.

Con-

Cōcl. Cū creatura corporalis sit facta ,ppter spirituale, & per eā regat:oportet similiter disponi corporalia,sicut & spiritualia disponunt. Vnde cū corpora inferiora cū cœlestibus nō cōmunicēt, nisi in natura lucis & diphahi: oportet corpora inferiora maximè perfici ẜm claritatē. Vnde oīa elemēta claritate quadam uestientur; nō tamē æqualiter,sed secundū suum modum. Dicitur enim quòd terra erit in superficie peruia,sicut uitrum,aqua sicut crystallus, aër ut cœlum,ignis ut luminaria cœli.

ART. V. Vtrum plantæ & animalia remaneant in illa innouatione.

Cōclusio. Animalia & plātæ,& mineralia,& omnia corpora mixta corrumpuntur & secundum totum, & secundum partem,& sic nullo modo habent ordinem ad incorruptionem,unde in illa innouatione nō manebunt.

QVAESTIO XCII.

De visione diuinæ essentiæ per comparationem ad beatos, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum intellectus humanus possit peruenire ad uidendum Deum per essentiam.

Conclusio. Quia finis ultimus uitæ humanæ est uidere Deum, quod est illius summa fœlicitas, Beati in regno cœlesti uidebunt Deum facie ad faciem. Nam cum diuina essentia sit actus purus, poterit esse forma,qua intellectus intelligit, & hæc erit uisio beatificans;& ideo unio animæ ad corpus est quoddam exēplum beatæ unionis,qua ipse homo unitur Deo.

ART. II. Vtrum Sancti post resurrectionem Deum oculis corporalibus uidebunt.

Cōclusio.Deus nullo modo potest uideri uisu cor-

poral i,

porali aut aliquo alio ſentiri ſenſu ſicut per ſe uiſibile nec hic nec in patria. Cũ ergo uiſus & ſenſus ſit futurus idem ſpecie in corpore glorioſo, non poterit diuinam eſſentiam uidere ſicut uiſibile per ſe. Videbit autem eam ſicut uiſibile per accidens dum ex parte una uiſus corporalis tantam gloriam Dei inſpiciet in corporibus & præcipuè glorioſis, & maximè in corpore Chriſti & ex parte alia, intellectus tam clarè eum uidebit, quòd in rebus corporalibus uiſis Deus percipietur, ſicut in locutione percipitur uita: quãuis enim intellectus noſter non uideat eum ex creaturis, tamen uidebit Deum in creaturis corporaliter uiſis.

AR.III. Vtrũ S. Deum uidẽtes oĩa uideãt q̃ Deꝰ uidet.

Conc. Alij à Chriſto quãuis uideant Deũ per eſſentiã, uon tñ oĩa uident quæ Deus uidet eo ꝙ totã eſſentiã diuinã non cõprehendũt: & ideo unuſquiſq; tãto plura in eius eſſentia conſpicit, quantò clarius diuinã eſſentiã intuetur: & inde eſt ꝙ unus aliũ inſtruat, & ſic ſcientia Angelorum & animarũ Sanctarũ poteſt augeri uſque ad diẽ iudicij, ſicut & alia quæ ad præmium accidentale pertinent: ſed ulterius non proficiet: quia tunc erit ultimns ſtatus rerũ, & in illo ſtatu posſibile eſt , quod omnes omnia cognoſcant, quæ Deus ſcientia uiſionis nouit.

QVAESTIO XCIII.

De Sanctorum beatitudine & eorum manſionibus, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

AN beatitudo Sanctorum ſit maior futura poſt iudicium quàm ante.

Concluſio. Beatitudinem Sanctorum poſt reſurrectionem augeri quidem extenſiue, manifeſtum eſt, quia beatitudo tunc erit non ſolum in anima , ſed

etiam

etiam in corpore. Et etiam ipsius animæ beatitudo augebitur extẽsiue, inquantum anima non solum gaudebit de bono proprio, sed etiam de bono corporis: tum etiam quia anima separata naturaliter appetit corporis coniunctionem.

ART. II. Vtrum beatitudinis gradus mansiones dici debeant.

Conclusio. Cum nomen Motus deriuetur usque in actum appetitus & uoluntatis, ipsa assecutio finis appetitiui motus dicitur mansio aut collocatio in fine: & ideo diuersi modi consequendi finem ultimum diuersæ mãsiones dicuntur, ut sic unitas domus respondeat uniuersitati beatitudinis, quæ est ex parte obiecti, & pluralitas mansionum respondeat differentiæ, quę in beatitudine inuenitur ex parte Beatorum.

AR. III. Vtrum diuersæ mansiones distinguantur penes diuersos gradus charitatis.

Conclusio. Siue iuxta charitatem patriæ, siue iuxta charitatem uiæ, quæ duo sunt principia distinctiua mansionum uel graduum beatitudinis in regno cœlesti diuersæ mansiones distinguntur penes diuersos gradus charitatis.

QVAESTIO XCIIII.

De modo quo Sancti se habebunt erga damnatos, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Beati qui erunt in patria, uidebunt pœnas dãnatorum.

Cõclusio. Cum contraria iuxta se posita magis elucescant. Beati in regno cœlesti uidebunt pęnas damnatorum, ut beatitudo illis magis complaceat, & de pa uberiores gratias Deo agant.

AR. II. Vtrũ Beati cõpatiantur miserijs damnatorũ.

Con-

Concluſio. Cum damnati non posſint transferri à ſua malitia, ad eorum miſerias non debet eſſe compasſio ſecundum electionem rectam: & ideo Beati qui erunt in gloria, nullam compasſionem ad damnatos habebunt.

ART. III. Vtrum Beati lætentur de pęnis impiorum.

Concluſio. Sancti in regno cœleſti non gaudebunt per ſe de pœnis damnatorum, ſed per accidens, contemplando in eis diuinæ iuſtitiæ rectitudinē, & ſuam liberationem; de qua gaudebunt. Et ſic diuina iuſtitia & ſua liberatio erit per ſe cauſa gaudij Beatorum, ſed pœnæ damnatorum per accidens.

QVAESTIO XCV.

De dotibus Beatorum, in quinque articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum ponendæ ſint aliquæ dotes in hominibus Beatis.

Concluſio. Abſque dubio Beatis, quando in gloriā transferuntur aliqua dona diuinitus dantur ad eorum ornatum, & hi ornatus dotes ſunt nominati. Vnde datur quædam definitio de dote: Dos eſt perpetuus animi & corporis ornatus uitæ ſufficiens in æterna beatitudine iugiter perſeuerans.

ART. II. Vtrum dos ſit idem quod beatitudo.

Concluſio. Beatitudo & dos realiter differunt, ut beatitudo dicatur ipſa operatio perfecta, qua anima beata Deo coniungitur: ſed dotes dicuntur habitus, uel diſpoſitiones, uel quæcunque aliæ qualitates, quæ ordinātur ad huiuſmodi perfectam diſpoſitionem uel operationem, ut ſic dotes ordinentur ad beatitudinē magis, quàm ſint in beatitudine ut partes eius.

ART. III. Vtrum competat Chriſto habere dotes.

Concluſio. Vel omnino nō conuenit Chriſto ratio

 dotis

dotis, uel non ita propriè ficut aliis Sanctis: ea tamen quæ dotes dicuntur, excellentisſimè ei conueniunt.

ART. IIII. Vtrum Angeli habeant dotes.

Concluſio. Ea quæ ad dotes animæ pertinent, non eſt dubium, angelis ſicut & hominibus cōuenire: ſed ſecundùm rationem dotis nō ita eis ſicut hominibus conueniunt, eò quòd non ita propriè conuenit angelis ratio ſponſæ, ſicut hominibus qui ſunt eiuſdem ſpeciei cum homine Chriſto.

ART. V. Vtrū conuenienter ponantur tres aīæ dotes.

Concluſio. Conuenienter tres aſsignatæ ſunt animæ dotes. ſ. uiſio, quæ fidei; compræhenſio, quæ ſpei; fruitio, quæ charitati reſpondet.

QVAESTIO XCVI.

De aureolis, in tredecim articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum aureola ſit aliud a præmio eſſentiali, quod aurea dicitur.

Concluſio. Aureola dicit aliquid aureæ ſuperadditum. i. quoddam gaudium de operibus a ſe factis, quę habent rationem uictoriæ excellentis, quod eſt aliud gaudium ab eo, quo de coniunctione ad Deum quis gaudet, quod gaudium aurea dicitur. Hoc enim eſt prēmium eſſentiale, illud accidentale, & ideo aureola diminutiuè dicitur reſpectu aureæ.

ART. II. Vtrum aureola differat a frūctu.

Concluſio. Nunc agimus de fructu ſecundū quod ex ſemine conſurgit: ſpirituale autem ſemen quod in nobis ſeminatur, eſt uerbum Dei. In hoc igitur fructus uerbi Dei differt ab aurea, & ab aureola; quia aurea conſiſtit in gaudio quod habetur de Deo, aureola uerò in gaudio de operum perfectione; ſed fructus in gaudio quod habetur de ipſa diſpoſitione operantis

ſecun-

ſecundùm gaudium ſpiritualitatis, in quem proficit ex ſemine uerbi Dei.

ART. III. Vtrum fructus debeatur ſoli uirtuti continentiæ.

Cõcluſio. Cõtinentiæ magis debetur fructus, quã alij uirtuti, cũ ea uirtus præcipuè hominem liberet à ſubiectione carnis, ratione cuius fructus ei reſpõdet.

ART. IIII. Vtrum conuenienter aſsignentur tres fructus tribus continentiæ partibus.

Concluſio. Conuenienter aſsignantur tres fructus tribus continentiæ partibus: coniugali enim continentiæ tricesimus. uiduali ſexageſimus, uirginali centeſimus fructus debetur.

ARTIC. V. Vtrum aureola debeatur ratione uirginitatis.

Concluſio. Vbi eſt præcedens ratio uictoriæ, ibi debetur aliqua ſpecialis corona: unde cum per uirginitatem aliquis ſingularem quandam uictoriam obtineat de carne, contra quam continuè bellum geritur uirginitati ſpiritualis corona debetur, quæ aureola nominatur.

ART. VI. Vtrum martyribus aureola debeatur.

Concluſio. Inter omnes paſsiones illatas exterius pręcipuum mors locum tenet, ſicut & in paſsionibus interioribus præcipuæ ſunt uenereorum concupiſcẽtiæ: & ideo quando quis obtinet uictoriam de morte & ordinatis ad mortem, perfectiſsime uincit. Sed & perfectio uictoriæ conſideratur ex cauſa pugnæ, quãdo uidelicet ex honeſtiſsima cauſa pugnatur, quæ ſcilicet eſt Chriſtus: & propter hæc duo (martyrẽ enim non facit pœna, ſed cauſa) martyrio aureola debetur ſicut & uirginitati.

ART. VII. Vtrum Doctoribus aureola debeatur.

Cõcluſio. Sicut Virgines & martyres, ita Doctores

aureolam consequūtur, propter uictoriam quam obtinent aduersus diabolum per prædicationem & doctrinam, expellentes eum non solum à se, sed etiā ab alijs. Prælatis autem tantum non debetur, quamuis habeant officium prædicandi, nisi actu prædicent, quia corona non debetur habitui, sed pugnæ actuali.

ART. VIII. Vtrum Christo aureola debeatur.

Conclusio. Aureola diminutiuè dicitur, & importat aliquid quod participatiuè, & non secundum plenitudinem possidetur. At cum in Christo inueniatur principalis & plena ratio, per cuius uictoriam omnes uictores constituuntur, ei non competit aureolam habere, sed aliquid aliud excellentius omni aureola.

ART. IX. Vtrum Angelis aureola debeatur.

Conclusio. Angelis aureola non debetur, quia aureola respōdet cuilibet perfectioni excellēti in merito: ea uerò quæ in hominibus ad perfectionē meriti pertinent, Angelis sunt connaturalia, uel spectant ad communem statum eorum, aut ad ipsum præmium.

ART. X. Vtrum aureola etiam corpori debeatur.

Conclusio. Aureola propriè est in mente. Est enim gaudium de operibus illis, quibus aureola debetur. Sed per quandam redundātiam refulget etiam in corpore uel in carne. Nec uerò decor cicatricum in corporibus martyrum potest dici aureola: quia aliqui martyres huiusmodi cicatrices non habebūt utpotè illi qui sunt sumersi, aut famis inedia, aut squalore carceris interempti.

ART. XI. Vtrum conuenienter assignentur tres aureolæ, uirginum, martyrum, & prædicatorum.

Cōclusio. Cùm Virgines, Martyres, & Doctores in perpetua pugna sint, & uictoriam ex ea consequātur: meritò eis conuenienter assignatæ sunt tres aureolę,

quæ sunt priuilegiata pręmia ſm priuilegiatas uicto rias in tribus pugnis cōtra carnē, mundū, & diabolū.
ART. XII. Vtrum aureola uirginum ſit potisſima inter aliàs.
Concluſio. Aureola ſecūdùm propriam rationem reſpicit uictoriam & pugnā. Difficultas. n. pugnæ attenditur ex parte ipſius pugnæ inquantum eſt nobis uicinior; & ideo ſimpliciter loquendo, aureola martyrum inter omnes eſt potior, quanquam quoad aliquid nihil prohibet alias aureolas excellētiores eſſe.
ART. XIII. Vtrum unus alio aureolam excellentiorem habeat.
Concluſio. Cum meritum ſit quodāmodo præmii cā, ſicut meritum aureolæ pōt eſſe maius & minus: ita & aureola pōt eē maior & minor. Et ſic intētioni meriti, quæ eſt ex genere actus, rñdet intentio aureolæ.

QVAESTIO XCVII.

De pœna damnatorum, in ſeptem articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrū damnati in inferno ſola pœna ignis affligātur.
Concluſio. In ultima mundi purgatione, quicquid eſt purum & nobile, remanebit ſuperius ad gloriam beatorum; quicquid uerò ignobile & fęculentum, in infernum proiicietur ad pœnam damnatorū; ut ſicut ab uno recedentes per peccatum in rebus materialibus, quæ ſunt multa & uaria, finem ſuum conſtituerunt; ita etiam multipliciter, & ex multis affligātur & non ſolo igne.
ART. II. Vtrum uermis damnatorum ſit corporalis
Concluſio. Cùm poſt diem iudicii nullum corpus mixtum remāſurum ſit, uermis qui damnatis asſignatur, non erit materialis, ſed ſpiritualis, qui conſcientiæ remorſus dicitur.

ART.

ARTIC. III. Vtrum fletus qui erit in damnatis,ſit corporalis.

Concluſio.In fletu corporali eſt lachymarum reſolutio, quæ in damnatis eſſe non poteſt: quia poſt diē iudicij quieſcēte motu primi mobilis, nō erit aliqua regeneratio uel corruptio, uel corporalis alteratio: Sed quantum ad hoc quòd in fletu eſt quædam commotio & turbatio capitis & oculorum, fletus in damnatis eſſe poterit, ſecundùm quod corpus immutatur ad paſsionem animæ bonam uel malam.

AR.IIII. Vtrū dānati ſint in tenebris corporalibus.

Concluſio.Vt diſpoſitio inferni miſeriæ damnatorum conueniat, erunt in eo tenebræ corporales,cum quadam tamen luce,ut uideant damnati ea quæ animam torquere poſſunt:& ad hoc facit tum naturalis ſitus loci,quia in terræ medio, ubi infernus ponitur non poteſt eſſe ignis niſi fœculentus,& turbidus, & quaſi fumoſus:tum commaſſatio corporum damnatorum,quæ præ multitudine ita replebunt locum inferni,quòd ibi nihil manebit de diaphano,quod poſſit eſſe ſubiectum lucis & tenebræ, niſi oculi damnatorum,qui erunt etiam obtenebrati.

ART.V.Vtrum ignis inferni ſit corporalis.

Concluſio.Quicquid dicatur de igne, qui animas ſeparatas cruciat; de igne tamen, quo cruciabuntur corpora damnatorum poſt reſurrectionem , oportet dicere quòd ſit corporeus, quia corpori non poteſt conuenienter adaptari pœna,niſi ſit corporea.

ART. VI. Vtrum ignis inferni ſit eiuſdem ſpeciei cum igne noſtro.

Concluſio. Quocunque modo ignis inueniatur; ſemper eſt idem in ſpecie, quātum ad naturam ignis pertinet. Et ſic ignis inferni, eſt eiuſdem ſpeciei cum igne, qui apud nos eſt: utrum autem ille ignis ſit in

propria materia exiſtens, aut ſi in aliena, in qua materia, ſit nobis ignotum eſt, & ſic poteſt ab igne, qui apud nos eſt, differre materialiter conſideratus, quaſdã tamen proprietates differentes habet ab igne iſto, ut quod ſucceſsione non indiget nec nutritur.

ART. VII. Vtrum ignis inferni ſit ſub terra.

Concluſio. In qua parte mũdi infernus ſit, ſcire neminem arbitror (dicit Auguſt.) niſi cui diuinus Spiritus reuelabit. Nõnulli autem in quadam terrarum parte infernum eſſe putauerũt. Alij uerò ſub orbe terreſtri, tamen ſupra terræ ſuperficiem ex parte oppoſita. Pythagoras uerò in ſphæra ignis, quam in medio totius orbis eſſe dixit. Sed tamen conuenientius his, quę in Scriptura dicuntur, eſt, ut ſub terra infernus eſſe credatur, idque ex ipſa nominis ratione.

QVAESTIO XCVIII.

De uoluntate & intellectu damnatorum, in nouem articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

VTrum omnis uoluntas damnatorum ſit mala.

Concluſio. Cum natura in damnatis remaneat, ſecundum hoc bona poterit in eis eſſe uoluntas naturalis. Sed uoluntas deliberatiua, quæ eſt eis ex ſeipſis, eſt in eis ſolum mala, & hoc ideo, quia ſunt perfectè auerſi à fine ultimo rectæ uolũtatis. Vnde etſi aliquod bonum uolunt, non tamen bene uolunt illud; & ideo omnis uoluntas eorum mala eſt.

A R T. II. Vtrum damnati pœniteant de malo quod fecerunt.

Concluſio. Damnati per ſe non pœnitebũt de peccatis, ſed per accidens, inquãtum affligentur à pœna, quam pro peccato ſuſtinent.

AR. III. Vtrũ damnati recta ratione uellent non eſſe.

Con-

Conclusio. Non nellent damnati non esse, inquantũ non esse consideratur secundum se, quia illud non est appetibile: inquantum uerò consideratur ut est ablatiuum pœnalis uitæ aut alicuius miseriæ, non esse potest desiderari à damnatis, secundum deliberatiuā rationem.

AR.IIII. Vtrum damnati uellent esse in inferno alios damnatos.

Cõclusio. Sicut ĩ Beatis erit perfectissima charitas, ita in damnatis perfectissimum odium. Vnde sicut Sancti gaudebunt de omnibus bonis, ita & ipsi de omnibus bonis dolebunt: unde & fœlicitas Sanctorum considerata maximè eos affligit: unde uellent omnes bonos esse damnatos.

ARTIC. V. Vtrum damnati odio habeant Deum.

Conclusio. Deus ut apprehenditur in seipso, cũ sit per essentiam bonitas, non potest alicui uoluntati displicere, sed effectus eius aliqui sunt uoluntati repugnantes, inquantum contrariantur alicui, & secundũ hoc aliquis nõ in seipso, sed ratione effectuum Deum odire potest Damnati ergo Deum percipientes in effectu iustitiæ, qui est pœna, eum odio habent, sicut & pœnas quas sustinent.

ART.VI. Vtrum damnati demereantur.

Conclusio. Post diem iudicij non erit aliquod meritum, uel demeritum, quia tunc erit ultima consummatio bonorum & malorum, ita quòd nihil erit ulterius addendum de bono, uel de malo. Vnde & bona uoluntas in Beatis non erit meritum, sed præmium: & mala uoluntas non erit in damnatis demeritum, sed pœna tantum. Sed ante diem iudicij quidam dicunt, & Beatos mereri, & damnatos demereri: non quidem respectu præmij essentialis, uel pœnæ

principalis,cum quantum ad hoc utrique ad terminum perueniant : ſed reſpectu præmij accidentalis, uel pœnæ ſecundariæ , quæ poſſunt augeri uſque ad diem iudicij.

ART.VII. Vtrum damnati poſsint uti notitia, quam in hoc mundo habuerunt.

Concluſio. Damnati habebunt actualem conſiderationem eorum quæ ſciuerunt,ut inde triſtitia.non ut lætitia efficiantur,quò eorum miſeria ſit omni ex parte conſummata.

AV.VIII. Vtrũ damnati aliquãdo cogitabũt de Deo.

Concluſio.Damnati nullo modo poſſunt cogitare de Deo per ſe, hoc eſt tanquam totius bonitatis principio:per accidẽs uerò hoc eſt,per Dei effectus, inquantum punit, & alia id genus, poterit Deus à damnatis cogitari.

ART.IX. Vtrum damnati gloriã Beatorum uideant.

Concluſio. Damnati ante diem iudicij uident beatos in gloria,non quod gloriam eorum,qualis ſit,cognoſcant, ſed ſolum cognoſcunt eos eſſe in gloria quadam inæſtimabili:& ex hoc turbãtur, tũ propter inuidiam eorum,tum quod ipſi talem gloriam amiſerunt, ſed poſt diem iudicij omnino bonorum uiſione priuabuntur,nec tamen ex hoc eorum pœna minuetur,ſed augebitur:tum quia memoriam habebũt gloriæ bonorum, tum quia uidebunt ſe indignos reputari etiam uidere gloriam Sanctorum.

QVAESTIO XCIX.

De miſericordia & iuſtitia Dei reſpectu damnatorum,in quinque articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTrum ex diuina iuſtitia inferatur pœna æterna peccatori,

Con-

Cõcluſio. Secundum diuinam iuſtitiam aliquis ex peccato redditur dignus penitus à ciuitatis Dei con ſortio ſeparari. quod fit omne peccatũ, quo quis con tra charitatem peccat, quæ eſt uinculũ ciuitatẽ prædictã uniẽs: & ideo pro peccato mortali, quod eſt cõtrarium charitati, aliquis æternũ à ſocietate Sanctorũ excluſus, æternæ pœnæ adijcitur. Inueniũtur etiã & aliæ rationes à Sanctis aſsignatæ; quare iuſtè pro peccato temporali aliqui pœna perpetua puniãtur. Vna eſt, quia peccauerunt contra bonũ æternũ, dum contempſerunt æternam uitã. Alia ratio eſt, quia homo in ſuo æterno peccauit. Tertia, quia contra Deum qui eſt infinitus, peccauit. Vnde cum non poſſet eſſe infinita pœna per intentionem, quia creatura nõ eſt capax alicuius qualitatis infinitæ, requiritur quod ſit ſaltem duratione infinita. Eſt etiã quarta ratio, quia culpa manet in æternum, cũ culpa nõ poſsit remitti ſine gratia, quam homo non poteſt poſt mortem acquirere, nec debet pęna ceſſare quãdiu culpa manet.

ART. II. Vtrum per diuinam miſericordiam omnis pœna terminetur tam hominum, quàm dæmonum.

Concluſio. Nulla pœna tam hominum, quàm dæmonum per diuinam miſericordiam terminabitur, tum ex Scripturæ teſtimonio, tum quòd eiuſdem rationis eſſe uidetur, bonos Angelos in æterna beatitudine permanere, & malos Angelos in æternum puniri.

ART. III. Vtrum diuina miſericordia patiatur homines in æternum puniri.

Cõcluſio. Sicut dæmones ſunt in malitia obſtinati, & ita in perpetuo puniẽdi, ita & hominũ animę, qui ſine charitate decedunt: cum hoc hominibus ſit mors, quod eſt Angelis caſus.

ART. IIII. Vtrum pœna Christianorum damnatorũ per diuinam misericordiam terminetur.

Conclusio Christiani soli, qui in fide Catholica finaliter perseuerabunt, & ab alijs criminibus reperientur finaliter absoluti, à pœna æterna erunt immunes.

ART. V. Vtrum omnes illi, qui operantur misericordiæ opera, punientur æternaliter.

Conclusio. Quicunque cum peccato mortali decedunt: nec fides nec opera misericordiæ eos liberabunt à pœna æterna, etiam post quantumcunque spatium temporis.

SVPPLEMENTI TERTIAE PARTIS, AC OMNIVM SIMVL Conclusionum totius Summæ Theologicæ D. Thomæ Aquinatis, FINIS.

QVAE-

QVAESTIONES OMNES ORDINE ENVMERATAE CVM aliqua ratione Methodi, qua utitur D. Thomas in uniuersa sua Summa Sacræ Theologiæ. quę etiam in star Indicis esse poterit ad singula rerum genera facilè inuenienda.

Ac primùm ex ea Parte, quæ Prima appellatur.

De

De

De

De

Post primam sequitur Pars secunda quæ quidem cum ipsa per se nimis magna futura foret: idcirco ī duas partes est diuisa, quarum prior Prima Secundæ, posterior Secunda Secundæ est appellata.

Ratio ordinis ac Methodi Primę Partis Secundæ.

Quia homo ad imaginem Dei *factus dicitur, eo quod & intellectum habeat liberiq; sit arbitrij, & suæ pote-*

poteſtatis: poſtquam in prima Parte dictum eſt de Exemplari, id eſt, de Deo, & de his quæ proceſſerunt ex diuina poteſtate ſecundum eius uoluntatem, in ſecunda Parte tractat conſequenter de Dei imagine, id eſt, de homine, ſecundum quod & ipſe eſt ſuorum operum principiũ, liberumque arbitrium habet, & ſui poteſtatem.

Poſt

De

De

Sequitur Pars ea, quæ Secunda Secundæ nuncupatur.

Ratio Ordinis ac Methodi Partis Secundæ Secundæ.

In qua (absoluta iam generali moralium consideratione) in particulari complectitur singula, quæ ad universam hanc materiam circa mores spectant. Et ne idem sæpius repetatur, omnia ad uirtutum tractationem reducit, quia eadem est materia circa quam & uirtus recte operatur & uitia opposita à rectitudine recedunt.

Virtutes autem omnes sunt septem in genere: tres Theologicæ, & quatuor Cardinales, ad quas omnes aliæ aliqua ratione reducuntur. Itaque in singularum tractatione, nihil pretermittit, quod uel ratione uirtutis adiunctæ uel uitij oppositi aliquo modo spectat ad unum aliquod istorum caput.

Principio igitur agit de prima uirtute Theologica, eiusque annexis, nempe.

Tum

De

De su

Porrò

Tum

Post tractationem de singulis uirtutibus earumquè adiunctis, quæ ad omnes omnium hominum conditiones ac status spectant, nunc ad ea transit; quæ quosdam homines sigillatim concernunt. Inter quæ quoniam Prophetia & gratiarum donis, & rerum diuinarum cognitione latissimè se extendit: idcirco de a proximo loco disputat, ac de eius annexis. Principio uerò

De

Sequitur Pars Tertia.

Ratio ordinis ac Mothodi Partis Tertiæ.

Ad absolutionem totius negocij Theologici, consequitur necessario, ut post tractationem de ultimo fine humanæ uitæ eiusq; annexis, tractet etiam de ipso Saluatore hominum Domino nostro Iesu Christo, ac de eius beneficijs nobis præstitis, quibus non à peccatis liberauit, uiamq; ueritatis in seipso ostendit, per quam ad hunc ultimum finem ac immortalem Beatitudinem peruenire possimus.

Principio igitur disserit de primo ac summo huius Saluatoris nostri beneficio, nempe

De

Vlterius autem D. Thomas morte praeuentus non scripsit, sed quod superest, ex eiusdem Auctoris Operibus non minore eruditione, quàm diligentia collectum est, atque huic Summae adiectum: ac propterea Tertiae Partis Supplementum appellatur.

In quo quidem (obseruato eodem Ordine ac Methodo) pergit deinceps tractare sigillatim.

Poſt

De

Totius Summę Theologicę Quęſtionum omnium cum ſingularum Methodi & ordinis ratione.

FINIS.

Series Cartarum.

*ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

AA BB CC.

Omnes ſunt quaterniones.

VENETIIS,

Apud Franciſcum, Gaſparem Bindonum, & Fratres. 1572.

